ECCLESIÆ PRIMITIVÆ CLERICVS:

CUJUS GRADUS, EDVCATIO, TONSURA, CHORUS, VITA COMMUNIS, VOTA, HIERARCHIA, EXPONUNTUR.

Authore JOANNE WARNERO Societatis JESU olim S. T. Professore.

Permissu Superiorum.
MDCLXXXVI.

ECCLESIÆ PRIMITIVÆ CLERICVS:

CUJUS GRADUS, EDVCATIO, TONSURA, CHORUS, VITA COMMUNIS, VOTA, HIERARCHIA, EXPONUNTUR.

Authore JOANNE WARNERO Societatis JESU olim S. T. Professore.

Permissu Superiorum.
MDCLXXXVI.

70-1748

ECCLESIÆ PRIMITIVÆ CLERICVS

PRÆFATIO.

INGENIOSI tantum Artificis eſt magnarum rerum ſine confuſione facere compendia: nec imperiti pictores immenſi corporis molem anguſtis parvæ tabellæ finibus exhibebunt, quod à Deo naturæ Authore factum in oculi retinâ miramur: Ægrè ſtilum, & tabulam ſubeunt, quæ ſuâ magnitudine circumſcriptum anguſtis ſanè limitibus animum excedunt: Ægrè verbis exprimuntur, quæ ſuo ſplendore mentis aciem obruunt, quæ vix, aut ne vix quidem accuratâ cognitione comprehenduntur: ſi quidem verba ſigna ſunt rerum, ſecundum quod à nobis concipiuntur, nec melius eas aut oculis ſcriptura, aut auribus viva vox exhibere poteſt, quam mens conceperit.

Inde nobis juſti metus, atque formidinis occaſio, de Clerico & quidem Primitivo, verèque Apoſtolico Scripturis: cuius gradus omni Principum altitudine excelſior, cuius Dignitas quâlibet Regum temporali maior, cuius Poteſtas omnia creata tranſcendit, & ad Deum ipſum pertingit, cuius munera à Deo ſolo inſtituta, Deum ſolum intuentur, ad Deum, Deo per omnia illius Officia cooperante, perducunt, à Deo profecta, in Deo quieſcunt. *Honor, & Sublimitas ejus nullis poteſt comparationibus adæquari:* (Cum Ambroſio loquor lib. de Dignitate Sacerdotali c. I.) *Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cum videas Regum colla, & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus credant ſe communiri. Si ſcrutator Majeſtatis* etiam terrenæ *opprimatur à Gloriâ* (Prou. XXV. ℣. XXVII.) quid ſperare poteſt, qui Dignitatem intuetur quâlibet infra Divinam Majeſtate ſplendidiorem?

Nec juvat, quod Clericum in Infantia, ac velut in cunis ſim deſcripturus. Exigua ſemina proceras in arbores excreſcunt: parvi, & im-

belles Infantes in fortiſſimos Heroas adoleſcunt: paruus Fonticulus (Ezechielis c. XLVII.) Fluvium maximum efformat. Sol in ortu innoxiâ luce fulget, qui vbi Meridianum attigit fluvios ignes exufflans, ſplendore ſuo quamtumvis validos oculos perſtringit. Non ſic *Clericus*, non ſic, cujus Dignitas atque Poteſtas nec augetur tempore, nec invaleſcit diuturnitate, nec poſſeſſione roboratur: ſed Divinę ad inſtar Eſſentię, à quâ emanat, totam ſuam perfectionem ſimul adeptus eſt: & ſimul quicquid eſt perfectionis in totâ Eccleſiâ. Et puritas enim Virginum; & Doctrina Confeſſorum, & Fortitudo Martyrum, per omnia & præterita, & futura in finem vſque Mundi Sæcula, ab illo veluti copioſiſſimo fonte ſcaturit, & in eo, Virtute ſaltem, ſi non & actu, continetur. Sicut enim quia Adamus à Deo Mundi Opifice, creatus vt eſſet generis humani caput, omnibus perfectionibus ornatus fuit, quæ in feros nepotes ſpargendæ forent: ita Clericus noſter, creatus à Chriſto, ſecundi Sæculi Parente, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ caput, omnes perfectiones, omnes dotes, omnia decora Eccleſiæ concedenda complexus eſt. Quicquid ergo ſuſpicimus in Sacerdote, colimus in Epiſcopo, adoramus in ſummo Pontifice, totum quantum eſt in Clero naſcente continebatur. Quid enim ex eo tempore ei acceſſit, prętер latifundiorum amplitudinem, divitiarum copiam, rituum Majeſtatem, Dignitatis ſæcularis ſplendorem? Hæc autem, vt vt hominum carnalium oculos perſtringant, à ſpiritualibus tamen inſuper habentur, velut avaritiæ illicium, ſuperbiæ fomes, vitiorum omnium fons vberrimus, ac proinde non bona: aut certè inter ea bona, quæ ancipitis cum ſint ad vere bonum & vere malum naturæ, ea nec amore, nec honore dignantur.

Nec inutilis futura videtur iſta ſpeculatio ſi non intra ſpeculationem conſiſtat; ſed in actum reducatur quantum ferunt præſentia tempora, & cujuſquè devotio. Videndo enim qualis fuerit Clericus Apoſtolicus, diſcimus quales nos eſſe oportet, vt tales eſſe velimus, qualis ille extitit: qui vt in Nomen, Dignitatem, Poteſtatem ſucceſſimus, ita in pium vivendi modum ſuccedere debemus: *Vt quod ſumus profeſſione, actione potius quam nomine demonſtremus* (Cum Ambroſio loquor de Dignitate Sacerdotali c. III.) *vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini: ne ſit nomen inane, & crimen immane: ne ſit honor ſublimis, & vita deformis: ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio: ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus provectus: ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus: ne habeatur in Eccleſiâ Cathedrá ſublimior & conſcientia Sacerdotis reperiatur humilior: ne locutionem ſimulemus columbinam & mentem habeamus caninam: ne profeſſionem monſtremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam: ne dignè nobis per Prophetam reſpondeatur à Domino: Populus hic labiis me honorat, Cor autem eorum longè eſt à me.* Hæc Ambroſius.

Fallitur

PRÆFATIO.

Fallitur proinde, ac turpiſſime fallitur, qui nihil niſi vulgarem Sanctitatem à Sacerdote credit expeti. *Nuga in ore Laici nuga ſunt*, ait Bernardus, *in ore Sacerdotum Blaſphemiæ.* Et vniverſim Chriſoſtomus, ſiue quiſquis Autor eſt operis imperfecti in Mathæum, hom. X L. *Sacerdotes magis debere videntur obedientiam Deo per hoc ipſum, quod ſpecialiter in Dei Miniſterio conſtituuntur. Nam qui Doctor Populi conſtituitur ſine dubio profitetur ſe talem fore, qualem eſſe oportet Doctorem.* Cumque id Artificum exemplo monſtraſſet, ſubdit. *Sic Sacerdotes & omnis Clericus etſi ſpecialiter non promittat, tamen per hoc ipſum quod Doctor conſtituitur aliorum, tacitè promittere Deo videtur in omnibus obauditurum ſe Deo.* Hoc ipſum tradit Sacrum Concilium Tridentinum ſeſs. XXII. c. I. de Reform. *Nihil eſt quod alios magis ad Pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt: Cum enim à rebus Sæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex ijſquè ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque omnibus rebus, nihil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant: levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis adferant venerationem.* Hæc Sancta Tridentina Synodus.

Ad Chriſoſtomum revertamur. Js lib. V I. de Sacerdotio probat ex veteri Lege graviora eſſe Sacerdotum, quam Laicorum peccata, quod Levitici I V. idem Sacrificium pro Sacerdote peccante præcipitur, ac pro toto Populo. *Quod quid aliud ſignat*, inquit, *quam Sacerdotis vulnera majori medicamento, atquè auxilio indigere? atquè adeò tanto, quanto conjuncta ſimul vniverſi Populi vulnera indigent? Porrò majori nequaquam indigerent, niſi graviora forent: atqui graviora fiunt certè non naturâ ipsâ; ſed Sacerdotis, qui ea commiſerit, dignitate, & conditione.* Graviori proinde pœnâ puniendos in aliâ vitâ Clericos aſſerit ſupra Laudatus operis imperfecti in Mathæum Author: *Non enim commiſſa in omnibus pariter accipienda*, inquit, Hom. vel XXVI. vel XXVII. *Potentes enim potenter tormenta patientur: &, qui novit voluntatem Domini ſui, & non fecerit, vapulabit plagis multis: ita plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideo Sacerdos, ſi pariter cum ſubditis peccat, non eadem; ſed multò acerbiora, patietur.* Hæc in præſenti ſufficiunt: alia dicentur infra capite ſecundo libri primi.

Quamvis autem ad majorem alijs perfectionem Clericos teneri fateamur neceſſe eſt ex dictis: & aliunde conſtet Clericorum ſub Apoſtolis perfectiſſimam, & omnibus numeris abſolutam vitam extitiſſe: quam proinde pro normâ ob oculos proponi vtiliſſimum ſit: non tamen ideò Clericos omnes cenſeo ad ſimilem Apoſtolorum, primorumquè Clericorum vivendi rationem obligari ſub peccato, aut à viâ vitę omnes aberrare, qui aliam vivendi ſemitam ab Eccleſiâ approbatam, aut certè non improbatam,

ineunt

ineunt. Alia Infantis Eccleſiæ nutricibus, alia adultæ Paranimphis, alia Seneſcentis (ſi licet iſtas in Eccleſiâ viciſſitudines notare) cuſtodibus permittenda vitæ regula. Licet enim poſteriores anteriorum mores obſervare debeant, vt ex ijs ſuos effingant, veſtigia premant, optandum ſit; non tamen illicò vituperandi, qui tantillum deflectunt. Omnes Chariſmata meliora æmulentur: certè ſummâ laude dignos eſſe Clericos illos nemo inficias jerit, qui Apoſtolici Cleri vitam imitantur, & illius in ſuâ exhibere conantur imaginem, quicumque tandem illi ſint. Quænam illa ſit ex numeroſiſſimis Clericorum in hoc Sæculo congregationibus, meum non eſt indicare.

Nequè alijs author eſſe velim. Id operoſius inquirant, aut comparationem inter varias florentiſſimas congregationes Clericorum Regularium, aut non Regularium inſtituant. Ea enim, vtcunquè inſtituatur ſummâ cum æquitate, lites, diſcordias, æmulationem pravam, magis quam Pietatis ſtudium alet: oberit; non proderit: non ædificabit; ſed deſtruet. Hoc vnum dico, vt nullum Chriſtianæ vitæ genus pium non aliquam Chriſti Domini vitę partem exhibet, nullum totam illam adæquat: ita nulla eſt Clericorum Congregatio, quæ non in aliquo ſimilis ſit Clerico Apoſtolico, in aliquo alio, non ab illo differat, tametſi aliqui valdè parum ab illo differant, adeo vt vix differre videantur.

Duo in præſenti Tractatu mihi propoſui. Primum, vt exponendo præ oculis Apoſtolici Clerici imaginem, quantum ad illa, quæ illi magis intrinſeca & eſſentialia, diſcamus quales eſſe nos oporteat illum imitando, & tales reipſâ evadere conemur.

Alterum eſt Pax & Charitas, quæ Fide, quæ Prophetiâ, quæ Dono linguarum, quid excellentius eſt. Conferet enim, vti ſpero nonnihil ad inſtaurandam inter ſacras Clericorum Congregationes concordiam mutuam, pacemqué redintegrandam, exponere non tantum eſſe partes inter contendentes diſcrimen, imò magnam eſſe affinitatem. Efficax Moyſi viſum eſt argumentum ad conciliandos duos Jſraelitas rixantes eorum Conſanguinitas, quando ait: *Viri, Fratres eſtis*. Hoc idem Clero Sæculari & Regulari dicere poſſumus: *Viri, Fratres eſtis.* Ejuſdem Patris, Dei, ejuſdem Matris, Eccleſiæ, Filij. *Reddat nobis Dominus omnibus Labium electum, vt invocemus omnes in Nomine Domini & ſerviamus ei* HUMERO VNO. Sophoniæ III. 9.

APPROBATIO

APPROBATIO.

CUM Librum, cui titulus Clericus Apoſtolicus, à P. Joanne Warnero conſcriptum, tres è Societate noſtra Theologi quibus id commiſſum fuit recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint: Poteſtate acceptâ ab Admodum R. P. noſtro Carolo de Noyelle ejuſdem Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur: In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus: Audomari 28. Novembris 1686.

IOANNES KEYNES.

APPROBATIO.

CUM Librum, cui titulus Clericus Apostolicus, à P. Joanne Warnero conscriptum, tres è Societate nostra Theologi quibus id commissum fuit recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint: Potestate acceptâ ab Admodum R. P. nostro Carolo de Noyelle ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur: In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus: Audomari 28. Novembris 1686.

IOANNES KEYNES.

LIBER PRIMUS.

CLERICUS.

TOTVS, quem deſigno tractatum, in tres Libros dividetur. In quorum primo exponere conabor quis ſit ? Quibuſnam illud nomen conveniat ? Varia Clericorum genera, Hierarchię gradus, à minoribus Ordinibus, qui Clericorum Noviciatus quidam ſunt, & ipsâ primâ Tonſurâ, per quam ſacræ Clericali militiæ quis adſcribitur, ad Romanum vſque Pontificem, ſacræ hujus militiæ ſummum Ducem atque Imperatorem. Secundus Clerici Educationem exponet, Domum, exercitia, ſtudia &c. Tertius & vltimus Clerici vota complectetur.

Nulla ferè cum vllis Catholicis in toto libro primo Controverſia: ſed multiplex, eaque contentioſiſſimè ventilata, cum Hæreticis ſive poſteriorum ſęculorum, ſive præſentis temporis: quorum licet arma contrita fuerint, à ſtrenuis Apoſtolicæ Fidei, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Vindicibus, non tamen omninò negliganda videntur, quod identidem à contumacibus colligantur, & cum haud parvâ Catholicorum imperitiorum turbatione, in hos iterum conjiciantur eâ fiduciâ, ac ſi integra forent, cum ergo diſſipatas olim acies inſtaurent Fidei hoſtes, non erit abs re eaſdem iterum diſſipare.

Deſcripti cenſentur in Cleri albo primum Epiſcopi, deinde Sacerdotes, Diaconi, Subdiaçoni, Acoluthi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarij; quin & illi etiam, qui primâ dumtaxat Tonſurâ donati ſunt, quamvis ea non Sacramentum; ſed quid Sacramentale, non Ordo; ſed Ordinis janua cenſeatur. Et primi quatuor dicuntur Ordines ſacri, ſive ob votum caſtitatis eorum cuilibet annexum, ſiue quod ijs initiati, ſacro Altaris, Sacramentorumque miniſterio immobiliter devinciantur, cum inferiorum Ordinum Clericis liceat, juſtâ de causâ (niſi alivnde tollatur ea libertas) ad ſæculi caſtra & Laicam vitam, relicto Clero, redire: ſive denique, quod majorem ſanctitatem & Chriſtus, & Eccleſia Chriſti ſponſa ab ijs exigat, qui majoribus Ordinibus initiati ſunt, quam ab alijs, ob Reverentiam Sacroſanctis Myſterijs & vaſis, quæ tractant, ea continentibus, debitam.

Jnditur ergo Clerici nomen hominibus, cum ab Epiſcopo Tonſurantur: & omnibus adhæret, etiam cum ad Epiſcopatus, ſummique Sacerdotij digni-

tatem e vehuntur : quod paſſim in Sacris Canonibus occurrit. Sic qui ſæculari militiæ nomen dederunt, milites appellantur : quę vox & gregarios comprehendit, & illos etiam, qui ad primos in Exercitu ducendos Ordines aſſumuntur.

CAPUT I.

Quid ſit Clericus ? & quod ejus à Laico diſcrimen ?

TOTA Gens Romana in duas partes diviſa fuit, Ordinem ſcilicet, & Plebem. Ordo Magiſtratus municipales, & decuriones ſignificat : Plebis nomine reliquus populus deſignatur. Et tota gens Chriſtiana in duas itidem partes diviſa eſt, quas Tertullianus cap. 7. de exhortat caſt. ijſdem vocibus è foro ad Eccleſiam tranſlatis appellat, dum ait : *Differentiam inter Ordinem, & Plebem conſtituit Eccleſiæ Auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Communior tamen vſus eos Clerum, & Laicos appellat, Cleri enim, & Clerici vox ab vltimâ antiquitate deducitur, & ſine dubio ab Apoſtolorum vſque temporibus habetur. Ejus, ſicut & Laici, mentio frequens in Canonibus Apoſtolorum : Germanæ B. Jgnatij Antiocheni Epiſtolæ, quas edidit Voſſius è Codice Florentino, & Vſſerius ex Anglicano Ms. eaſdem habent ; ſicut & Origines, B. Cyprianus admiſſum à Deceſſoribus Clericorum nomen ſuis Epiſtolis XXXIII. & LXVI. inſeruit. His omnibus major Nicæna Synodus II. c. V. in fine, vtriuſque meminit. *Si Clericus fuerit*, inquit, *à ſuo gradu dejiciatur ; ſi Laicus, ſegregetur.* Et ſacri Altaris Miniſtros Clericos appellari conſueviſſe ſuo tempore, teſtis eſt Conſtantinus M. reſcripto ad Auilinum, vel Anulinum, apud Euſebium lib. X. Hyſtor. Cap. VII. his autem attribuitur, vt dicitur ibi, *qui in Eccleſiâ Catholicâ huic Sanctæ religioni ſedulò inſervivnt*, & in L. II. Cod. Theodoſ. *qui divino cultui miniſteria religionis impendunt.*

Græcæ Origenis eſſe certum eſt, ἀπὸ τῦ κλήρυ, *à ſorte* : & Græcis etiam ſatis familiaris. Si quidem apud Athenienſes pars agri vnicuique è Civibus mancipij jure poſſidenda per legem agrariam tributa fuerat, κλῆρ@ dicta fuit, teſte Ariſtotele : eodem nomine quæ ſingulis Lacedemonijs agri Laconici portio aſſignata fuit, vocata eſt, teſte Plutarcho. Similiter agrorum partes devictis populis ereptas in Vandalos victores diſtributas, ſortes, ſive κλήρυς dictas oſtendit Procopius.

Verum vt omiſſis exterarum gentium moribus, ad ſacras litteras, & Judæorum primò, deinde Chriſtianorum inſtituta tranſeamus. Gen. XLIX. 14. *Iſachar inter duos Cleros requieſcere* dicitur, id eſt tranquillè in patrimonij ſui poſſeſſione degere. Et Iudic. V. 16. reprehenditur tribus *Ruben*, quod è pugnâ ſe ſubduxiſſet neglectâ publicæ rei curâ, vt privatâ frueretur : *Quare habitas*

habitas inter duos Cleros, vt audias sibilos Gregum. Vtrobique in vulgatâ Latinâ pro *Cleros*, ponitur *terminos*, scilicet possessionum, vnde colligitur duplici voce rem vnicam signari, & Psal. 67. 14. *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* q. d. si contenti sitis terminis, quos sortiti divinâ Providentiâ estis, Deus ipse tam vigili curâ solicitus erit, vt omnia floritura sint, nec candentis columbę splendori cedant, quæ cum fulgore auri argentiue comparetur. Hoc sensu accipitur, Num. XVIII. vbi vetuit Dominus Levitas cum alijs tribubus sortiri, quod ipse eorum Clerus, sive *sors* esse vellet. *Ego pars, & hæreditas vestra.*

Aliam etiam ob causam Levitis Cleri nomen attribuitur, quod eorum officia sorte distribuerentur. Vt habetur 1. Paralip. cap. XXVI. & duobus sequentibus, & Lucæ 1. de Zachariâ magni Præcursoris parente dicitur: *sorte exijt, vt incensum poneret.* Et in novâ lege Actorum scilicet 1. *Cecidit sors super Matthiam, qui suffectus est in locum Iudæ, qui sortitus fuerat sortem Ministerij huius*, nimirum Apostolatus, Jsidorus quidem l. VII. Orig. c. XII. Clericos ex istis sortibus ita vocatos esse sentit; verùm à prędsenti Ecclesiarum omnium consuetudine alienior videtur ista etymologia, quandoquidem sortes numquam adhiberi soleant in Officiorum, aut Beneficiorum distributione.

Genuina proinde ratio vocis accipitur ex verbis Domini de Levitis: *Ego pars, & hæreditas vestra*: quam ob rem Ecclesia Clericum, qui tonsuratur, hęc verba proferre jubet: *Dominus pars hæreditatis meæ & Calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Consentit Hieronimus epist. II. quæ est ad Nepotianum: *Clericus*, inquit, *qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ, nitatur esse quod dicitur. Si enim* κλῆρος *Græcè, Latinè* sors *appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de Parte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Prophetâ dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si aliquid habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.* Hæc Hieronimus & exeo Petrus Damiani Opusc. XXIV. c. II. & Opusc. XXVII. Præfat. Vnde non leve videri debet argumentum ex vocis hujus etymo ductum, quo tanti Patres vsi sunt. Vide Prosperum lib. altero de vitâ contempt. c. XVI. Similia habet Ambrosius lib. de fuga sæc. & habetur c. *Cui portio.* XII. q. 1. *Cui portio Deus est*, inquit, *nihil debet curare, nisi Deum, nec alterius impeditur necessitatis munere: quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur: hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio Chariſſimorum, vt suis se abneget qui servire Deo elegerit.*

Reliqua pars Ecclesiæ à Clericis distincta, Laici vocantur, honesto quidem illo nomine; non autem, (vt odiosè blaterant Hęretici, quò Clericis invidiam creent & de fastu Cleri conquerendi sumant occasionem humili,

& abjecto. Laici porrò ἀπὸ τ λαῦ, quæ vox apud ſeptuaginta ſignificat populum Dei, ſegregatum à colluvie gentium, Deo gratum, peculiarem, hæreditarium, fidei lumine illuſtratum, ad æternæ vitæ gaudia vocatum: quales olim Iſraelitæ, nunc verò Eccleſia longè melioribus promiſſionibus fundata, *Non hoſpes Sanctorum; ſed Domeſtica Dei, ſuperædificata ſupra fundamentum Apoſtolorum* (Clericorum) *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* JESV.

Eccleſia proinde Chriſti ſponſa duplicis generis homines continet, aliud ſelectum, Epiſcopos nempe, & Miniſtros inferiores, Divino obſequio mancipatos, qui communi voce *Clerici* vocantur. Alios Laicos, ſæcularia negotia tractantes, qui à *Clericis*, in lege Dei inſtruvntur, ad pietatem formantur, ad beatam æternitatem diriguntur.

Diverſa fuiſſe ex Divinâ inſtitutione ſub Moſaicâ lege partium iſtarum officia, luce clarius apparet cum ſacrorum omnium procuratio Leviticæ Tribui reſervata fuerit. Cum Dathan & Abiron eam ſibi arrogare voluiſſent, audax facinus inſolita pœnâ punitum eſt. Ozias Judæ Rex thus adolere tentans, leprâ percutitur: varijs denique ſignis oſtendit Deus omnino velle ſe diſcrimen illud ſervari, quod nemo impunè violavit. De lege novâ idem dicemus infra, vbi quæremus, an omnes Fideles ſint Sacerdotes.

CAPUT II.

Prima Tonſura: & Clericalis Habitus Aſſumptio. Vbi oſtenditur Clericum olim vocatum fuiſſe Religioſum: & majorem ab eo, quam à Laico, ſanctitatem requiri.

TOTA illa ceremonia, quâ quis è Laicorum numero eximitur, in Clerum tranſcribitur, in forum Eccleſiaſticum tranſit, Privilegiorum Cleri particeps efficitur, & Dei obſequio conſecratur, *Prima Tonſura* vocatur. Dici poteſt prima Clerici in auguratio, quâ habitum Clericalem induit, & depoſitâ ſæculi pompâ, Apoſtolicæ militiæ dat nomen, hujuſque militiæ characterem exterius aſſumit. Et ſicut in Religioſis ordinibus, habitus cuique proprius initio Noviciatus ſive Tyrocinij datur ab illius Superiori, ita homini ad alios ordines ſacros adſpiranti, tyrocinium Clericale poſituro, datur habitus Clero proprius, iſque *Religioſus*. Bis enim in Pontificali Romano eo nomine vocatur: *Donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis in perpetuum conſervet.* Iterum: *quibus in tuo ſancto nomine habitum ſacræ Religionis imponimus*, Hinc Cyprian. Epiſt. LV. ad Antoni, ait Cornelium *ad ſublime Sacerdotij faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendiſſe.* Et Epiſt. XXXV. Numidium m. ait *ad ampliorem locum Religionis ſuæ promovendum cum inter Sacerdotes eſſet admiſſus. Denique Sacerdotum Conſeſſum vocat Religioſum Conventum*, Epiſt. XLII.

Clerus

Clerus ergo Religio est, Clerici, Religiosi, & habitus Clericalis, habitus Religiosus. Quæ si seriò considerarent è Clero aliqui, non adeo aversarentur Religiosos, nec nomen ipsum Religionis, (quod & ipsis atque Monachis commune est) odio sine causâ, sine fine, prosequerentur. Hæc obiter.

Tres partes continet tota ista ceremonia: 1. Est Tonsura, sive extremitatis criminum amputatio. 2. Professio Clerici, dum tondetur. 3. Superpellicei impositio.

De Tonsurâ plura dicturi cap. XXXIII. hic paucis dicimus tantùm, eâ criminium depositione *declarari*, vt ait Dionisius c. IV. Eccles. Hierar. *Puram, nullâque figurâ adumbratam vitam, non fictarum figurarum, aut colorum inductione deformitatem mentis dedecorantem, sed ipsam in seipsâ, non humanis speciebus; verum proprijs, & singularibus ad divinam similitudinem traductam.* Sive, vt ait Concil. Aquis gran. c. IV. post Isidorum l. IV. de Offic. c. V. *In Clericis Tonsuræ signum, in corpore figuratur; sed in animo agitur: scilicet, vt hoc signo in Religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur atque inde innovatis sensibus, & comis rudibus enitescamus, expoliantes nos juxta Apostolum veterem hominem cum actibus suis, induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei, quam renovationem in mente oportet fieri; sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens nosci tur habitare.* Paulinus epist. IV. ad Severum ait, sicut captiva in Israelitæ nuptias transitura crines radebat, ita nos. Author libri de contemptu mundi apud Aug. *Per hoc signamus malam terrenarum rerum sollicitudinem, mentis nostræ oculos ad Deum contemplandum impedire.* Item: *Quisquis in Officijs divinis assumptus est, pilos carnis, id est superfluas cogitationes cordis radere debet: caput ergo radere signat cogitationes terrenas, & superfluas à mente resecare.* Optime Hieronimus (& habetur, c. *duo sunt* XII. q. 1. *Rasio Capitis est temporalium omnium depositio.*

Et hæc postrema verba veram huius ceremoniæ rationem exprimere, patet ex verbis, quæ qui tondetur proferre debet: (quæ secunda pars est huius inaugurationis) & Pontificale quippe Romanum, & vetus Ordo Romanus iubet, dicat: *Dominus pars Hæreditatis meæ, & Calicis mei: Tu es qui restitues Hæreditatem meam mihi.* Quemadmodum ergo Prisci Levitę Possessionibus sorte datis excluſi, quibus aliæ tribus potiebantur, in vno Deo, sorte, sive parte suâ totam spem collocare debuerunt, in eum solum mentis oculos defigere; ita novæ legis Levitæ, Clerici pro totâ hæreditate vnum Deum habentes, cor suum, & omnia desideria sua debent in eo solo collocare, qui dignatur eorum sors & esse, & dici: vt hoc modo & Dominum possideant, & à Domino possideantur, vt dixit Hieron. loco supra laudato, cap. I.

Hęc pia est Clerici, terrena fastidientis, temporalibus renunciantis, mundana transgressi, ad Cælum, ad Æterna, ad Divina toto cordis affectu respicientis, Professio. Audiamus Augustinum ea verba edisserentem: *Dominus pars hæreditatis meæ, possidebunt enim mecum Sancti hæreditatem, ipsum Deum.*

Eligant

Eligant sibi alij partes quibus fruantur, terrenas, & temporales, portio Sanctorum Dominus æternus est. Et Calicis mei: bibant alij mortiferas voluptates, portio Calicis mei Dominus est. Quod dico, mei, adjungo Ecclesiam: quia vbi caput, ibi & corpus: nam in hæreditatem congregabo conventicula eorum, & per Calicis ebrietatem obliviscar nomina vetera eorum. Tu es qui restitues hæreditatem meam: vt nota sit, & his, quos libero, Claritas, quâ eram apud te priusquam mundus fieret. Non enim restitues mihi, quod non amisi, sed restitues eis, qui amiserunt eius Sanctitatis noticiam, in quibus, quia ego sum, mihi restitues.

Deinde Episcopus orat, vt qui *pro amore Divino suos crines depoſuerunt, in eâ dilectione perpetuo maneant, & sine maculâ in sempiternum custodiantur.* Et schola, (Chorus) ei succinens, orationem Pontificis exauditam esse significans, ait. *Hi accipient benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.*

Sequitur vltima ceremonia, cum Pontifex ordinando super pelliceum imponit, dicens: *Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ, & sanctitate veritatis.* Quæ adeó clara sunt, vt ea explicare non sit opus. Solum admonere oportet Clericos omnes, meminerint novum se hominem, Christum induisse (exuto veteri cum actibus suis) in justitiâ & sanctitate veritatis: meminerint vel tum conceptam, vel certè confirmatam sanctè vivendi, & innocentaim perpetuò retinendi voluntatem, in sempiturnum servandam. Quod si post sanctioris istius vitæ professionem emissam, post eiuratum sæculum, post susceptum innocentis vitæ simbolum, sanctitatis induta insignia, malè vivendo status dignitatem contaminaverint, professionem ipsam mendacem ostenderint, quid supereſt, nisi vt ea ipsa sanctitatis indicia testimonium ferant adversum eos in extremo judicio, & pœnas violatę fidei reposcant.

Facescat ergo Clericali Sanctitati probrosus & pernicioſus error, docens nihil ab ijs perfectionis exigi vistatus, ad quem assumpti sunt, ex intentione Dei & Ecclesiæ eos assumentium, ad quod quisque Fidelis etiam Laicus, etiam conjugatus, non teneatur. Longe alia est Ecclesiæ mens, vt ex dictis ferè constat, & exdicendis amplius constabit. Mundo renuncient, terrena calcent, caduca spernant, vnicè Cælestia desiderent, oportet, qui huic vivendi modo sese consecrabunt, qui non nomine tantum; sed etiam re Clerici esse volent. Enimverò tametsi forté non ita facilè sit, vllum in particulari actum assignare, ad quem sub præcepto teneantur, quâ lege soluti sunt Laici (quod solum probant rationes, quas operosè, & odioſè congerunt adversarij, si tamen aliquid probant) tamen ex toto vitæ statu ad pietatem aspirare tenentur. Sic Religiosi ex ipso quem profitentur vitæ modo ad perfectionem tendere tenentur, & varia facere eò ducentia, licet non sint absolutè sub præcepto: adeoque quorum quodlibet citra mortale peccatum omitti potest.

Nemo tamen ita desipiat, vt cum Wicleffo sentiat illicitum esse Clericos quoscunque

quoſcunque latifundijs, boniſve temporalibus dotare, aut talium rerum adminiſtrationem illis prorſus interdictam eſſe : adeoque peccare Dominos temporales, qui ea non repetunt, & vel ſibi, vel fiſco, vel pauperibus addicunt. Rapinam enim illam, vti deteſtandum ſacrilegium averſatur Eccleſia, illamque in Synodo Conſtantienti ſeſs. XV. cum alijs ejuſdem Hęreſiarchæ erroribus confixit.

Scio Hieronimum dixiſſe Epiſt. II. ſupra Laudatâ : *Qui cum Prophetâ dicit, Pars mea Dominus, nihil præter Dominum habere poſſe.* Jtem : *Si Clericus quippiam habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* Verùm hæc, vt bona in particulari poſſideri non debere à Clericis, oſtendant, quod infra dicturi ſumus, certè in communi poſſeſſa non damnant. Deinde dicent fortaſsè alij, nec bona privatim poſſeſſa excludere; ſed affectum erga bona : verba quippe ſunt Davidis, qui Rex erat & potentiſſimus, & opulentiſſimus : ſed qui affectu in ſolum Deum ferebatur : vnde verè dixit Deum eſſe hæreditatem ſuam, licet alia inſuper haberet. Eodem ergo ſenſu dicet aliquis ea à Clericis vſurpari. Cæterum de hoc infra à cap. LI. de Tonſurâ verò Clericali cap. XXXIII.

CAPUT III.

Clerici Novitiatus, ſive Minores Ordines.

SICVT priuſquam aliquis è ſæculo veniens, Religioſo Ordini ſtricto, ſacroque ſolemnis Profeſſionis vinculo adſtringatur, in Tyrocinio aliquandiu probari debet, vt eius & animus, & vires adferenda Religionis onera ſuperioribus pateat : & ipſe viciſſim experiatur an talem vivendi modum amplecti debeat. Similiter qui ad Sacrum Altaris Miniſterium aſpirant, ne illotis vt aiunt manibus ad illud aſcenderent, in Minoribus Ordinibus, humilioribus Officijs exerceri aliquandiu debuerunt ex antiquâ Eccleſiæ diſciplinâ, tanquam in quoquam Noviciatu, tum vt vitam Clericalem melius addiſcerent, tum vt aptiores ad majora fierent, tum vt Gradus Sacerdotalis Excellentiam caſtiori veneratione proſequerentur. Hunc enim in finem inſtitutos Minores Ordines ſive ab Eccleſiâ, vt aliqui putant, ſive à Chriſto Domino, vt mihi certum videtur, notum omnibus eſt, qui non ſunt in Concilijs, & Patribus planè hoſpites. Jmò ex ipsâ S. Scripturâ haud obſcurè colligitur aut idipſum, aut quid ſimile injungi. Quid enim verò aliud inſinuant illa B. Pauli verba 1. Tim. III. 10. *Et hi* (Epiſcopi, & Diaconi, de his enim loquitur) *probentur primum, & ſic miniſtrent, nullam crimen habentes.* Et alibi vetat Neophitum Ordinari, ſimilem videlicet ob cauſam.

S. Leo

S. Leo verè magnus Epiſt. LXXXVII. ad Epiſcopos Mauritaniæ Cæſarienſis, prolatis, quæ citavimus Apoſtoli verba, hæc habet: *Quid aliud intelligendum in hoc putamus, niſi vt in his provectionibus laborum merita cogitemus, ne aut à Baptiſmo rudibus, aut à ſæculari actu repentè converſis, Officium Paſtorale credatur, cum omnis gradus Militiæ Chriſtianæ de incrementis profectuum debeat æſtimari, an poſſint cuiquam majora committi? Merito Sanctorum Patrum Venerabiles ſanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos ſacris adminiſtrationibus cenſuerunt, quorum omnis ætas à pueritibus exordijs, vſque ad provectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet, vt vnicuique teſtimonium prior vita præberet.* Et infra: *valde iniquum eſt, & abſurdum, vt imperiti Magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis.* Hæc B. Leo.

Concilium Sardicenſe cap. XIII. *Neceſſarium eſt, vt ſi forte Dives, aut Scholaſticus de foro, aut ex Adminiſtratore Epiſcopus fuerit poſtulatus, vt non prius ordinetur, niſi ante & Lectoris munere, & Officio Diaconi, aut Præsbiteri fuerit perfunctus: & ita per ſingulos gradus (ſi dignus fuerit) aſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari quâ fide ſit, quâve modeſtiâ, quâ gravitate, & verecundiâ. Et ſi dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illuſtretur: quia conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, vt temerè, & leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut Præsbiter, aut Diaconus, qui Neophitus eſt: maximè cum & Magiſter Gentium, B. Apoſtolus, ne hoc fieret denunciaſſe videatur, & prohibuiſſe; ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata.*

Magna Nicęna Synodus cap. II. Neophitum conſecrari jam ante vetuerat, adducto etiam Apoſtoli teſtimonio id prohibente. Ambroſius equidem, atque Nectarius, contra magni Concilij decretum ex Catechumenis in Epiſcopos aſſumpti ſunt, ſed maximorum virorum ſingulare meritum, & Eccleſiæ neceſſitas, excuſavit ſingulare factum, & vt in eorum favorem Canones per Epijkeiam explicarentur, effecit. Enimvero Photius ſimiliter ad ſedem Conſtantinopolitanam aſſumptus, quia eius electio ſimili ratione non niteretur, à Synodo Generali VIII. depoſitus fuit.

Cujus Synodi VIII. can. XIII. hæc habet ad rem præſentem facientia: *Decernimus, vt ſoli Clerici Magnæ Eccleſiæ, qui in minoribus Ordinibus morati ſunt; ad majores gradus, & honores Eccleſiaſticos (ſi digni inveniantur) aſcendere debeant; nullo verò modo, hi qui foris ſunt, ad tales dignitates, vel honores aſſumantur.* Vbi per *eos, qui foris ſunt*, Non intelliguntur ſoli Ethnici, qui ſunt extra totam Eccleſiam; ſed Laici, qui in Eccleſijs, extra ſacrarium (quod Locus erat ſacris altaris Miniſtris deſignatus, degebant.

Concilium Romanum ſub Sylveſtro can. III. deſignat quot annis quiſque Clericus in quolibet gradu miniſtrare debeat, privſquam ad altiorem promoveatur. v. c. Oſtiarius vno anno: Lector XX. Exorciſta X. &c. qui Canon ſi obſervetur, nemo niſi provectæ, & tantum non decrepitæ ætatis ad ſummum

Sacerdotium

Sacerdotium elevabitur. Concilium VIII. Generale can. V. vetat quenquam ad Episcopalem dignitatem evehi, qui non compleviſſet vnum annum Lector, duos Subdiaconus, tres Diaconus, & Presbiter quatuor.

Concilium Bracarense I. Can. XX. *Placuit vt ex laico ad gradum Sacerdotij ante nemo veniat niſi prius anno integro in officio Lectoratus, vel Subdiaconatus, diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic per ſingulos gradus prædictos ad Sacerdotium veniat. Nam ſatis reprehenſibile eſt, vt qui necdum didicit, iam docere præſumat: dum & antiquis hoc Patrum inſtitutis interdictum ſit.*

Concilium Vaſense vel Vaſionense II. can I. idem præscribit. Vbi illud etiam notatu dignum occurrit, Clericum in Minoribus constitutum Tyrocinij sui exercitia facere debuisse in Ecclesiâ, cuius obsequio in ipsâ Ordinatione addictus erat. De quo plura libro secundo.

Denique ne citando alia Concilia in re satis notâ molestus esse pergam, Tridentinum ses. XXIII. Cap. XI. de Reform. Priscos Canones de istis Clericorum per varios gradus exercitijs, & probationibus innovat, & quantum Ecclesiæ necessitas permiserit, observari mandat. *Minores Ordines ijs*, inquit, *qui ſaltem Latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia (niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur) conferantur, vt eò accuratius quantum ſit hujus diſciplinæ pondus poſſint edoceri; ac in vnoquoque munere, juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in eâ, cui adſcripti ſunt Eccleſiâ, niſi fortè ex causâ ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in ijs cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſiâ Miniſterium, atque major erga Præsliteros, & Superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Corporis Chriſti Communio maximè comprobabunt.* &c.

Summi Pontifices non Fidei tantum Apostolicæ, sed & Ecclesiasticæ Disciplinæ retinentissimi, & vbi altervtra violata esset, accerrimi vindices, has leges vtilissimas violari ægerrimè tulerunt, & vt observarentur identidem vrserunt. Innocentius I. Epist. ad Felicem Nucerianum Episcopum, cum quatuor primis capitibus ostendisset, quales à Clero arcerentur, vnde constabat quales esse deberent, qui forent admittendi, cap. V. ait: *In ijs*, scilicet qui admittuntur, *tempora à majoribus conſtituta ſerventur. Nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat: quia in minoribus Officijs ſi diu perdurent & vita eorum pariter, & obſequia comprobantur, vt ad Sacerdotium poſt hæc emenſis ſtipendiorum meritis veniant, nec præcipiant, quod vita probata meretur accipere.* Similia videre est in Innocentij prędecessore Siricio Epist. I. ad Hypatium, cap. IX. & X. atque in eius successoribus Zozimo Epist. I. ad Hesichium cap. I. & III. Cælestino I. Epist. II. cap. III. & Epist. III. cap. II. Hormisdâ, Epist. ad Episcopos Hispaniæ Ca. I. &c. Leonem eadem commendantem supra Laudaui.

Ex quibus omnibus abundè liquet, quod initio proposui, Minores

videlicet Ordines eum in finem inſtitutos fuiſſe, vt in ijs exerciti Clerici paulatim ad majores diſponerentur : eſſentque quoddam Clericorum veluti *Tyrocinium*, ſiue *Noviciatus*.

Nec inutile prorſus erit iſtorum graduum diſtributionem obſervare, quo ſcilicet ordine ad majora, & Altari viciniora miniſteria progrederentur. Primus, idemque infimus, & ab Altari remotiſſimus Ordo, *Ianitorum*, vel *Oſtiariorum* eſt : Hi portarum Eccleſiæ, quibus affixi erant, curam habebant, vt dignos in eam admitterent, indignos arcerent, cujuſmodi cenſebantur non ſolùm infideles; verum etiam excommunicati, & publicæ Pœnitentiæ ſubjecti. Eo officio cum laude defuncti, intra Eccleſiam, ſed in infimâ ejus parte, quam ναὸν vocabant, occupabantur in quam non ſoli fideles; ſed etiam Catechumeni admittebantur : quibus ex ſacris libris aliquid prælegebant, vnde nomen ſortiti ſunt *Lectorum*. Subinde creabantur *Exorciſtæ*, qui poteſtate in malignos Spiritus à Deo acceptâ potiebantur ad *Energumenorum* levamen. Tandem in *Acolythos* aſſumpti intra cancellos ſacram menſam ambientes admittebantur, ad luminaria accendenda, & Urceolos curandos, quibus vinum & aqua continentur, incruento novę legis Sacrificio deſtinata. Dicti *Acolythi*, quòd minimè prohiberentur propius Altare accedere : ſiue *Acoluthi*, quod eſſent velut aſſeclæ Subdiaconi. Jnveniuntur etiam dicti *Ceroferarij*, notiſſimâ etimologiâ.

Juxta hodiernam Eccleſiæ conſuetudinem quatuor iſti Ordines eodem tempore, eodem prope momento conferuntur, nullo præmiſſo priorum exercitio, nullo eorum vſu. An verò & quatenus laudanda, vel vituperanda ſit iſta conſuetudo : An & quatenus Eccleſiæ vel profuerit, vel obfuerit antiquum morem antiquatum fuiſſe, videant illi, quibus mandatum curare, ne quid Reſpublica Eccleſiaſtica detrimenti patiatur. Lindanus Panopliæ L. IV. cap. LXXIX. modum præſentem improbare dicitur. Adverſantur ei mori etiam canones, *de Clerico per ſaltum ordinato*, & apud Gratianum, & L. V. Decretalium.

Si quis ſcire cupiat, quare ſint vniverſim ſeptem Ordines? & quare dentur quatuor Minores? Adeat Hallier de ſacris ordinationibus à pag. CCC LXIX. Hæc de noviciatu, cunctis Clericis majoribus communi. Præter quem alius eſt, ſolis Canonicis deſtinatus : De quo infra lib. III.

CAPUT IV.

De Exorciſtis.

EX omnibus donis à Deo primis Chriſtianis in ſalutem proximorum conceſſis, quæ Theologi *Gratias gratis datas* appellant, iſtud in Dæmones malos imperium ferè ſolum ſupereſt. Non quod Deus non alia ſubinde per ſuos

ſuos aut ſervos, aut amicos miracula faciat etiamnum, quæ numquam in Eccleſiâ defutura didicimus ex Chriſti promiſſione Marci XVI. 17. 18. ſed quod poteſtas illa faciendi nulli hominum ſtatui perpetuâ lege conceſſa ſit, prout conceſſam Exorciſtis à Deo Poteſtatem in Dæmones videbimus. De iſtis proinde peculiaris eſt difficultas: ob ſingulare imperium, maximèque mirandum in illos, naturâ nobiliſſimos ſpiritus, ſiue qui in Idolis miracula edere videbantur, ſive qui Energumenorum corpora torquent, occulto plerunque, ſed ſemper iuſto Dei judicio, ſiue qui loca quædam præſentiâ ſuâ moleſta reddunt. De his proinde fuſius agere libet, vel ob aliorum ſilentium, cum admodùm rarus ſit inter Recentiores de eis ſermo.

Chriſtum Dominum, *qui eſt Deus benedictus in ſæcula*, habuiſſe pleniſſimam in Dæmones poteſtatem, nemo dubitare poteſt, qui non de Dei in eos imperio dubitat. Eandem ſæpe oſtendit, quoties ſcilicet eos vel ſolâ voce, vel adhibitis ceremoniis ex Energumenis eiecit. Solâ voce, Mat. VIII. 32. ceremonijs adhibitis, Marc. VII. 33. Si tamen ille ſurdus & mutus vere Energumenus erat, vt aſſerit Baronius ad An. Dom. LVI. quod confirmari videtur ex Mat. IX. 32. & Mat. XII. 22. vbi ſimilis affectus dæmoni tribuitur ſenſationum meatus obſidenti, ſenſuum functiones impedienti.

Hic difficultas occurrit haud contemnanda: an aliqui Dæmones aliorum Dæmonum virtute ex Energumenis eijci poſſint? Affirmant plerique id fieri poſſe, in cuius rei confirmationem narrant aliquos vi magicâ de facto ejectos, ab Apollonio ſcilicet Tyanæo, vt ait Phyloſtratus in ejus vitâ. Et verò Phariſæos ita ſenſiſſe conſtat ex Mat. XII. 24. *Hic non eijcit Dæmones, niſi in Beelzebud Principe Dæmoniorum.* Credebant ergo Dæmonum Principem inferiores eijcere Dæmones: Aſſentivntur aliqui recentiores, qui addunt etiam æquales ab æqualibus, aut Superiores ab inferioribus eijci, non vi, aut imperio; ſed mutuo conſenſu, & quaſi colluſione.

Probabilior nobis videtur contraria ſententia, potiſſimum quia videntur ei fauere Chriſti D. verba malignam Phariſæorum calumniam refutantia. Ait enim: Mat. XII. 25. 26. *Regnum contra ſe diuiſum deſolabitur*: vnde *ſi Satanas Satanam eijceret*, regnum eorum eſſet contra ſe diviſum: illudque ipſi deſtruerent. Cum tamen & ſinguli, & vniverſi illud omni modo ſtabilire, atque propagare conentur. Et verò huc facit, quod obſervat Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangel. c. XXVI. nullum ſcilicet ex omnibus Dijs, quos coluit cæca Gentilitas, cujuſquam alterius falſi Dei cultui detraxiſſe, aut homines ab eo abducere; ſibique aggregare conatum fuiſſe, licet impensè cuperent ſinguli, ſe pro Deo haberi: & vniverſi veri Dei cultum, & cognitionem ipſam eliminare conarentur. Jſtâ concordiâ regni ſui conſervationi providebant. Et vero ſimile eſt, & ſingulos, & omnes ad conſervandam Energumeni Poſſeſſionem, ſi quam adierint, collaborare.

Adde, quod non pro libitu ſuo; ſed ex voluntate Dei ſaltem permiſſiuâ

provenit, quod aut Animas, aut bona, aut corpora hominum invadant. Adeoque quidquid vel in perſonis ſuis, vel in rebus, homines ab eo pativntur totum id Divinæ Providentiæ, Dęmonis malitiâ, ad hominis ei traditi correptionem, vel emendationem, aut humiliationem permittenti acceptum ferri debet. Enimvero Iobi res non prius aggreſſus eſt Satanas, quam ei poteſtas ad id facta fuiſlet à Deo. Iob. 1. 12. Nec Perſonam eius attingere auſus eſt, niſi Deo itidem conſentiente. Iob. II. 6. Quid quod Divino imperio ſubinde immittuntur, in pœnam peccati præteriti. v. c. Corinthius incæſtuoſus *Satanæ traditus in interitum carnis, vt ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini.* 1. Cor. V. 5. Jtem Hymeuæus & Alexander, *Satanæ traditi, vt diſcerent non blaſphemare.* 1. Tim. I. 20. Enimvero, quis ſibi perſuadebit ſatanę pro libitu licuiſſe ab ijs torquendis abſtinere? Et valde probabile mihi eſt è ſecretâ diivinę manus agitatione provenire, quod aliquis à Dæmone corripiatur, licet plerumque cauſa lateat, in Dei judiciorum abyſſo. Cum ergo ſatanas homines non niſi Deo volente corripiat, & in eo ipſo Divinam voluntatem exequatur, quis ſibi perſuadebit ei permitti quamdiu, & quâ ratione hominem torqueat?

Si dixeris, hinc ſequi illicitos eſſe Exorciſmos adverſus Dæmones, cum conentur impedire tortores à Deo immiſſos, ne latam ab eo ſententiam exequantur. Negabo ſequelam. Vult enim Deus ad eum recurramus, quoties malis premimur etiam ab eo immiſſis, ſic peſtem à Deo immiſſam Davidis Oratio compeſcuit. II. Reg. XXIV. & antea ignis divinitus immiſſus, Jſraëlitas conſumens Aaronis precibus extinctus eſt. Morbos Dei dona perinde ac ſanitatem ſentivnt pij omnes: non tamen propterea putant illicitum eſt adverſus eos pugnare tum precibus ad Deum ipſum fuſis, tum medicinis ab eodem Deo de terrâ creatis. Vbi notabile diſcrimen occurrit inter voluntatem ſigni & voluntatem beneplaciti: conformare voluntatem noſtram tenemur voluntati ſigni, quæ lex eſt, à Deo lata: non item voluntati beneplaciti, imo licet adverſus eam agere pro virili, licet nos ei reſignare debeamus, vbi mutari non poteſt. Quid ergo dicemus ad Phariſæos aſſerentes Satanam ab altero Dæmone expelli poſſe? Aut ad Philoſtratum id factum fuiſſe narrantem? Reſpondeo, Phariſæorum auctoritatem nihil moror, quam ipſe Chriſtus impugnat. Ad Philoſtratum reſpondeo fabulam ab eo narrari, cuiuſmodi in eo frequentes occurrunt. Verùm ſi daremus verè liberatum Energumenum, nihil referret. Dicemus enim non Diaboli virtute; ſed divinâ pulſum Dæmonem: ſuperſtitioſaſque, atque Magicas notas non cauſam; ſed occaſionem tantum fuiſſe, cur pelleretur Dæmon ab ipſo Deo. Sic aiunt Theologi celebres excitatum à Deo Samuelem, cum Pithoniſſa in Samuelis effigie Dæmonem excitare vellet. De quo vide I. Reg. XXVIII. Eccleſiaſtici XLVI. 23.

De Exorciſtis loquitur S. Scriptura tanquam de hominum genere paſſim

passim noto, & antiquo. Nusquam tamen lego aut statâ aliquâ ordinatione ad id officij fuisse consecratos, aut certis ceremonijs instructos. Tobiæ II. & VIII. Legimus jecore piscis carbonibus impositò abactum Dæmonem Saræ cubiculum infestantem : quod nemo fumo inde erumpenti attribuit ; sed Raphaëli Juvenis Duci. Refert Josephus lib. VIII. Antiqui. Judaic. institutos à Salomone exorcismos : hi tamen Augustino superstitiosi visi sunt. Nec immeritò : quis enim credet vlli radici vim inesse pellendi Dæmones ? Hoc autem illi præstabant, applicando naribus Energumeni radicem à Salomone designatam. Christus D. Mat. XII. 27. Docet Pharisæorum discipulos, quos eorum filios vocat, ejeciſſe Dæmones. Sed quo modo, non apparet. Igitur omissis incertis ad nota transeamus.

Legimus Math. X. 1. & Luc. IX. 1. Datam à Christo D. duodecim Apostolis *potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos* : eamque communem esse voluit LXX. discipulis : forte eandem illis dedit verbis illis Luc. X. 9. *Curate infirmos, qui in eâ sunt* civitate, ad quam mittebantur prædicatum Evangelium : siquidem paulo post *cum gaudio reversi* dicuntur, *quod illis etiam Dæmonia subjecta essent.* Imo tanta erat vis nominis quod est super omne nomen, JESU, vt super Energumenum invocatum etiam à non Exorcistâ, aut non Christiano, Dæmonem abigeret. Hinc Luc. IX. 49. Joannes ait Christo D. *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Nec ingrata fuit ea nominis sui Christo D. invocatio, qui vetuit id impediri. *Nolite*, inquit, *prohibere eos.* Non tam benè cessit septem filijs Scævę Principis Sacerdotum, idem tentantibus, qui ab Energumeno male mulctati, & vulnerati, fugâ salutem sibi quærere coacti sunt.

Christianis omnibus datam in Dæmones potestatem, certum est : & eandem viguisse donec prostratâ Idololatriâ, datâ Ecclesiæ pace, minimè necessaria evalit. Tertul. in Apolog. cap. XXIII. *Edatur aliquis sub tribunalibus vestris*, ait, *quem à Dæmone agi constet : jussus à QVOLIBET Christiano loqui Spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur de verò, quam alibi Deum de falso. Æquè producatur aliquis ex ijs, qui de Deo pati existimantur, nisi se Dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius procacissimi Christiani sanguinem fundite.*

Cyprianus lib. ad Demetrianum. *O si audire eos velles*, ait, *& videre quando à nobis adjurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijcivntur, quando ejulantes, & gementes voce humanâ, & virtute divinâ flagella & verbera sentientes, venturum judicem confitentur. Veni, & cognosce vera esse, quæ dicimus. Et quia sit Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede : aut si volueris, & tibi credere, de seipso loquetur, audiente te, qui nunc pectus tuum obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcavit. Videbis nos rogari ab ijs, quos tu rogas, timeri ab ijs, quos tu adoras. Videbis*

sub

ſub manu noſtrâ ſtare vinctos, & tremere captivos, quos tu veneraris vt Dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus poteris, quando conſpexeris, & audieris Deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtrâ ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, preſtigias illas, & fallacias ſuas non poſſe celare.

Minutius Fælix in Octavio: *Hæc omnia ſcivnt plerique pars veſtrum*, ait, *ipſos Dæmones de ſemetipſis confiteri, quoties à nobis tormentis verborum, & orationis incendijs de corporibus exiguntur. Ipſe Saturnus & Serapis, & Iupiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquvntur. Nec vtique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrum aſſiſtentibus mentivntur. Ipſis teſtibus eſſe eos Dæmones de ſe verum confitentibus credite: adjurati enim per Deum verum, & ſolum, inviti, miſeri, &c.*

Julius Firmicus: *Ecce Dæmon eſt, quem colis: cum Dei, & Chriſti eius nomen audierit, contremiſcit.*

Euſebius lib. 3. de Demonſ. Evang. cap. 8. *Quis ignorat*, ait, *noſtra eſſe conſuetndinis, ipſo IESV nomine, & puriſſimis precibus, omnem Dæmonum vexationem abigere?* &c.

Et ne faſtidium pariam plures citando Authores eadem aſſerentes, dico tantum ſimilia tradi ab Oroſio lib. VI. Hyſtoriæ cap. 1. Cyrillo lib. IV. contra Julianum, Arnobio, Lactantio Firmiano, alijſque. Prudentius in Apotheoſi, Chriſtianorum exorciſmos, eorumque modum, & vim planè mirabilem explicat, licet ad Antiſtites referre videatur eam virtutem in Dæmones, quam alij laudati Chriſtianis omnibus communem facivnt.

Hæc ſunt eius verba —— —— torquetur Apollo
Nomine percuſſus chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguæ
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.
Intonat Antiſtes Domini, fuge callide ſerpens:
Exue te membtis, & ſpiras ſolve latentes.
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas?
Deſine, Chriſtus adeſt, humani corporis vltor:
Non licet, vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Pulſus abi, ventoſe liquor, Chtiſtus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iupiter ignes.
Hæc Prudentius.

Ex dictis conſtare puto datam cuiquè Chriſtianorum poteſtatem in Dæmones. Si petas, quibus ceremonijs adhibitis eâ vterentur? Reſpondebo, vt mihi probabilius videtur. nullis; ſolam vero ſatis fuiſſe ſimplicem Dei, & Chriſti Jeſu invocationem. Hoc enim magis oſtendebat & Dei poteſtatem, & Dæmonis infirmitatem: & præterea eò longius aberat Magiæ ſuſpicio. Certè Origenes lib. 1. contra Celſum nihil ab Exorciſtis aliud

requirit

requirit, quam *vt in nomine IESV Dæmones adiurent ſano affectu, & integrâ Fide.*

Hæc miraculoſa poteſtas in Dæmones, his devictis, aut deſijt in Laicis, aut interdictus eſt eius vſus. Conſtat in Concilij Laodiceni Can. XXVI. Laicis prohibitos exorciſmos. Hi, inquit, *qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſijs, quam in Domibus exorcizare non poſſunt.* Scilicet licitè. Vnde Canon iſte Gratiano ita concipitur C. *non oportet* D. LXIX. *Non oportet exorcizare eos, qui nec dum ſunt ab Epiſcopis promoti.* Rubrica dicit: *Non exorzent, niſi qui ab Epiſcopo provecti ſunt.* Vnde non ſequitur ablatam Laicis Poteſtatem illam in Dęmones, invocato ſanctiſſimo JESU nomine; ſed vetitum illius vſum.

Ne tamen ex prohibitis Laico Exorciſmis, diutius torquerentur Energumeni, jubet Concilium Carthaginenſe IIII. can. XXVI. *Vt Exorciſta*, ſcilicet ab Epiſcopo conſecrati, *omni die Energumenis manus imponant.* Et Innocentius 1. Epiſt. 1. ad Decentium cap. VI. *De Energumenis baptizatis jubet, vt eis à Præsbitero, vel cæteris Clericis abſente Epiſcopo manus imponatur.* Videatur Canon. LXXIX. Concilij Aquiſgranenſis An. Dom. DCCCXVI. celebrati ſub Ludovico 1. vbi innovatur Canon. Laodicenus. Ex quo conſequens eſſe videtur, aliquos nullis ordinibus initiatos exorcizaſſe etiam IX. ſæculo: adeoque non vbique receptum, & uſu confirmatum eo ſæculo, canonem illum cum neceſſe fuerit contrariam Laicorum præſumptionem nouo Canone compeſcere.

Jllud etiam in Jnnocentij 1. decreto laudato notandum, quod *Energumenos Baptizatos* nominet. Alij enim præſcribuntur ab Eccleſiâ ſuper Baptizatis recitandi Exorciſmi, ſuper Catechumenis alij. Et hi quidem ſolis Presbiteris ſolemni ritu baptizantibus reſervantur: illi vero erga Energunos baptizatos quibuſuis Chriſtianis initio, deinceps omnibus Exorciſtis ab Epiſcopo conſecratis permittuntur.

Frequentia ſunt, & recentia virtutis Exorciſmorum in Eccleſiâ Dei exempla. Florimondus Remondus lib. II. de ortu, progreſſu & interitu Hæreſum cap. XII. num. 3. & ex ipſo Spondanus ad An. Dom. MDLXVI. refert Energumenam Lauduni liberatam, ſpectantibus decem hominum millibus. Jdem contigit ibidem, anno XXXX. ſæculi, quod excurrit, ſcilicet XVII. ſimilia ſæpius in Angliâ fieri, ad confuſionem Hæreticorum, ſolatium vero Catholicorum, notius eſt, quam vt de eo dubitetur. Quamvis ob perſecutionis immanitatem teſtimonia de ijs in formâ probante confici non poſſint: multa etiam ob commercij litterarij pericula neſciantur.

CAPUT V.

CAPUT V.

De Subdiaconis.

AD eos jam Ordines pervenimus, qui *Sacri* peculiari ratione dicuntur; quod votum Caſtitatis annexum habent, vt dicemus lib. III. & quod peculiarem in ijs initiato ſanctitatem requirunt, quia ſacra vaſa tractat. Non ideo tamen tale nomen ijs competit, quod reliqui inferiores Sancti non ſint: omnes quippe Sancti ſunt ex inſtitutione, ex fine, quem ſpectant, ex actibus, ad quos deſtinantur. Sic in ineffabili SS. Trinitatis myſterio nomen *Sancti Spiritus*, tertiæ in Deo Perſonæ tribuitur: licet & prima & ſecunda ſit *Spiritus*, & ſit *Sanctus*.

Antiquiſſimum eſſe Subdiaconorum Ordinem, quidquid blaterent Novatores, indubitatum eſt: ſi quidem B. Jgnatius M. Epiſt. ad Antiochenos ſuos eorum meminerit. Sicut etiam can. XXXXIII. Apoſtolorum. Non tamen perinde certum eſt cuinam antiquitus Officio deſtinarentur, aut quem, in Eccleſiâ gradum obtinerent. Concilium Laodicenum can. XXXI. vetat eos *in Sacrarium* Διακονικόν *intrare, aut vaſa ſacra contingere.* Vnde ſequi videtur eum inter ſacros ordines non fuiſſe recenſitum eo tempore. Verum Græcus textus aliud quid ſonare videtur, dicit enim: ὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, ϗ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. *Non oportet Subdiaconos locum habere in Sacrario, & tangere Dominica Vaſa.* Goar eruditiſſimus vir in rituali Græcorum monet eadem vaſa Sacroſancto Miniſterio deſtinata dici σκεύη ἱερά, quando vacua ſunt; δεσποτικὰ σκεύη quando Sanctum Chriſti corpus actu continent. Hic verò prohiberi ne tangant *Dominica Vaſa*; non vero *Sacra Vaſa.* An ita intelligi debeant ea verba, & an moderna Græcorum praxis eam explicationem confirmet, Fides ſit penes illum. Certè Balſamo in illum Canonem longè aliter explicuit. *Non oportet eos Sacrum Calicem*, & Sacram Patinam tangere κενῶν ὄντων etiam *cum vacua ſunt.* Zonaras ait eis prohiberi Miniſteria Diaconorum: nec ijs permitti vſquam Vaſa Sacra deferre. Ariſtenus veró ea à Sacerdotibus & Diaconis deferri ad Altare; non veró á Subdiaconis: cum autem ad Altare deferuntur vacua vtiquè ſunt. Negant proindè illi omnes Canonem ita intelligi poſſe, quomodo à R. Patre Goar explicatur.

De alterius partis hujuſcè Canonis explicatione non minor eſt difficultas. Clarum eſt locum ijs in Sacrario negari: confirmant id Canonum Gloſſatores mox laudati. Ait P. Goar, ita fieri etiamnum Conſtantinopolitanâ in Eccleſiâ, quæ nullum illis locum vbi ſedeant illic aſſignat. Aſſerit tamen pag. 246. id in deſuetudinem abiuiſſe: ſed pauló ante captam Vrbem revocatum in vſum

In vſum, ob aliquorum Subdiaconorum ambitionem, locum in Sacrario ſibi deberi contendentium, eo quod in Sacrario ordinarentur. Verum & lite excidiſſe, & Diaconico, ſive Sacrario excluſos fuiſſe, narrat idem à Manuele Chantopulo Patriarchâ C. P. qui ad tollendam talis controverſiæ radicem juſſit eos deinceps extra Sacrarium ante Lyturgiam conſecrari.

Concil. Trid. ſes. XXIII. c. XIII. de Reform. Subdiaconatum vocat *Sacrum Ordinem:* & ſentiunt omnes Catholici modo eum talem eſſe. Tametſi negari non poſſe videatur non ſemper talem habitum fuiſſe. Magiſter enim ſententiarum l. IV. d. XXIV. lit. I. duos ſolum Sacros Ordines agnoſcit Preſbiteratum, & Diaconatum. Cæterum difficultas tota eſt de nomine: in quâ æquius eſt cum Concilio Æcumenico & Eccleſiâ vniverſâ loqui, quam cum aliquibus hominibus quantævis auctoritatis.

Quale fuerit olim Subdiaconum Officium, ſatis obſcurum eſt. Goar ait eis curam portarum commiſſam fuiſſe, per quas fœminæ intrabant in Eccleſiam. Vnde cum Diaconus monebat omnes exire, quibus per ſacros Canones intereſſe ſacro minimè licebat, Subdiaconus id exequebatur in Eccleſiæ parte fœminis deſtinatâ. Cyprianus Epiſt. XXXIV. refert Optatum Confeſſorem à ſe factum Hypodiaconum; eundem etiam conſtitutum *inter Lectores, Doctorem Audientium.* Id eſt *Catechiſtam Catechumenorum.* Hoc autem in Eccleſiâ Alexandrinâ nobiliſſimum erat Officium, quo magnâ cum laude viri Clariſſimi functi ſunt, Origines, Pantænus, Clemens, &c. Non tamen conſtat Optatum illum vi Ordinis, ad quem aſſumptus à B. Cypriano fuerat, Catechiſtæ munus ſuſcepiſſe. Videtur potius ob inſignia eius merita (*Confeſſor* appellatur à Cypriano) ſed potiſſimum ob egregias animi Dotes, Provinciam illam ei commendatam fuiſſe.

In Eccleſiâ Latinâ ipſorum eſt, lintea, vaſa ſacra, panem, & vinum ad divinnm Miſſæ Sacrificium neceſſaria præparare, in ſacro Epiſtolam, aut Prophetiam legere, denique Diacono miniſtrare.

Qualiter etiamnum ordinentur, videri poteſt in Concilio Carthaginenſi IV. (cui interfuit Auguſtinus) can. V.

Creduntur in locum ſucceſſiſſe *Nathinnæorum*, quorum mentio fit 1. Paralip. IX. 2. & frequenter in vtroque libro Eſdræ. Sed ante captivitatem Babilonicam altum eſt de ijs ſilentium.

CAPUT VI.

De Diaconis.

AD eos ordines devenimus, quos agnoſcunt Hæretici ex Apoſtolorum tempore extitiſſe, cum de eorum inſtitutione frequens ſit mentio in Sacris Litteris. In Levitarum locum ſucceſſerunt, & frequenter Levitæ vocantur: vt in benedictione cerei Paſchalis, Diaconus ait: *Qui me non meis meritis intra Levitarum ordinem dignatus eſt aggregare*, & alibi: *Levita Laurentius bonum opus operatus eſt.* Act. VI. refertur ordinatio ſeptem Diaconorum. B. Paulus Epiſtolam vnam dirigit ad omnes fideles, cum Epiſcopis & Diaconibus Philippis agentibus. Et 1. ad Timotheum cap. III. verſ. VIII. quales eligi debeant in Diaconos, docet. Quare negari non poteſt ipſos Apoſtolorum tempore fuiſſe.

Concilium Carthag. IIII. can. IV. refert qualiter olim ordinarentur, per impoſitionem ſcilicet manuum, vel manus Epiſcopi: quod etiamnum obſervatur vbique, vt conſtat ex Pontificali Romano, & Euchologio Græcorum. Ab Apoſtolis fluxit: ſi quidem Actorum VI. 6. dicitur: *Et orantes*, ſcilicet Apoſtoli, *impoſuerunt eis manus.* In Eccleſiâ Romanâ traditur iis inſuper liber Evangeliorum. Quod quam antiquum ſit, haud conſtat. Certè Durandi tempore necdum vbique obtinebat: cum ipſe in Eccleſiam ſuam Aniſienſem id primus induxerit, vt cum Romanâ in huius Ordinis collatione conveniret, vt ipſe dicit in IV. d. XXV. q. 3. n. 7.

Diaconorum inſtitutioni occaſionem dedit Græcorum murmur adverſus Hæbreos, quod iſti in quotidianâ demenſi diſtributione minus æqui Græcorum Viduis viderentur. Rem ad ſe delatam, Apoſtoli nec negligere voluerunt, quod æqua quærimonia videretur; nec ipſi per ſe rem curare poterant, ne nobilius Verbi Miniſterium negligerent. Monent itaque ex omni Diſcipulorum numero ſeptem Eligendos eſſe, eius rei curam habituros: quos impoſitis manibus ordinarunt. *Non eſt æquum*, ait ſacer textus, *nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus. ---- Et elegerunt Stephanum, ----- Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus.* Hæc Divina Hyſtoria.

Conſtat ergo Diaconorum Ordinationi occaſionem miniſtraſſe partialitatem eorum, qui bona in commune collata ſingulis diſtribuebant: vnde alij electi, qui majori cum integritate id officij adminiſtraturi viderentur. Hinc gravis oritur difficultas: an Diaconi ad vnum Menſarum miniſterium deſtinati fuerint? An vero ad ſacrum aliquod officium fuerint Aſſumpti? primum

primum asserunt Hęretici : secundum Catholici. Quod probamus ex S. Scripturâ, ex Concilijs, ex Patribus, & ex perpetuâ Ecclesiæ praxi in rationes verè Theologicas formatâ.

Ex Scripturâ : nam easdem propemodum in ijs qualitates requirunt Apostoli, quas in Episcopis. Act. VI. 3. *Vt sint boni testimonij, pleni Spiritu Sancto, & Sapientiâ.* Et 1. Tim. III. 8. *Pudici, non bilinques, non multo vino dediti, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei iu conscientiâ purâ.* Denique *Vnius vxoris viri.* Quo Digamos (quę Antiquissima est Irregularitas) à Diaconatu arcet. Nulla vero datur ratio, cur Digamos à mensarum prophanarum ministerio removeret, cum ex Digamis aliqui nihil minus apti sint ad rerum temporalium administrationem, quam monogami, vel ipsi cęlibes. Nec enimvero tam varia dona ad ministerium non sacrum; sed merè Laicum requirerentur. Adde quod Apostolus Diaconos à Sanctorum vulgo segregat, qui Laici sunt; & cum Episcopis conjungit. Philip. cap. 1. v. 1. *Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Denique ordinantur *per manuum impositionem*, ab Apostolis. De quo infra.

Probatur 2. ex Concilijs. Nicenum 1. Can. XVIII. iubetur deponi Diaconus, qui Eucharistiam vel Episcopo vel Presbitero distribuit. Vnde duplex argumentum eruitur, ad probandum Diaconorum Officium sacrum esse. Depositio enim pæna est solis sacris ministris inflicta, sicut Laicis Excommunicatio, atque Pœnitentia publica : sunt ergo Ministri sacri. Alterum argumentum est, quod permittatur illis Eucharistiam dare Laicis, (quia solum prohibentur dare ijs qui offerunt) dare vero venerabile Sacramentum Laicis, sacrum est ministerium.

Deinde Concilium Tridentinum ses. XXIII. Can. VI. Excommunicat eos, qui negant *Hierarchiam in Ecclesiâ Catholicâ Divinâ ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Diaconis, & Ministris.* Quare *Ministri*, sive Diaconi ad Hierarchiam spectant divinâ ordinatione institutam. Hęc porrò institutio ex ipsorum primâ ordinatione colligitur.

Obiter observa Albium famosum illum Dogmatistam in hanc Excommunicationem incurrisse videri, quatenus Diaconos extra Hierarchiam pellit. Hęc sunt eius verba tom. 2. Institut. Sacra. lib. 1. lect. VI. pag. 56. in fine : *Cum ipsum Diaconi nomen significet ministrum, & constet Ministros Magistratuum non esse Magistratus, consequens est neque Diaconos esse Hierarchas; sed pertinere ad Hierarchiam reductiuè, quasi instrumenta Hierarcharum.* Hæc ille. Sed longè alia sentit Tridentina Synodus, dum definit Hierarchiam ipsam tribus illis constare, adeoque quoslibet ex illis per se in Hierarchiâ esse, esse Hierarchas : Ipsius ratio in contrarium frigida est, ex solâ vocis etimologiâ, petita : cujusmodò argumenta quam infirma sint, nemo non videt. Sunt Sacrorum Ministri: ergo non Principes : quasi Angeli non essent Hierarchę, qui dicuntur ab Apostolo *Administratorij Spiritus* ? Aut Paulus, qui se subinde

Miniſtrum nominat, ideo Hierarcha eſſe deſineret. Aut nemo poſſet eſse Miniſter reſpectu vnius, Magiſtratus reſpectu alterius, cum tales neceſſariò ſint quilibet Magiſtratus medij. Apoſtolorum Princeps jubet Reges honorari propter ſe, & auctoritatem illis à Deo collatam: Duces itidem, quod à Regibus mittantur. Numquid non ſunt Duces Regum Miniſtri, ſubditique? Quis negat ideo eos eſſe Magiſtratus? An non ſimili ratione licebit alteri Sacerdotes è Hierarchiâ excludere, quia & ipſi Epiſcopis miniſtrant, ſicut Diaconi Sacerdotibus? Si dicas, Sacerdotes Diaconis, & plebi Catholicæ præeſſe: ac propterea Hierarchas eſſe. Dicam eidem plebi Diaconos præeſſe, & in eam actiones aliquas Hierarchicas exercere, vt dicetur. Quare ſunt Hierarchæ reſpectu Plebis. Et Albius id negans, contra expreſſum Tridentinæ Synodi Canonem, Excommunicationem incurriſſe videtur ab eâ latam.

Tertia probatio petitur ex Patribus, Agmen ducat antiquiſſimus Ignatius Epiſt. ad Trallianos: *Oportet & Diaconos, qui in Miniſterio ſunt* Jesv Christi, *omni modò placere: non enim cibi, & potus ſervitores ſunt; ſed Miniſtri Eccleſiæ Dei. Quid enim ſunt Diaconi, niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri, & operantes ei operationem mundam, & immaculatam.* Clemens Rom. lib. II. conſtit. Apoſt. cap. IV. Diaconos vocat Epiſcopi oculum, auditum, cor, os, & animam. Cyprianus Epiſt LXV. *Apoſtoli*, inquit, *Diaconos ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ Miniſtros.*

Quarta probatio deducitur ex rationibus Theologicis in Eccleſiæ praxi fundatis. Prima eſt: Ordinantur Diaconi ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, per manuum impoſitionem. De Apoſtolis patet en Act. VI. 6. de Epiſcopis verò ex Concilio Carthag. IV. can. IV. & ex Pontif. Rom. Ergo ipſorum ordinatio ſacra eſt.

Secunda: per Ordinationem ipſam Poteſtatem acquirunt annunciandi Evangelium publicè. Statim ac conſecratus fuit B. Stephanus, concionari cæpit: idque eâ virtute, vt non *poſſent, Iudæi reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Hieronimus licet Diaconis ſubiratus, & vt quibuſdam videtur minus æquus, hoc officium illis aſſignat. Deinde Baptizare ſolemni ritu laicis interdictum ſemper fuit; Diaconis idem permiſſum. Tertullianus lib. de Bapt. cap. XVII. *Ius dandi Baptiſmum ſummus Sacerdos habet, de hinc etiam Præsbiteri, & Diaconi.*

Tertia: Panem & vinum ad Sacrificium incruentum præparant. Jta Dioniſius lib. de Eccleſ. Hierar. cap. III. & Miſſale Rom.

Quarta: Sanguinem Chriſti diſpenſant. Jta acta S. Laurentij. Jmo corpus etiam. Jta Concil. Carthag. IV. cap. XXXVIII. Nec id vetar Concil. Nicenum can. XVIII. cum ſolum prohibeat dari corpus venerandum Epiſcopis, aut Sacerdotibus, non autem Laicis. Quod ſupra obſervatum.

Jmo videtur nonnullis permiſſum illis olim fuiſſe Pœnitentibus manus imponere

imponere, quod erat ſpecies quædam Abſolutionis. De quo Cyprianus Epiſt. XIII. De Lapſis: tametſi mihi certum videatur B. Cyp. ibi loqui tantum de Abſolutione ab Excommunicatione, idque in foro tantum externo.

Vltima denique ratio eſt: Digami in Diaconos non ordinantur, ex Apoſtoli decreto: Diaconi lapſi ſine ſacrilegio non reordinantur: graviter delinquentes depoſitione mulctantur: Annexum habent cælibatum, &c. De quibus alibi opportuniùs.

Dies: Hieronimus ad Evagrium aliter ſentit, Diaconos ſcilicet tanquam menſæ communis Miniſtros ordinatos fuiſſe. Reſpondeo: Sanctum Virum viſum aliquibus eſſe, modum exceſſiſſe in loquendi modo, ex irâ in Diaconum neſcio quem, adeo gradus ſui oblitum, vt ſe Præsbiteris non æquaret modò; verum etiam anteferret. Hujus ſtolidam ambitionem eâ vocum acerbitate caſtigauit Pius Pater, honoris Sacerdotalis Zelator ferventiſſimus, ei exprobratâ primæ inſtitutionis Diaconorum occaſione, perinde ac ſi cauſa totalis eſſet. Concilium quiniſextum, ſiue in Trullo, can. XVI. Similia verba habet: quæ pari modo explicantur, ſi tamen opus ſit talis Concilij verba explicare.

Ex dictis refellitur alius Albij nuper citati error, qui loco ſupra citato pag. 56. Diaconorum Ordinationem ait Eccleſiaſticam eſſe; non myſticam. Eos eum tantum in finem inſtitutos, vt menſis prophanis inſervirent: nec ad ſacra miniſteria adhibitos, niſi auctâ & plebis multitudine, & ceremoniarum Majeſtate. Hoc, inquam, refellitur ex dictis: cum impoſitio manuum Apoſtolorum, & Epiſcopornm, Sacramentalis & myſtica ſit Actio. Nec oſtendet Albius, aut ejus ſequaces, vllibi fundatam Eccleſiam, & inſtitutum Epiſcopum, ſine ſacro miniſtro, ex quo primum Hieroſolimis ordinati fuere, etiam in locis, vbi non erant numeroſi Fideles, nec præſcriptæ ceremoniæ.

CAPUT VII.

Sacerdos Legatus. Siue Mediator Deum inter & Homines.

PRIMA, quę in Sacerdotio occurrit, quam in eo veneramur, dignitas, ipſius Perſonam afficere, ei inhęrere videtur, per Sacerdotalem Characterem impreſſa, communi Dei, hominumque conſenſu in eum collata: Quod ſcilicet Mediator ſit Deum inter & homines; Deſtinatus à Deo ad homines; ab hominibus ad Deum. Sicut ergo per myſticam ſcalam Jacobo in ſomno oſtenſam, è terrâ Cælum ipſum tangentem, cui Deus inniti videbatur, Angeli aſcendebant ad Deum, deſcendebant ad homines: Jta homo per Sacer-

Sacerdotium inter eosdem constitutus, ascendere debet ad Deum, vt hominum preces ei offerat : descendere ad homines, vt referat impetrata. *Versatur Sacerdos inter altaria semper*, ait B. Petrus cognamento Chrysologus, *Peccatorum causas, & dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces : accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus.* Hęc aurea Chrysologi verba docent Sacerdotum cuncta hominum negotia, tum hujus, tum secuturę vitæ, tum corporis, tum animæ curare debere apud Deum. Duæ enimverò voces illæ *Peccata*, &, *Dolores*, omnia complectuntur, prima quæ animam, alia quæ corpus.

De hac Legatione clarissimè loquitur B. Cælestinus 1. Epist. ad Galliarum Episcopos, de Gratiâ Dei, pro B. Prospero, & Hilario, cap. 11. *Obsecrationum Sacerdotalium Sacramenta respiciamus*, inquit, *quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholicâ Ecclesiâ vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim Sanctarum plebium Præsules mandatâ sibi LEGATIONE funguntur, apud Divinam clementiam humani generis agunt causam, & totâ secum Ecclesiâ congemiscente postulant, & precantur, vt Infidelibus donetur Fides, vt Idololatræ ab impietatis suæ liberentur Erroribus, vt Iudæis ablato velamine Lux Veritatis appareat, vt Hæretici Catholicæ Fidei perceptione recipiscant, vt Schismatici spiritum rediviuæ charitatis accipiant, vt Lapsis Pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique Catechumenis ad Regenerationis Sacramenta perductis, Cælestis Misericordiæ aula reseretur.* Hæc B. Cælestinus.

Verum vt maxima sit viri verè Apostolici auctoritas, habemus tamen firmiorem adhuc propheticum sermonem, ipsius Apostoli : hanc enim Legationem Sacerdotis ad Deum ab hominibus, paucis quidem verbis, sed ijs clarissimis, complexus est Gentium Doctor : Heb. V. 1. *Omnis Pontifex*, ait, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Hæc B. Apostolus. vbi licet *Pontificem* nominet, quæ vox solo Sacerdotio initiatis rarissimè, si tamen aliquando, tribuitur de Sacerdote simplici tamen intelligi debere facile fatebitur, quisquis novit non solius Pontificijs ; sed etiam Sacerdotum esse offerre *Dona & Sacrificia*, idque pro peccatis, licet annuatim peculiare quoddam sacrificium peragendum esset à solo Pontifice, cum semel quotannis Sancta Sanctorum ingrederetur. Proinde Apostoli verba de Sacerdote quolibet verificantur : quia quilibet Sacerdos ex hominibus assumitur, pro ijs substituitur, ab ijs destinatur, qui dona Deo grata offerat, vt eum peccatis offensum placet. Est ergo Legatus hominum ad Deum.

Observatu digna sunt illa etiam Apostoli verba : *In ijs, quæ sunt ad Deum.* Quæ quàm latè pateat Sacerdotum officium, ostendunt : Siquidem ad eorum ministerium spectat quidquid ad Deum spectat, hoc est, quidquid à Deo vel petimus, vel speramus, vel accipimus. Non tamen eodem modo : primariò quippe respicit spiritualia, quæ in duobus sequentibus capitibus

pitibus aliquâ ex parte enarrabuntur ; ſecundariò vero temporalia.

Nec hominum ſolum Legatus eſt ad Deum Sacerdos ; verum etiam Dei ad homines. Chriſtus JESVS Dominus noſter primus eâ Legatione functus eſt. Verùm cum in eo violentâ morte ſublato jus Gentium violatum eſſet, Sacerdotes alios nouæ, ideſt ſuæ, Legis Miniſtros ſibi ſubſtituit. Audiamus eundem Apoſtolum, ne videar in re tanti momenti abundare in ſenſu meo, & nimium ingenio indulgere. Hæc habet II. Cor. V. à v. 18. *Omnia ex Deo*, inquit, *qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis : quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum : & poſuit in nobis verbum reconcilialionis. Pro Chriſto ergo* LEGATIONE *fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Hæc Apoſtolus.

Videmus hic juxta mentem Apoſtoli, Sacerdotes *pro Chriſto Legatione fungi*, à Deo deſtinari, non vt Feciales, qui bellum denuncient ; ſed illis *Miniſterium Reconciliationis* commiſſum, vt Legatos mitti, oliuam, Pacis ſymbolum, præferentes.

Vnde Patet aliquid inexpectatum, non alias à Sacerdote Pacis conditiones mundo reconconciliando conſtitui debere, quam quas à Deo, cujus Legatus eſt, accepit. Sicut Legati non alia Regis ſui nomine Rebellibus eius ſubditis mandata exponere debent quam quę à Rege præſcribuntur. Cum ergo loquvntur, non ſua ; ſed Dei verba proferent, non ſuum ; ſed Dei ſenſum exponent, non ſuam, ſed Dei voluntatem fieri requirent. Et ſicut Luna, cum terram illuſtrat non aliud in eam lumen refundit, quam quod à Sole luminis fonte mutuatur, & deſinit illuminare, ſi non amplius illuminetur à Sole : ſic Sacerdos dum Homines alloquitur, nihil niſi hauſtam à Patre luminum veritatem exponet, arrectis auribus Dei voces excipere debet, atque dicere : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Hoc ſi ritè fiat, *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ.* Auguſtinum dum concinaretur præter intentionem ſuam ad impugnandum Manicheiſmum delapſum, Deo interius impellente, ad converſionem cujuſdam illâ hęreſi infecti narrat Poſſidius in eius vitâ cap. XV. & ipſe Auguſtinus lib. IV. de Doctrinâ Chriſt. cap. XV. Suadetqne ante concionem orandum eſſe, eam ob cauſam.

Nec ſolùm Deum irretortis oculis inceſſanter intueri debet, vt eius mentem percipiat, eique ſuam exactè conformet ; ſed quo certius eam aſſequatur, ne à *Satanâ in Angelum lucis ſe transfigurante* decipiatur, Prædeceſſorum ſuorum veſtigia religiosè premat, nihil dicat, niſi ab ijs dictum, nihil doceat, ab ijs non acceptum, nihil tradat, nihil faciat, nihil faciendum imperet, de ſuo. Sic Legatus non ſuum ; ſed Regis ſenſum exponit, ſæpe ijſdem verbis, ſemper eâdem ſententiâ. Hac ratione ſuorum deceſſorum ſimilis, & quodammodo idem efficietur, ijſque ſuccedet non tempore tantum ;

ſed &

ſed & doctrinâ, nec eorum dignitatis ſolius; verum etiam Fidei Hæres ex Aſſe con probabitur, Chriſti Apoſtolorum, Priſcorum Eccleſiæ Patrem, imitator egregius. Chriſtus enimverò Patri Conſubſtantialis à Patre miſſus eſt in mundum: *Et quæcunque audiuit à Patre ſuo nota fecit nobis.* Ioan. XV. 15. Spiritus ſanctus à Patre Filioque miſſus eſt: & *non eſt locutus à ſemetipſo; ſed quæcunque audivit locutus eſt.* Joan. XVI. 17. Apoſtoli à Spiritu Sancto miſſi ſunt: & *quod viderunt & audierunt*, hoc *annunciaverunt nobis.* 1. Joan. 1. Pontifices, Apoſtolorum ſucceſſores, tum ſeorſim ſinguli Eccleſias ſibi creditas regentes, tum in Concilia convocati totam Eccleſiam docentes, ad eandem amuſſim ſua decreta formarunt. *Quod traditum eſt non innovetur*, ait Stephanus PP. apud Cyprianum. Sacerdos in partem ſolicitudinis Paſtoralis ab Epiſcopo adſcitus, *nihil præter voluntatem Epiſcopi facere debet.* Ignatius: & paſſim canones idem adſtruvnt. Quare nec alia ſentire debet, quam quę ſenſerunt antiqui, nec nova docere, nec excogitata ingeniosè tradere. Sit omnibus *vnus Deus:* in omnibus *vna fides:* apud omnes *vnum Baptiſma.* Et erit in præſenti, omnium vna Eccleſia militans, in futuro vna Eccleſia triumphans.

CAPUT VIII.

Sacerdos Iudex, ſiue Poteſtas eius in Corpus Chriſti Myſticum.

Poſitum in Sacerdotibus *verbum Reconciliationis*, vidimus, ex S. Paulo ſupra laudato. Quantam Poteſtatem adjunctam habeat illud verbum, modò videndum. Nec enim in Sacerdote iners eſt; ſed efficax, non ad proponendam ſuadendamque reconciliationem, vt in pleriſque Legatis fit, valet; ſed ad illam efficiendam, vbi materiam invenit ad id præparatam: non indicat morbum; ſed medetur: non probat vulnus; ſed ſanat, non ſignificat mortem; ſed ad novam vitam ſuſcitat.

Hæc autem Poteſtas tam ſingularis, tam eximia eſt, vt Judæis olim perſuaſum fuerit mortalium nemini, imo nec Beatis illis ſpiritibus Dei vultum perpetuò videntibus, communicari poſſe. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Inquivnt: quaſi dicerent, neminem id poſſe. Inde Chriſto Domini horrendum Blaſphemiæ crimen exprobrarunt, quòd peccata mulieri Pœnitenti dimiſſa pronunciaſſet? Quibuſcum aliquo modo convenire videntur Novatiani, negantes homini commiſſam à Deo Poteſtatem remittendi peccata. Auguſtinus & Anſelmus, licet Catholicam hac in re Doctrinam tueantur, adeo tamen efferunt iſtam facultatem, vt ſupra naturę vires collocare videantur. Ille tract. LXXII. in Joan. *Majus*

hoc eſſe

hoc eſſe dixerim, quam eſt cælum, & terra, & quæcunque cernuntur in cælo, & in terrâ.) Iſte lib. de Libero Arbitrio, cap. X. *Majus miraculum exiſtimo voluntati deſertam reddere rectitudinem, quam mortuo vitam amiſſam.*

Datam tamen à Chriſto D. talem poteſtatem Sacerdotibus indubitatum eſt inter veros Catholicos. Nihil enimverò clarius eſſe poteſt illis Chriſti verbis: Mat. 18. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* q. d. talem dabo vobis poteſtatem in peccata, vt ea vel remittere, vel retinere poſſitis, vt quodammodo ante Judicium judicetis, & ut Judicium veſtrum in terra, ſit veluti præjudicium in cælo, ſitque veluti regula atque norma Divini: quaſi non aliud *ratum* ſit habendum *in cælo, quam quod Petri*, ſacerdotumque ſediſſet *arbitrio*: Ut dixit quidam Pater. Sacerdotes enim in hoc, Petro, Apoſtoliſque pares ſunt, cum ijſdem eadem verba dicantur in ſua conſecratione, adeoque eâdem poteſtate potiantur.

Et olim Novatiani, & recens moderni Novatores, nimiam iſtam in homine puro Poteſtatem eſſe prætendunt: eamque ſoli Deo, ejuſque Chriſto propriam eſſe contendunt, idque ob illius honorem, vt mentiuntur; cum non aliud eos moveat, quam Eccleſiam vituperandi furor. Audiamus Ambroſium lib. 1. de Pænit. c. II. vbi & efficaciter eximiam illam virtutem Sacerdotibus aſſerit, & futilem Hæreticorum Cavillum elidit, his verbis: *Aiunt Novatiani* (idem de Calvinianis dictum puta) *ſe Domino deferre Reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervant. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus mandata reſcindere volunt. Nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit: quæcunque ligaveritis, ------. Quis eſt qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet.* Hæc Ambroſius. Quæ tam perſpicuè fucatam hæreticorum pietatem detegunt, & veram impietatem redarguunt, vt prophetico ſpiritu prolata videri poſſint, ad obſtruenda tanto poſt tempore eorum ora, qui locuturi forent iniqua.

Nec ſingularis eſt Ambroſius, ſimilia habent alij. Leo epiſt. XCI. ad Theodorum Foro Julienſem: *Multiplex Miſericordia Dei*, inquit, *ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Baptiſmi gratiam; ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent, ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit Poteſtatem, vt & Pœnitentibus ſatisfactionem Pœnitentiæ darent; & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum, per Ianuam reconciliationis admitterent.*

Chryſoſtomus lib. III. de Sacerdotio. Οἱ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον,

ἦν οὔτε ἀγγέλοις οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ θεὸς. ὃ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται. ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον. οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς· καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς· ταῦτα ὁ θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τοῦ δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. καὶ τί γὰρ ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τοῦ οὐρανίου ἔδωκεν ἐξουσίαν. ὧν γὰρ δὴ φησιν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται· καὶ ὧν ἂν κρατῆτε, κεκράτηνται· τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσία μείζων; πᾶσαν τῷ υἱῷ κρίσιν ἔδωκεν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ· ὁρῶ δὲ πᾶσαν αὐτοῦ τούτοις ἐγχειριζόντας ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. Hoc eſt : *His qui terram incolunt, atque in eâ verſantur, Commiſſum eſt, vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent, ijs data eſt poteſtas, quam nec Angelis, nec Archangelis dare voluit Deus. Nec enim ad illos dictum eſt : quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo : & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Habent quidem & terreni Principes vinculi Poteſtatem ; ſed in corpora tantum : Hoc autem Sacerdotum vinculum animam ipſam attingit, & cælum pervadit : adeo vt quicquid fecerit infernè Sacerdos, illud Deus ſupernè ratum habeat, & ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Quid hoc eſt, niſi quod omnium cæleſtium rerum illis Poteſtas à Deo conceſſa eſt ? Quorumcunque, ait, peccata dimiſeritis, dimittuntur ijs ; & quorumcunque retinueritis retentaſunt. Pater omnem Filio Poteſtatem dedit : ſed hanc eandem omnimodam Poteſtatem à Filio datam Sacerdotibus, video. &c.*

Gregorius hom. XXVI. in Evang. circa medium : *Libet intueri illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum gloriæ culmen ſint perducti. Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiunt ; ſed etiam alienæ obligationis Poteſtatem Relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni Iudicij ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic ſic eos à Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt : & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant.*

His ſimilia paſſim occurrunt apud Patres. Videantur Auguſtinus ſerm. XXXXIV. de verbis Dom. c. VI. & homiliâ vltimâ in Libro L. Homil. Baſilius quæſtionibus brevior. q. CCLXXXVIII. Hilarius in Matth. Cyril. Alex. Lib. XII. in Joan. ad Cap. XX. & Theophilactus in eundem locum. Videatur & Tridentina Synodus Seſſio. XIV.

Hinc meritò dictum à Bonaventurâ L. 11. de Eccleſiaſt. Hierarchia c. 1. *Recognoſcant*, ſcilicet Sacerdotes, *quod à Domino vniverſæ terræ receperunt ſupremum Dominium & à Diebus ſæculi non ſolum hominibus ; verum etiam Angelicis poteſtatibus inauditum.*

Faceſſant ergo Novatores tum Priſcorum, tum Moderni ſæculi cum ſuâ fucatâ humilitate, & verâ, magnâ, pudendâ ſuperbiâ, repudiantes eam Poteſtatem, quam Chriſtus Sacerdotibus conceſſit, quaſi eâ indigni forent.

forent. Casta Humilitas, sincera obedientia, integra reverentia requirit, Dei dona humilitèr agnoscamus, etiam dum ijs nos indignos esse & sentimus & profitemur, *Thesaurum* nobis datum esse testemur, cunctis Cræsi divitijs opulentiorem, licet nos nihil, quo illum excipiamus, præter Lutea, terrena, fictilia vasa habeamus : *vt sublimitas sit virtutis Dei ; & non ex nobis.* Hoc exigit veritas, hoc humilitas, hoc in tam beneficum Dominum gratitudo.

Quas in judicio ferendo regulas observare debet Sacerdos, ne, aut dignum absolutione liget, aut indignum absolvat, vexatissima est hoc sæculo controversia, propter pugnantes eâ de re Theologorum sententias contentiosissimè ventilatas. Eorum, quibus ob materiam, quam explicant, Casuistarum nomen impositum est, opiniones, sive sententias pro regulâ Sacerdotibus in Conscientiæ foro judicantibus abundè sufficere visum est Concilijs Mediolanensi primo sub B. Carolo Borromæo, & Mechlinienſi sub Matthiâ Hovio : quæ aliquorum ex illis lectionem suarum Provinciarum Parochis, alijsque Confessarijs impensè commendant. At exorti recens Anti-Casuistæ, auti-Scholastici, anti-Theologi, Prædestinatiani redivivi, pugnant illos non audiendos, cæcos Duces esse, intutum esse illos sequi : Quem tamen illis aut præponant, aut opponant, neminem habent. Solis jocis, dicterijs, scommatis pugnant plerunque.

Quorsum hæc eorum studia tendant, licet maximâ diligentiâ id dissimulent, vident multi, declaravit Clarissimus *du Bail*, S. T. Doctor, & Propænitentiarius Parisiensis, in Præfatione ad Lectorem duobus tomis quibus Concilia vniversa complexus est, præfixâ, §. *Nec ad alium scopum*, dirigi scilicet ista ad ostendendam mandatorum Dei impossibilitatem. Fidei Dogma, huic à Patribus sub Anathemate prohibitæ sententiæ Contrarium aperto Marte, Clarâ luce impugnare Conatus est horum Patriarcha. Cæterùm cum ea aggressio totam Ecclesiam ad illud asserendum adversum eum armasset, illud ejus asseclæ cuniculis aggrediuntur : & eorum regulas stabiliri volunt, alijs omnibus abrogatis, vt re ipsâ mandata Dei & Sacerdoti Judici, & Pœnitenti, sive Reo judicato, hoc est, omnibus hominibus, pœnitus impossibilia evadant. Talia sunt quæ de peccatis ex ignorantiâ docent.

Non deesse in aliquibus Casuistis aliqua, quæ jure meritò damnentur, vltro fateor. Decreta Pontificia tum Alexandri VII. tum Innocentij XI. aliquas eorum sententias damnantia, veneror. Aliquid humani passos esse viros illos, tametsi alioqui magnos, non infitior. Novi eâ lege nasci homines, hominumque opera, vt sine crimine & nemo, & nihil sit: soli Deo, Divinisque operibus id Privilegij conceditur, ut nihil in ijs reprehensibile occurrat. In alijs aliqua secius aut dicta, aut facta, vbi varia bona insunt, condonari debet. Quis ergo feret, ob Leves aliquas deviationes, totam Moralistarum gentem explodi, velut luce indignam, er-

rorum officinam, depravandis, non verè formandis moribus natam, idque ab ijs, qui nihil par, nihil ſuppar, aut perficere, aut concipere potuerunt?

Verùm ſentio me in rem ab inſtituto meo alienam, delapſum ſenſim eſſe. Redeo igitur ad rem meam: Admonitis prius Sacerdotibus in conſcientiæ tribunali judicantibus, legant Caſuiſtas, ſed vt homines cum judicio ſequantur eorum ſententias, ſed cum delectu, mentem amplectantur vbi à verò non deprehenderint errare: quod non ita ſæpe occurrit. Vbi aliquid humani paſſos eſſe conſtiterit, homines fuiſſe cogitent, & ſe quoque meminerint homines eſſe, errori obnoxios. Sic veniam petimus, damuſque viciſſim. *Sic ingrediamur omnes charitatis viam, quærentes eum de quo dictum eſt, quærite faciem eius ſemper.* Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. III.

Laxitates nimias, & legi Dei, aut Eccleſiæ verè contrarias, ſi quæ verè tales ſint, abominor. Non minus tamen errant, qui ex nimis arctâ legis explicatione, anxietates procreant nihil profuturas. Medium tenuere Beati. Meminerimus Propheticum *Væ*, non eos tantum ferire, qui dicunt malum bonum; ſed etiam qui dicunt *bonum malum.* Vt ęquè culpandos eſſe conſtet, qui actiones bonas damnant; ac qui malas approbant. Hoc ſi benè conſiderent aliqui, haud tam precipites erunt in ferendis cenſuris.

CAPUT IX.

Sacerdos Conſecrans: ſive Poteſtas Sacerdotis in Corpus Chriſti verum.

MAgna, & mirabilis eſt illa, quam explicui, Sacerdotum Poteſtas, longè tamen major illa, quam aggredior explicare: in verum ſcilicet Chriſti Dei & hominis Corpus, quod Sacerdos Sacro ore conficit. Nec enim tantum illud diſtribuendi facultatem habent (quod ipſum eſſet & ſummæ dignationis ex parte Dei, & ſummæ dignitatis, ex parte hominis) verum & conficiendi, hoc eſt Deum aliquo modo producendi. Eſſe Matrem Dei, ſumma eſt, quæ in puram creaturam cadat, dignitas, infinita quodammodò ratione termini illius verè admirabilis relationis, & non omni humanâ modo, verum Angelicâ amplitudine excelſior. Nulla illi propior, quam iſta Sacerdotum per conſecrationem Deum eundem producendi, de eo producto diſponendi. Jmò ſi rem attentius inſpiciamus, non ſolum illius virgineæ fœcunditatis æmula eſt iſta facultas idem Corpus Chriſti conficiendi à Virginibus Sacerdotibus; ſed illam aliquo modo (fas ſit ita loqui) præcellit: quem enim Beata Deipara ſemel Jmmaculatâ aluo ſuâ pro creauit,

creauit, eum deinde nullo modo effudit, nec effundere potuit: at verò Sacerdotes ita eum ad ſacrum Altare procreant, vt quotidie eundem procreare non ceſſent. Adeoque videtur iſte procreandi modus æmulus divinarum illarum operationum, quâ Divinæ Perſonę & producunt, & producuntur, & ipſius æternæ generationis, quâ Pater immenſæ Majeſtatis ore ſuo benedicto, & diviniſſimo venerandum ſuum verum & vnicum Filium, Verbum Divinum profert, & dicit, quod ore ſacratiſſimo Sacerdotes. Similior eſt ergo iſta productio Sacerdotum æternæ Filij generationi ex Patre, quam temporali ex matre: Mater enim ita ſemel genuit, vt non amplius eſſet genitura: Pater ita genuit, vt etiamnum gignat, & in æternum geniturus ſit: Sacerdos ita produxit, vt iteratò producat, & ſit in finem vſque mundi producturus.

Meritò proinde S. Bernardus ſerm. in Cœnâ Domini. *Quicquid*, inquit, *de aſcenſu Sacerdotis in illâ horâ, ſeu profectu cogitari poteſt, longè infra dignitatem veritatis eſt.* Et infra. *O præclara & veneranda Poteſtas veſtra? Certè non eſt Poteſtas poſt Deum, ſicut Poteſtas veſtra. Forſitan audire vultis, quanam ſit iſta Poteſtas veſtra? Cui nihil in Cœlo vel in terrâ valeat comparari. Ad quod ego: conſecrare videlicet Corpus, & Sanguinem Domini. Super Poteſtate veſtrâ, ſuper tam inſigni ſpectaculo, ſuper tam ſolemni Dignitatis veſtræ privilegio, ſtupet cœlum, miratur terra, contremiſcit homo, reveretur plurimum Angelica celſitudo.* Hæc ibi. Videndus idem Sanctus Pater ſermone ad Paſtores in Synodo Congregatos, qui incipit, *Reverendi Fratres.*

B. Chriſoſtomus lib. III. de Sacerdotio, hæc habet. *Sacerdotium ipſum in terrâ quidem peragitur; ſed in rerum cæleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt: & id perquam merito, quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia; ſed ipſe Paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus, Author fuit, vt Angelorum miniſterium animo conciperent.* Et infra: *Dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfuſam precioſo illo ſanguine tingi, ac rubeſieri, etiamne te inter mortales verſari, atque in terrâ conſiſtere cenſes? An non potius è veſtigio in Cælos transfereris? An non carnis cogitationem omnem abijciens animo, mente tota circumſpicis quæ in cælo ſunt? O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit, volentibus ipſum excipere, atque complecti,* Plura in eundem ſenſum videri poſſunt ibi.

Nihil itaque mirandum eſt, ſi B. Ephrem iſtam quâ de loquimur virtutem appellet: *ſtupendum miraculum, atque inexplicabilem poteſtatem. Et alibi: Donum, quod intelectum, & Orationem omnem cogitationemque excedat.*

CAPUT X.

CAPUT X.

Non omnes fideles esse Sacerdotes.

LVtheri dogma fuit, Fideles omnes esse Sacerdotes. Quæ quam pernicioſa ſit doctrina, eventus declaravit. Hinc enim conſtat ortam esse fædam illam ſectarum colluviem, farraginem hæreſum, prodigioſam Schiſmaticorum Altare contra Altare erigentium multitudinem: vt minimè dubium esse poſſit, ipſummet ſi viveret, & prudentes quoſque illius diſcipulos pudore ſuffundendos esse, ob tam fædum dogma quod fæcundâ malorum aluo tot monſtra peperit, quæ totum Chriſtianum Orbem populata ſunt, & populantur.

Contraria veritas à Synodo Tridentinâ ſolemni decreto firmata eſt, ſeſſione VII. can. X. *Si quis dixerit, inquit, Chriſtianos omnes in verbo, & Sacramentis adminiſtrandis, habere poteſtatem, anathema ſit.* Deinde ſes. XXIII. cap. IV. eandem invictâ ratione probat: *Qui omnes Chriſtianos promiſcuè novi Teſtamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter ſe Spirituali Poieſtate præditos affirmat, nihil aliud facere videtur, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata, confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam, omnes ſint Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes ſint Doctores.* Hæc Sancta Synodus. Confirmatur: nam B. Paulus ait Pontifices (eadem ratio eſt de Sacerdotibus) *ex hominibus aſſumi, & pro ijs conſtitui in ijs quæ ſunt ad Deum.* Vnde ſequitur non omnes homines esse Sacerdotes. Ineptè quippé, imò & falſò dicitur in aliquos convenire ex alijs electos, pro alijs conſtitutos, quod perinde de omnibus verificatur. Ne ergo blaſphemè dicamus Apoſtolum inepté locutum, dicendum eſt, plebem Chriſtianam vniverſam non esse Sacerdotes.

Probatur 2. ex perpetuâ Eccleſiæ praxi ab initio mundi. In nullâ enim lege adeo vulgatum fuit Sacerdotium: ipſi Pagani inter præciquos Magiſtratus, atque primos Ordines, Sacerdotes retulerunt: in Lege naturæ ad ſolos primogenitos reſtringebatur, aut ad Patres familias. In lege Moſaicâ tametſi tota plebs ex Patriarchis deſcenderet, non tamen toti licuit ad Altare aſcendere; ſed ſolis Levitis. Et quicunque ſibi Sacerdotium arrogarunt, haud impune tulerunt: vt *Dathan* & *Abiron* ex tribu *Ruben*. Quin & *Core* tametſi Levita, ſed non tamen ex familiâ Sacerdotali oriundus, ob ſibi arrogatum Sacerdotium, & arreptum Thuribulum, vnà cum ſocijs perijt. Hi tamen eandem cum hæreticis rationem allegant. Num. 16. *Omnis multitudo Sanctorum eſt. Cur elevamini* ô Sacerdotes, *ſuper populum Domini?* ſed non ſufficiebant iſta ficulna ad tegendam improbitatem, quin a Dei oculo omnia

omnia pervidente videretur: qui tam immanis peccati pœnas citò exegit, diruptâ infra eorum pedes terrâ, quasi tam gravis sceleris ponderi sustinendo impar esset. Minus tremendâ, æquè tamen manifestâ pœnâ, castigata fuit Oziæ Regis ambitio, qui cum Thus adolere vellet, Leprâ percussus est: sic qui Sacerdotij consors contra jus & fas esse voluit, ex hominum consortio ejectus est, & qui ad altare voluit ascendere, de Throno descendere debuit, relictis successori suo Regni habenis. II. Paral. cap. XXVI.

Prob. 3. ex Patribus. Clemens R. lib. III. Constit. Apostol. cap. XV. disertè dicit, *Non omnes qui baptizantur effici Sacerdotes.* August. serm. XLIX. de verbis Dom. docet Sacerdotum esse offerre Sacrificia; nec verò Laicis id permittendum. Concil. Nicenum. I. Can. XVIII. Diaconis negat licere offerre sacrificia: quantò magis id cuilibet è Plebe negaret? Concil. Lateran. sub Innocentio III. docet Eucharistiam non nisi à Sacerdotibus confici posse. Videantur Hieronimi verba ad Evagrium. Videantur etiam, quæ diximus c. VI. de Diaconis. Enimverò si istorum status, à Plebe discretus, supra plebem elatus sit, à fortiori id de Sacerdotum officio dicendum.

Confirmatur: quia sæpe sacra Scriptura de sacris Altaris ministris loquens, eos ab alijs longè secernit. B. Apostolus Rom. I. ait *segregatum se in Evangelium Dei*, ἀφωρισμένον & Actor. XIII. de Paulo & Barnabâ ad Apostolatum vocatis loquens, ait: *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos.* Accedunt quæ de Episcoporum auctoritate loquuntur scripturæ; de quibus infra.

Probatur vltimò ex eo quod Sacerdotium sit Sacramentum: in ejus collatione gratia detur. Vt constat ex II. Tim. 1. *Admoneo te, vt suscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Hoc autem Sacramentum non est Laicis collatum, cum illis manus Episcoporum impositæ non sint, non sunt ergo Sacerdotes. Deinde *Episcopos constituit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Act. XX. Ergo omnes fideles non sunt Sacerdotes, & Episcopi: alioqui quinam regerentur?

Objicitur 1. Princeps Apostolorum, 1. Petri II. Fideles omnes alloquens, ait esse *regale Sacerdotium, gentem Sanctam*, &c. Et Apocal. I. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes*; quæ verba cap. V. repetuntur. Numquid inde bene sequitur omnes Christianos esse Sacerdotes? Respondeo id non sequi. Sicut enim duplex est Sacrificium, vt observat S. August. L. X. de Civit. Dei cap. VI. aliud generale, quod comprehendit omnes actus bonos ad Dei honorem factos: Aliud particulare, & strictè dictum, quod de solo incruento Novæ Legis Sacrificio dicitur. Sic etiam duplex est Sacerdotium, aliud generale, respectu Sacrificiorum primi generis, quod S. Hieronimus dialogo adversus Luciferianos vocat *Sacerdotium Laici:* Aliud strictè sumptum, ad Missæ Sacrificium offerendum. Hoc modo dictum Sacerdotium Laicis non convenit; sed ijs tantum, qui Sacerdotio initiati sunt. Respondeo 2. aliter

dici

dici posse Sacerdotes, quia vnum corpus mysticum cum Christo magno Sacerdote nostro componunt, sic Augustinus lib. XX. De Civit. Dei cap. X. *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi*, inquit. *Non vtique de solis Episcopis, & Presbiteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesiâ Sacerdotes. Sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum Chrisma, Sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt vnius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus: Plebs sancta, regale Sacerdotium.*

Petes: quandoquidem & Laici aliquomodo sint Sacerdotes, quare non licebit absolutè dicere omnes esse Sacerdotes? Respondeo: juxta Sophistas, Analogum per se sumptum stat pro principali Analogato. Ratio autem Sacerdotij analogicè tantum convenit Laicis. Vnde de illis non dicitur, Sic Jmago dicitur *Homo pictus*; non item *Homo.*

Objcitur 2. Tertullianus lib. de Exhortatione Cast. cap. VII. *Nonne Laici Sacerdotes sumus*, inquit, *Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem & Plebem Constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus. Adeo vbi Ecclesiastici Ordinis consessus non est, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi solus. Sed vbi tres, Ecclesia est, licet Laici.* Respondeo: desultorium Tertulliani ingenium in hâc parte nullam meretur auctoritatem: qui cum eum librum scripsit, in Montani partes transierat, apud quos vilescebat Sacerdotij nomen, ob insitam quibusque Hæreticis superbiam. Hinc & Laicos Clericis pares fatebatur. Nec tamen constans in eâ fuit opinione: cum cap. XII. ejusdem operis ait: *Cum extollimur adversus Clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri facit. Cum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus.* Ex superbiâ proinde provenit ambitiosa Sacerdotalis nominis appellatio, teste ipso Tertulliano. Hæc scripsit, postquam à fide defecerat, antea vero simpliciter exprobrat hæreticis, quod Sacerdotalia munera Laicis injungerent. lib. de Præscript. cap. XXXXI. vbi Catholicè loquitur, & suggillat contraria sentientes.

Objcitur 3. liquet ex Missali Laicos etiam offerre Sacrificium strictè dictum novæ legis. Sunt ergo Sacerdotes strictè dicti. Probatur Antecedens: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Deinde Sacrificium illud dicitur Populi Sacrificium: *Vt meum, ac vestrum Sacrificium.* Respondeo: populi Sacrificium dicitur, quia Sacerdos populi nomine illud offert. Deinde quia ipse vnâ cum Sacerdote vnam mysticam personam sacrificium illud offerentem efficiunt. Certè figuratam esse locutionem nemo dubitat, cum plebs nec cogitet de offerendo sacrificio: Adeoque dici non possint strictè illud offerre: cum oblatio illa actio sit humana, quæ fieri non potest sine intentione facientis, ipsiusque voluntate.

CAPUT XI.

CAPUT XI.

Sacerdotum Officia alia.

POtissima Sacerdotum officia iam descripsimus, dum eos Deum inter & homines mediare docuimus, dum judicare, & sacrificare: nunc quę alia illis competant, videndum.

Quartum eorum officium, est solemni ritu baptizare. Dico *solemni ritu*, quia Baptismi non solemnis administratio Laicis, etiam fæminis permittitur: & obstetrices ad id officij admitti non solent, privsquam ostenderint, se ritum Baptisma ministrandi callere. Cæterum solemnis baptismi administratio Sacerdoti reservatur, & ejus commissione, Diacono.

Quintum est, Eucharistiam distribuere. Panem illum vitæ de cœlo accersit, consecratione: illum deinde fidelibus distribuit. Cum vtraque species omnibus distribuebatur, Diaconorum auxilium adhibebat, ad Calicem dispensandum, vt alibi dictum, nunc cum calix non amplius distribuatur Laicis, Sacerdos omnia solus peragit.

Sextum est Jnfirmos vngere. Hoc enim divino jure Presbiteris solis competit. Jacob. V. XIII.) *Inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum* (infirmum) *vngentes eum oleo in nomine Domini.* Quæ verba adeo clara sunt, vt nusquam legerim alicui non Sacerdoti commissam hujus Sacramenti administrationem.

Septimum est matrimonium ineuntibus adesse, ijsque benedicere. Jpsum ministrare hoc Sacramentum haud assero, quia communis & indubitata sententia est, ipsos contrahentes ministri vice fungi: & Sacerdotem vt testem adsistere, quosine nihil validè fiat. De quo videantur Theologi.

Ex quibus constat quinque Sacramentorum administrationem à Sacerdote pendere: Baptismi, scilicet, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremę Vnctionis, & matrimonij. Duo reliqua, puta Confirmatio & Ordo, Episcopalia dicuntur, quia non nisi ab Episcopis administrantur.

Octavum est concionari. Enimverò cum Diaconis permissum dixerimus verbi ministerium, dubitari non potest Sacerdotibus permitti. Quid quod Apostolus dicit duplici honore dignos, *qui laborant in verbo*, & doctrinâ. 1. Tim. V. Porrò quales esse debent divini verbi concionatores, tradit Concilium Senonense cap. XXXVI. ex B. Gregorio. Videatur Beati Francisci Salesij Epistola XXXI. libri primi Epistolarum Spiritualium, vbi veram Evangelicæ concionis materiam, & formam describit.

Negant hæretici aliqui Sacerdotes habendos esse, qui non laborant in verbo. Nec mirum id negent, qui nullum Sacerdotis officium agnoscunt,

præter illud concionandi. *Abyſſus abyſſum invocat*, & errorem error. Hoc enim erroneum eſſe liquet ex dictis, vnde patet alia, & verò diviniora eſſe Sacerdotum officia, quæ veneramur. Apoſtolum ſequimur Authorem, qui vt vidimus 1. Tim. V. ait, *duplici honore dignos eſſe præsbiteros, qui benè præſunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ.* Ex quibus verbis ſequitur 1. Prębiteros aliquos fidelibus præeſſe, qui non laborant in verbo, id eſt, non concionantur.

Sequitur 2. eos duplici honore dignos, ſi benè præſint.

Sequitur 3. potiſſimum honorandos concionatores.

Enimverò qua rationis vmbrâ negare poterimus vtiles eſſe Eccleſiæ, qui, licet non concionentur, tamen peccato originis infectos abluvnt, qui peccata confitentibus aures præbent, eaque poteſtate divinitùs acceptâ remittunt, qui oblato propitiatorio ſacrificio Deum iratum placant, qui Cæleſtem panem vitę famelicis diſtribuvnt, qui infirmos ad extremam cum Dæmone pugnam armant? Hæc omnia præſtant Sacerdotes etiamſi non concionentur. Adeoque non ſolum Sacerdotes eſſe poſſunt, *qui in verbo non laborant*; verum etiam optimè de Eccleſiâ mereri, ob eximia ei præſtita obſequia. Certè tres actus Hierarchici à non concionatore præſtari poſſunt, ſcilicet, *Purgare, Illuminare, Perficere. Purgat* per Baptiſmum & Pœnitentiam; *Illuminat*, per libros ſcriptos, & privatas exhortationes: *Perficit* per Euchariſtiam, & Extremam vnctionem.

Eorum, quę dicta ſunt varia habet B. Proſper lib. 11. de vitâ contemp. cap. 11. *Pauca de laude verorum Sacerdotum proferam*, inquit, *Ipſis enim propriè animarum curandarum ſolicitudo commiſſa eſt: qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis, infatigabiliter ſupplicantes Deo, ac velut quidam Aaron, incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis à populo; qui per Dei Gratiam ſvnt divinæ voluntatis indices, Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi Duces, veritatis aſſertores, pravæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles, & malè ſibi conſciis, ipſo viſu terribiles, vindices oppreſſorum, Patres in Catholicâ fide regeneratorum, prædicatores Cæleſtium, primi Phalanges inviſibilium præliorum, Exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, in quibus fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipſi januæ civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingredivntur ad Chriſtum. Ipſi Ianitores, quibus claves datæ ſunt regni Cælorum. Ipſi diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aulâ regis æterni dividuntur gradus, & officia ſingulorum. Hi ſunt, qui non ambiendo; ſed ſpiritualiter vivendo Sacerdotium meruerunt: quique non favoris humani ſuffragio; ſed divino munere ſublimati, nihil ſibi de præſtantiâ ſui principatus applaudunt: quos non inflammat honor acceptus; ſed exercet labor impoſitus: qui non excellentiam ſuam cogitant provecti; ſed ſarcinam: nec gloriantur de Officij dignitate; ſed ſudant potius conſtituti ſub onere.* Hæc B. Proſper. Quæ in omnes quidem Sacerdotes conveniunt, maximè verò in Epiſcopos. De quibus jam agendum.

CAPUT XII.

CAPUT XII.

Episcoporum dignitas.

INgenioſus ille Pictor, cum Iphigeniam arę præſentatam immolandam, eique circumfuſos familiares luctu perditos, lachrimis repletos, mærore defixos & velut attonitos artificioſo penecillo ſcitè deſcripſiſſet ad vivum totâ velut arte in alios exhauſtâ, Patris vultum velo texit, quaſi eius dolor nullâ poſſet arte deſcribi. Idem mihi accidiſſe video : cum enim vix ſufficerint ingenij vires ad qualem qualem Dignitatis Sacerdotalis delineationem adumbrandam, Epiſcopalem repręſentaturus, eam ſilentij velo tegendam potius eſſe judico, aut ex extrinſecis eam penſare.

Hoc obiter dicendum, quicquid de Sacerdotibus ſupra dictum eſt, ea in Epiſcopos à fortiori convenire. Sicut enim Philoſophi docent Nobiliores ſpecies, omnem ignobiliorum perfectionem includere, Ita graduum, Statuvmque Eccleſiaſticorum ea eſt natura, vt quique ſuperiores vim omnem, & perfectionem inferiorum contineant. Quod patet in omnibus gradibus Eccleſiaſticis, & ſuper iſtos in Angelicis, eorum formis & exemplaribus. Enimverò vel ex naturâ, vel, quod proximum eſt, ex Eccleſiæ perpetuâ inſtitutione ſuperior priores omnes, aut inferiores ſupponit, tanquam diſpoſitiones naturales ad ſe. Vnde licet ſpecies ſuperiores tantum virtualiter rationes inferiorum ſpecificas, & differentiales contineat, adeoque non nihil deficere videatur aliquo modo ab omnimodâ continentiâ aliarum : non ita tamen gradus Eccleſiaſtici ſuperiores, ſiquidem ex vſu Eccleſię Epiſcopus eſt formaliter Sacerdos : iſte formaliter Diaconus, & ſic deinceps. Quod ſi qui, nondum Sacerdotio initiati, conſecrentur Epiſcopi, aut Sacerdotes, necdum facti Diaconi, &c. Jubent Eccleſię Canones omiſſos Ordines quamprimùm conferri : quaſi mutilus eſſet ordo ſuſceptus : & eo vti vetant, donec alij ſuſcepti ſint : & pœnitentiam injungunt ei, qui talem violentiam Ordinibus fecerit. Videantur *cap. ſollicitudo* d. LII. *&* c. *tuæ litteræ extra, de Clerico per ſaltum promoto :* & Gloſſę in vtrumque.

Nec officia tantum Sacerdotalia obit ; verum id præſtat perfectiori modo, quam Sacerdotes, auctoritate ſcilicet propriâ, congenitâ, & connaturali ; Sacerdotes verò id faciunt alienâ, in partem ſolicitudinis adſciti, vt eius auxiliarij. Verbi enim, Sacramentorumque adminiſtratio primariò convenit Epiſcopis. Ignatius Epiſcop. ad Smirnæos : *Non licet ſine Epiſcopo baptizare, neque Agapen facere.* Tertullianus l. de Baptiſm. c. VII. *Iuſdandi baptiſmum ſummus Sacerdos habet, de hinc etiam Presbiteri, & Diaconi : non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Similia habet Leo epiſt. LXXXVIII.

ad

ad Episcopos Germanię, & Galliæ, si tamen illa Epistola B. Leonis sit, de quo infra. Nec præsente Episcopo, nisi de ipsius Licentiâ administrantur ab alijs. Hinc in illis Officijs ipsis Clericis alijs Episcopi supereminent, quantum lenta solent inter viburna cupressi, & sicut sole prę̨sente reliquæ stellæ lumen amittere videntur, ita Clerici præsente Episcopo, qui mutuato abisto lumine splendent. Concilium tamen Triburiense can. IV. sentire videtur in consecratione Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum administratione pares esse Sacerdotes Episcopis.

Magna quidem ista: majus quod sequitur, solus sacros ordines confert. Reliqui Clerici inferioris ordinis quantâcunque polleant auctoritate, ea cum ipsis moritur, neque sibi successorem aut naturali propagatione, aut adoptione legali adsciscere possunt. Hinc Aerij Hęresis neminem Episcopum in suâ communione habens, cum eo ferè sepulta est. Et verò Ecclesiæ perpetuitas a Sacerdotio pendet, *vnde translato Sacerdotio, legis translationem fieri, necesse esse*, ait Apostolus, & extincto Sacerdotio, legem interire: vnde quod Ecclesia supersest, Episcopis acceptum ferimus. Epiphanius ait: *Episcopus Patres generat, Præsbiter non nisi filios.* Episcopi sunt *Patres Patrum*, idest Sacerdotum: hi quia per baptisma fideles Christo regenerant, dicuntur *Patres Filiorum.*

Aliud Episcoporum officium ijs peculiare, est baptizatos in fronte vngere, & per manuum suarum impositionem Spiritum sanctum dare. Huius nobilissimi Sacramenti collationem Ecclesiæ Canones solis illis vendicat.

Sunt Episcopi & verè dicuntur Ecclesiarum suarum capita. Sicut ergo in corpore naturali caput omnes sensus continet, & ab eo in reliquum corpus sensus, vita, motio, vigor emanat; sic in Episcopo sensus Ecclesiæ vigent, ab eo in istam spiritus, vita, motio profluit. Vt minimè mirum sit dictum aliquando; *Ecclesiam esse in Episcopo.*

Ex hoc capitis munere aliud elucet Episcoporum in Ecclesiam officium, quam regunt. Oculos aperimus, claudimus, huc illuc circumferimus, os, manum, pedes, corpus totum, movemus, provt nobis placuerit, hoc est iubente capite. Sic Episcopus subjectam sibi regit Ecclesiam, idque auctoritate à Deo acceptâ, Act. XX. 28. Apostolus ait Asiæ minoris Episcopis: *Attendite vobis, & vniverso gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Proinde, quod sceptrum regiminis tenent, quod Pędum Pastorale gerunt, quod Ecclesiam regunt, à Spiritu sancto est; non ab hominibus, tametsi hominum ministerio Spiritus ipse sanctus vtatur, tum ad eorum electionem, tum ad consecrationem.

Hinc etiam Episcopi nomen: quod *Inspectorem*, *Præpositum*, aut, vt Hieronimus reddit, *superattendentem* importat. Psal. CVIII. VIII. vox *Pecudah*, quæ quemvis Magistratum designat, à septuaginta ἐπισκοπὴ, *Episcopatus* redditur. Vox non est origine sacra, cum Episcopos habuerint & Grę̨ci & Romani

Romani. Athenienſes *Prætores Peregrinos* vocabant *Epiſcopos*. Romani eodem nomine deſignabant *Ædiles Municipales*. Cicero alicubi aſſerit ſe *Orâ Campaniâ creatum Epiſcopum*, hoc eſt *ſpeculatorem*, *& cuſtodem*, verum in ſacris litteris Officium ſacrum indicat, idque etiam inveteri lege, quia II. Eſdræ XI. 22. aliquis dicitur *Epiſcopus Levitarum*, In quo ſenſu, ſumitur inter Chriſtianos.

CAPUT XIII.

Quo jure inſtituti Epiſcopi. Vbi an Presbiteris majores ?

ARij dogma fuit Epiſcopum à Sacerdote, non differre, vt habet Auguſt. L. de Hæreſ. ad Quodvultdeum c. LIII. Philaſtrius, alijque. Hunc errorem bene ſepultum in lucem malè revocarunt *Calvinus*, ejus ſectarij, à Dogmate, Presbiterijs, vti vocant, Eccleſiæ regimen dante, dicti Presbiteriani. Dicunt Epiſcopos Eccleſiæ tantum ordinatione Presbiteris majores eſſe, Eccleſias initio communi Presbiterorum ſive ſeniorum Conſilio gubernatas fuiſſe, exinde pacis & vnitatis causâ vnum ex ijs electum, qui cæteris præſideret; hunc paulatim aliorum vel ſocordiâ, vel adulatione in alios arripuiſſe Tyrannidem.

Hunc errorem confodit Synodus Tridentina ſeſs. XXIII. can. VI. *Si quis dixerit*, ait, *in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam divinâ Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbiteris, & Miniſtris, Anathema ſit.* Et can. XII. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbiteris Superiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & Ordinandi, vel eum quam habent illis eſſe cum Presbiteris communem ---- Anathema ſit.* Et cap. IV. ejuſdem ſeſſionis ait, eos confundere Hierarchiam ſacram, (quæ eſt velut caſtrorum acies ordinata) qui docent vel omnes fideles eſſe Sacerdotes, vel omnes Clericos pari poteſtate præditos eſſe.

Epiſcopos jure divino inſtitutos probatur 1. ex ſacris Litteris. Apoſtolos ſingularem prorſus. & exortem à Chriſto D. poteſtatem accepiſſe ſatis Evangelica teſtatur hyſtoria. Marc. III. 14. *fecit* Chriſtus D. *vt eſſent duodecim cum illo.* & Luc. VI. 13. Oratione factâ ex omnibus diſcipulis *duodecim elegit.* Hanc electionem Matthæus humilitatis causâ ſilentio prętermittit, quod ipſe vnus ex electis eſſet: licet Apoſtolorum nomina recenſeat, & ſuum inter alios, quia fides Hyſtorica id requireret: ſeptuaginta duos ad prædicandum miſſos legimus, clarè tamen diſtinctio aliqua ponitur Apoſtolos inter, & illos: nec vnquam iſtis Apoſtolorum nomen in ſacris litteris tributum legitur, niſi aliquibus ex ijs, qui poſt Domini Aſcenſionem Epiſcopi creati ſunt:

ſunt: quales (Matthiam omitto) fuerunt *Andronicus*, *Iunia*, (Rom. XVI. 7.) *Titus*, *& Pauli Fratres* (II. Cor. VIII. 23.) *Epaphroditus* (Philip. II. 25.) *Barnabas*, & alij.

Deinde Epheſ. IV. dicitur: *Dedit* (ſcilicet Chriſtus Dominus) *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum; in opus miniſterij*, ----. & in eundem ſenſum, 1. Cor. XII. 28. *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores*, --- *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* Ex quibus omnibus patet, inſtitutos à Deo fuiſſe in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ gradus iſtos, & ab invicem diſtinctos eſſe: cum non omnes ſint Apoſtoli, Prophetę, Evangeliſtæ, Doctores, &c.

Quorſum iſta S. Scripturæ loca, cum in ijs altum ſit de Epiſcopis ſilentium, de quibus ſolis agimus? Reſp. in S. Litteris *Apoſtolatus*, & *Epiſcopatus*; *Epiſcopi* & *Apoſtoli*, velut Synonima promiſcuè ponuntur. Hoc demonſtrant illa Petri verba ad Fideles, Act. I. 20. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Cum ſermo eſſet de transferendo in alterum Judæ Proditoris *Apoſtolatu.* Hoc confirmant ſequentia Patrum teſtimonia.

Cyprianus epiſt. LXV. *Meminiſſe Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos, & Præpoſitos, Dominus elegit.* Et Epiſt. LXXV. *Poteſtas remittendorum peccatorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſijs, quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicariâ ſucceſſerunt.*

Hieronimus Epiſt. LIV. *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent.* Jtem Epiſt. LXXXV. *Omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Gregorius homil. XXVI. in Evang. *Apoſtolorum nunc in Eccleſiâ Epiſcopi locum tenent, ligandique, atque ſolvendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.*

Clemens Rom. Epiſt. III. *Dominus noſter miſit vos* (O Epiſcopi) *vice ſuâ loco Apoſtolorum.* Anacletus Epiſt. II. docet *Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere; Presbiteros verò ſeptuaginta duobus diſcipulis*, vide eius epiſtolam III. Vrbanus 1. *Epiſcopi, qui locum tenent Apoſtolorum.* Et ſimilia paſſim occurrunt in Epiſtolis illlis Antiquorum Pontificum, ſeu veris & genuinis, ſive Pſeudo Epigraphis, non laboro.

Deinde Aerij dogma non tantum in modernis Hæreticis, à Tridentinâ Synodo, aut ab aliâ Aquiſgranenſi ſub Stephano V. velut hæreticum damnatum fuit; verum etiam ab Epiphanio, Auguſtino, Philaſtrio, Theodoreto, alijſque purioris æui ſcriptoribus eodem titulo proſcriptum.

Hoc ipſum probant Epiſtolæ Jgnatianæ, & Dioniſij liber de Eccleſiaſ. Hierarchiâ. Et vt paucis plurima dicam, Concilia pleraque, quæ cum nullos admitterent cum jure ſuffragij, præter Epiſcopos, aut ab Epiſcopis deſtinatos, oſtendunt exercitè ſupremam legas ferendi in Eccleſiâ poteſtatem in ſolis Epiſcopis

Episcopis residere. Adeoque solos habere gradum in Ecclesiâ, reliquis Clericis eminentiorem.

Tam apertæ veritati contradixisse dicitur R. P. Franciscus Bonæ spei, Philosophus bonus, in Scholasticâ Theologiâ non malus, sed vt videtur hospes in antiquitate Ecclesiasticâ. Prior eius ratio est: Apostoli erant tantum duodecim: Episcopi sunt longé plures. Ergo hi non succedunt illis. Posterior est: Apostoli nullibi sedem fixam habuerunt; Episcopi loco alicui affixi sunt. Telis tam futilibus doctrinam totius Ecclesiasticæ Traditionis auctoritate confirmatam sterni posse speraſse dicitur.

Vtrique facile respondemus; primę quidem. Plures eidem posse succedere: Siquidem Constantinus M. tribus filiis imperium reliquit, qui tres vni Patri successerunt: idem in Galliâ aliquoties factum in secundâ Regum Dynastiâ: & novissimè præterito sæculo Carolus V. Ferdinando Fratri imperium, Philippo verò Filio Hispaniæ Regnum, & Indias, Belgicasque Ditiones reliquit: & vterque vni Carolo succeſſit. Quidni simile quid dicere licet de Apostolorum successoribus quantocunque numero sint?

Alteri verò: quod perpetua illa Apostolorum peregrinatio non erat de essentiâ Apostolici muneris: cum Apostoli aliquamdiu Hierosolimis hæserint, vt colligitur ex Act. VIII. 1. Cum isti illic manserint, etiam dispersis persævam persecutionem discipulis alijs. Jacobum verò minorem sedem suam illic positam deseruisse nusquam legitur: erat tamen verus Apostolus, & quidem ex primis duodecim. Deinde licet Apostoli circumcursitarent, vbi Dei gloria, & animarum salus vocabat, poterant tamen sedem alicubi fixam habere, vicario ibi relicto, qui vices gereret. Cum Episcopi à suis sedibus absint non licitè modo; verum etiam laudabiliter, cum Oppida sibi subdita visitant, cum negotia plebis suæ curaturi Aulam petunt; Cum ad Concilia vel generalia, vel etiam particularia transevnt. Sic feciſſe credendus est B. Petrus quinque illis annis, quibus Antiochiæ, viginti quinque quibus Romæ sediſſe refertur. Imò potuerunt veri nominis Episcopos in sedibus ipsis constituere, retentâ sibi & in Diœcesim, & in ipsos Episcopos ordinariâ Potestate, ob Eminentiam Apostolicij Fastigij, cui fasces Episcopi submittere tenebantur. Sic Timotheus Ephesiorum, & Titus Cretensium Episcopi Ordinati, B. Paulo parebant. Sed quæ hic dicimus in sequente capite confirmabuntur.

CAPUT IV.

CAPUT XIV.

Quid ſenſerit B. Hieronimus de Epiſcopis & Presbiteris?

MAxima difficultas naſcitur ex quibuſdam hujus ſancti viri verbis; quæ cum Aëriano Dogmatè favere videantur, aliqui Theologi non dubitarunt agnoſcere eum in Aëriano errore fuiſſe. Ita Michaël de Medinâ, & Illuſtris. D. Richardus Smitheus Epiſcopus Calcedonenſis. Conabimur tamen tam fædâ eum maculâ purgare.

Bina loca difficultatem faceſſunt: primus ex Epiſt. LXXXV. ad Evagrium. Alter in Commentarijs in cap. I. Epiſtolæ ad Titum. In iſto hæc habet. *Idem eſt Presbiter, qui & Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbiterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò vnuſquiſque quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe; non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbiteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur. Putet aliquis non ſcripturarum; ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum, & Presbiterum vnum eſſe: & aliud ætatis, aliud eſſe nomen Officij. Relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis: Cum Epiſcopis, & Diaconis. Certè in vnâ civitate plures vt nuncupantur Epiſcopi eſſe non poterant.* Addit deinde plures etiam Epheſi fuiſſe Epiſcopos: & Petrum ſe *compresbiterum* appellaſſe. Et concludit: *Hæc propterea, vt oſtenderemus apud veteres, eoſdem fuiſſe Presbiteros, quos & Epiſcopos: paulatim verò vt diſſenſionum plantaria evellerentur, ad vnum omnem ſolicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbiteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine eis, qui ſibi Præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbiteris eſſe majores, & in Communi debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Hæc ibi.

In epiſtolâ verò LXXXV. prolatis ijſdem rationibus de pluralitate Epiſcoporum in vnâ civitate, & quod Apoſtoli ſe Presbiteros nominarint, addit: *Quod poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ, à Marco Evangeliſtâ vſque ad Heraclam, & Dioniſium Epiſcopos, Presbiterum ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi Exercitus Imperatorem faciat, & diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. ------ Presbiter & Epiſcopus aliud ætatis, aliud dignitatis eſt nomen. ------. Et vt ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento: Quod Aaron, & filij ejus, atque Levitæ in*

vitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbiteri, & diaconi vindicent in Eccleſiâ. Hæc B. Hieronimus ibi.

Aliqua citantur etiam ex epiſtolâ ad Ruſticum Narbonenſem, quæ prætermitto, eo quod non videatur Hieronimi eſſe, cum immodicè Diaconos extollat, quorum typhum Hieronimus vbiquè reprimit, atquè ſeveré caſtigat. Niſi quis dicere velit Beatum virum in hoc etiam contraria ex nimio fervore ſcripſiſſe. Certè quiſquis illius Epiſtolæ Author eſt, quædam in eâ ſcripta aute finem mitigat. Sed de eâ ſatis: quia præcipuæ in eâ difficultates ex alijs locis citatis intelliguntur.

Obſervamus initio non ſolum Hieronimi verba dura eſſe, ſed & ſententiam ſingularem, à quâ, ſalvâ ipſi debitâ reverentiâ, licebit diſſentire (ſi ſenſerit id quod verba præ ſe ferunt) ne ab alijs majoris authoritatis diſſentiamus. Inſinuat enimvero quid à communi omnium, quibuſcum viuebat, ſenſu alienum dicere ſe, cum ad mentem ſuam ſtabiliendam, collecta hinc inde Sripturæ S. fruſtra & explicationes alienas adhibet. Hoc addo: plus ponderis apud me ſubinde habere, Patris alicujus ſimplicem rei Aſſertionem, ſine vllâ ratione propoſitam, quam cum infirmâ, & nihil probante ratione eam fulcit. Nam vbi quidpiam ſimpliciter aſſerit, credo rem narrari & ipſi & alijs coætaneis exploratam. At vero vbi quidpiam aſſerit propter rationem invalidam, fides ſi ei adhibeatur, non reſolvitur in Veracitatem Patris; ſed in rationem illam, ob quam id aſſeruit ipſe Pater. B. Hieronimus rem narrat non communiter ſuo tempore creditam, eamque alijs perſuadere conatur rationibus nihil ſatis probantibus, vt videbimus. Vnde non plus ponderis habere videtur apud nos eius Aſſertio hac in re, licet alibi maxima ſit, quam rationes ipſius.

Dices, hoc ariete concutientur aliqua decreta quorundam Conciliorum, imò aliqua etiam in Scripturis tradita. Reſpondeo. Longè aliam eſſe de ſcripturis Sacris, Concilijſque, aliam de ſingulis Patribus rationem, propter infallibilitatem ex aſſiſtentiâ peculiari Spiritus ſancti natam, quam in illis agnoſcimus, non vero in ſingulis ſeorſim Patribus. Vnde indubitata ſunt Conciliorum decreta, quæcumque tandem fuerint ab ijs adhibita media ad veritatem inveſtigandam. Non tamen tam altè ſentimus de cujuſquè Patris aſſertione ſingulari.

Expendamus ergo Hieronimi rationes. Prima eſt: voces, *Preſbiter*, & *Epiſcopus*, promiſcuè ſumuntur in Sacris Litteris, & ijsdem perſonis tribuuntur. Ergo eundem Ordinem ſignificant. Prob. Antecedens. I. Pet. V. 1. Petrus ſe vocat *Compreſbiterum*. Et Joannes in II. & III. Epiſtolâ ſuâ *ſe Presbiterum*, ſive *ſeniorem* appellat. Erant tamen ambo *Apoſtoli & Epiſcopi*. Reſp. Vtriſque voces illas initio communicatas fuiſſe, licet eorum officia diverſa eſſent. Beda in Luc. X. *Sicut duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum monſtrare, nemo eſt qui dubitat*, inquit, *ita ſeptuaginta diſcipulos figuram Preſ-*

biterorum geſtaſſe ſciendum eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, vt Apoſtolica ſcriptura teſtis vtique eſt, vtrique Præsbiteri, vtrique vocarentur Epiſcopi, quorum vnum ſapientiæ maturitatem, alterum induſtriam Paſtoralis curæ ſignificat. Hæc Beda. Addo tamen, frequentius nomen inferioris gradus, dari Superiori, quam è contra. Sic Rex dicitur non incongruè *Nobilis*, vel *Generoſus*; non tamen quilibet nobilis vocabitur Rex. Jmperator dicitur Miles; non quilibet miles dicitur Jmperator. Sacerdos dicitur eſſe *Clericus*; non quivis Clericus dicitur Sacerdos. Vnde Epiſcopus dici poteſt *Presbiter*; non tamen Presbiter, (intellige ſimplicem) dicetur *Epiſcopus*. Et cum veniâ Venerabilis Bedæ dictum ſit, nuſquam legi aliquem è 70. Diſcipulis vocatum Apoſtolum, aut Epiſcopum, niſi qui fuiſſet ordinatus *Epiſcopus*. Addo non ita facile inventu eſſe, quod Apoſtolus vocatus fuerit ab Altero Presbiter, ac quod ſeipſum ita vocarit. Humilitatis, & Humanitatis fuit in Apoſtolorum Principe, alios presbiteros eorum officij admonente, ſemet *Conſeniorem* appellare: ſicut fuit in illo Imperatore, qui ſuos milites *Commilitones* appellauit.

Secunda B. Hieronimi ratio eſt: non poſſunt dari ſimul plures in eâdem civitate Epiſcopi, Presbiteris Superiores, vt decernit Nicæna Synodus can. VIII. atqui dati fuerunt plures Epiſcopi: ergo qui fuerunt olim Epiſcopi dicti, non erant presbiteris Superiores. Minor oſtenditur 1. ex eo quod Epheſi plures fuerint Actor. XX. oſtenditur 2. ex eo quod Philippis plures fuerint ex Epiſtola ad eos datâ, Philip. 1. *Cum Epiſcopis, & Diaconis.* Reſp. 1. Non ſatis efficaciter probatur, datos fuiſſe ſimul plures Epiſcopos in eâdem civitate. Fieri enim potuit, vt audito Pauli diſceſſu ex Græcia, & occidente & itinere Hieroſolimam verſus, omnes Aſiæ minoris Epiſcopi Epheſum, quà iter habiturus credebatur, convenerint, eum in tranſitu ſalutatum: quos omnes, ideſt Epheſinum Metropolitam cum ſuffraganeis, Epheſo Miletum accerſiuit Apoſtolus, ob cauſas Actor. XX. recenſitas. Dici poteſt etiam Epiſtolam ad Philippenſes datam eſſe ad fideles illic & in vicinis etiam civitatibus agentes: cum enim quæ continebat, plurium civitatum Incolis communia eſſent, veroſimile eſt ex intentione Apoſtoli pluribus communicanda fuiſſe. Certè Coloſs. II. diſertè iubetur eam Laodicenſibus communicari, & vt iſti viciſſim Laodicenſium Epiſtolam legerent. Si cui non placeat iſta coniectura,

Reſpon. 2. datos in vnaquâque Eccleſiâ fuiſſe plures veri nominis Epiſcopos. Fuit autem quaſi neceſſaria Providentia, quò tutior adverſus frequentes perſecutionum procellas ſtaret Eccleſia. Perſecutiones enim nonnunquam in ſolos Paſtores ſæviebant, vt eis ſublatis diſpergerentur oves. Vnde verò ſimile eſt eos, qui Sacerdotio initiabantur, aut omnes, aut certè pleroſque creatos Epiſcopos, vt vno extincto, alter ſtatim ſuccederet. Certè S. Petrum plures Romæ Epiſcopos conſecraſſe, nempe Linum, Cletum, atque Clementem, multa docent, & in libro Pontificalis diſertè habetur.

Fortè

Fortè eam ob cauſam de ſolis Epiſcopis, & Diaconis locutus eſt Paulus, ad Timotheum, & Titum; non verò de Presbiteris, quod aut nulli, aut pauci crearentur Sacerdotes ſimplices, vt ita dicam, ſiue qui non paulò poſt ad Epiſcopalem dignitatem, aut ordinem, eueherentur. Enimverò Eccleſiaſticâ tantum lege prohibita eſt Epiſcoporum in vnâ civitate pluralitas; non verò lege divinâ. Auguſtinum ſedente Valerio, Hipponenſem Epiſcopum ordinatum eſſe, conſentiente Primate Carthaginenſi, agentibus Numidiæ Præſulibus, legimus apud Poſidium in eius vitâ, c. VIII. Agnoſco ſanctum Virum id improbaſſe poſtmodum, (videatur eius Epiſtola CX.) & doluiſſe ſe contra Canonem factum: nunquam tamen credidit vllam legem divinam in eius inauguratione violatam fuiſſe; ſed tantum Eccleſiaſticam magni Concilij, illi antea ignotam. Nec crediderunt Epiſcopi Aphricani talem eſſe legem illam quam nullo caſu violari liceret: Siquidem qui Catholicæ erant communionis Donatiſtis Schiſmaticis obtulerunt, Pacis causâ, vt in eiſdem Civitatibus vnâ ſederent, modo ne in defuncti locum alius ſuccederet; ſed ſuperſtes integram Parochiam ſolus adminiſtraret: vt ſic extinctis Epiſcopis Schiſmaticis, extingueretur & Schiſma. Crediderunt ergo ſe poſſe in eâ lege diſpenſare: adeoque non divinam eſſe.

Habemus hinc probabile valde eſſe, quod docet Marca opuſculo de ſingulari Primatu Petri, §. XVIII. plures datas olim fuiſſe in vnâ civitate Epiſcopos. Deinde id Eccleſiaſticâ lege vititum fuiſſe. 3. Eccleſiam poſſe iuſtas ob cauſas in eâ diſpenſare.

B. Hieron. tertia ratio erat: aliquandiu communi Presbiterorum Conſilio res Eccleſiaſticæ fuerunt adminiſtratæ: quæ poſtmodum ad evitandum Schiſma vni commiſſæ ſint, quem alijs præferebant. Reſp. Hoc confirmat, quæ de pluritate Epiſcoporum diximus. Et confirmatur ex eo quod refert Hieronimus eum morem in Eccleſiâ Alexrandrinâ ad Heraclam & Dioniſium vſque duraſſe. Vixerunt iſti adulto ſæculo tertio, & Origenis ſcholam adminiſtrarunt antequam Eccleſiæ illi præficerentur. probabile autem videtur, mutatam eam conſuetudinem, aut quod non ita ſævirent Pagani in Epiſcopos, aut quod ſine difficultate poſſent novi Paſtores in denatorum locum ſurrogari, aut quod qui prius reſidebant in Civitate, commodionis regiminis ergo, in varias Parochiæ partes, & ignobiliora Oppida diſtributi fuerint: & inde natum Chorepiſcoporum nomen fuiſſe: de quo infra c. XIX. Hoc enimvero mihi longè probabilius videtur (quod ſalvâ Sancto Doctori debitâ veverentiâ dici velim) quam quod ait Sanctus Doctor, ad evitandum ſchiſma ex paritate gradus immineus. Nulla enim mentio de tali ſchiſmate. Deinde ab vltimâ antiquitate, & Chriſti Domini tempore conſtat datum Epiſcopos inter, & Sacerdotes diſcrimen, quod antiquiſſimi Scriptores, etiam Sacri, agnoſcunt. Tertio: ſi illud occaſione ſchiſmatis ortum fuiſſet, cum non ſit probabile vnico momento per totum Orbem ſchiſma, illud conflari cepiſſe,

nec verò ſimilè eſt, ei extinguendo idem vbiquè remedium adhibitum fuiſſe. Fuiſſent ergo aliquæ Eccleſiæ, in quibus antiqua conſuetudo vigeret: quod falſum eſt. Sic quia mutatio formæ baptiſmatis, facta eſt ad vitandum Schiſma, (de quo Apoſtolus I. Cor. 1.) apud Latinos eâ diſcordiâ non tentatos, immutata habetur antiqua forma. Quid quod incredibile eſt, Presbiteros toto orbe diffuſos tam altè ſapientes, vt ſuperiorem haud ferrent, adeo patienter tuliſſe ſe de gradu ſibi debito deijci, vt nec verbo de iniuriâ ſibi factâ conquererentur: cum longè leviores ob cauſas à viris cæteroqui minimè malis ingentes tragedias excitatas eſſe legamus. Aliquę certè tabulæ Eccleſiaſticæ huius diſſidij memoriam poſteritati commendaſſent. Cuiuſmodi cum nihil appareat, ſequitur id eſſe creditu perquam difficile, ne dicam impoſſibile.

Nec illud omittendum, conſuetudinem Alexandrinæ Eccleſiæ vnum ex Presbiteris eligendi, qui ſuccedat, ſtare cum neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, etiamſi electus antea non eſſet Epiſcopus. Sic C. *Nullus in Epiſcopum.* d. LX. Jubetur Epiſcopum eligi ex Sacerdotibus, aut Diaconis Eccleſiæ Paſtore carentis: qui tamen ſubinde ordinari debuerunt in Epiſcopos.

Ex dictis conſtat B. Hieronimi rationes non invictè probare identitatem Sacerdotij, & Epiſcopatus.

Addo jam nec ipſum Sanctum Doctorem eam identitatem aſſerere: quinimò credo ipſum & agnoviſſe, & ſignaſſe multiplex inter eos diſcrimen. Quorum primum, eſt *Ordinatio*, quam ſolis Epiſcopis vendicat. *Quid facit*, inquit, *Epiſcopus, exceptâ ordinatione, quod non facit Presbiter?* Ergo ſolus Epiſcopus ordinat, & non Presbiter. Ergo non ſunt idem. Et verò nunquam agnouit Eccleſia Sacerdotes à ſimplici Presbitero ordinatos. Et Synodica Concilij Alexandrini apud Athanaſium negat Iſchyram eſſe Sacerdotem, quia non niſi à Collutho Sacerdote manus impoſitionem habuerat.

Secundum diſcrimen eſt *Regimen.* Cum enim adhibiti fuerint in Schiſmatis remedium, quod Auctoritatis æqualitas pariebat, debuit maiorem poteſtatem Epiſcopus habere. Confirmatur: quia comparat Sanctus Eccleſiæ Doctor Epiſcopum Moyſi, Presbiteros verò ſeptuaginta Senioribus, ab eo adſcitis ad populi Iſraelitici regimen. Certum autem eſt, maiorem in Moyſi, quam in Senioribus illis fuiſſe autoritatem. Deinde tales eſſe docet in Eccleſiâ Epiſcopum, Sacerdotes, & Diaconos, quales in Templo fuerunt Aaron, huius filij, & Levitę reliqui. Enimverò conſtat nec Levitas filijs Aaronis pares fuiſſe, nec hos Aaroni. Sic ergo nec Diaconi pares ſunt Presbiteris, nec hi Epiſcopo.

Tertium diſcrimen eſt, quoad radicem. Nam expreſsè docet Hieronimus Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere; cum Presbiteri ſeptuaginta diſcipulis ſuccedant: quare diverſi ſunt gradus, diverſi ordines, ex mente B. Hieronimi.

Confirmatur ita ſenſiſſe B. Hieronimum, quia Epiſtolâ ad Pammachium contra Errores Joannis Hieroſolimitani, hunc impugnaſſe dicitur, quod

quod aſſerviſſet: *Nihil intereſt inter Presbiterum, & Epiſcopum, eadem eſt dignitas vtriuſque.* Certè dialogo contra Luciferianos, ait: *Eccleſiæ ſalus inſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens detur Poteſtas, tot in Eccleſiâ efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Jtem epiſt. LIV. ad Marcellam adverſus Montanum: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent; apud illos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuzâ Phrygiæ Patriarchas. ſecundos, quos appellant Cenones, atque ita in tertium, & vltimum locum Epiſcopi deuolvuntur: quaſi exinde ambitioſior Religio fiat, ſi quod apud nos primum, apud illos ſit noviſſimum.* Denique Comment. in cap. III. prioris ad Timotheum, cujuſcunque illi ſint, certè Hieronimi ſenſum exprimere videntur, hæc habentur: *Quæritur: cur de Presbiteris nullam fecerit mentionem? Sed eos in Epiſcoporum nomine comprehendit, quia ſecundus, imò penè vnus eſt gradus.* Similia habet Chriſoſtomus, hom. XI. in I. Timot. *Inter Epiſcopum, & Presbiterum intereſt fermè nihil. Quippe & Presbiteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbiteris congruunt: ſolâ quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum pluſquam Presbiteri habere videntur.*

Vnde ſequitur, iſtos Sanctos Patres agnoviſſe tres in Eccleſiâ gradus: ſupremum Epiſcoporum: infimum Diaconorum: & medium Presbiterorum: qui tamen ſupremo, quam infimo propriores ſunt, *Ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguisque conficitur.* Hieronimus ad Evagrium.

Sequitur 2. non rectè dixiſſe Aurelium, quod ab Apoſtolorum tempore aucta ſemper fuerit Sacerdotum auctoritas, diminuta vero poteſtas Epiſcoporum. Quis enim modo dicet Sacerdotium *eundem penè ordinem* eſse cum Epiſcopatu? Quis modò nefas eſſe credet Sacerdotem ſtare, ſedente Epiſcopo? Quorum aliud in Ambroſiaſtro, aliud in varijs Concilijs habetur. Sed fervidi animi vir, & implacabili in Ieſuitas odio exæſtuans, id ſolum præ oculis habuiſſe videtur, vt Loemelio contradiceret, ſeu vera, ſiue falſa dicenti. Dixerat autem Loemelius auctam ſenſim Epiſcoporum maieſtatem, diminutam vero Sacerdotum. Quod verum eſſe ex dictis patet.

Nonnulli viſum eſt, Auguſtinum Aeriano errori favere, qui epiſtolâ XIX. ad Hieronimum cap. IV. ait: *Quanquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus presbiterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronimo minor eſt.* Sentit ergo ex ſolo Eccleſię vſu maiorem preſbitero Epiſcopum eſſe, Reſpondeo: ineptè deducet aliquis mentem Sancti Doctoris ex modo loquendi vrbano, humanitate & humilitate condito de induſtria, ad redintegrandum cum S. Hieronimo amicitiam, nonnihil prævià altercatione læſam, contra dogmatica eius verba, tum libro de Hæreſibus, tum in Concilio Carthaginenſi IV. cap. II. III. & XXXVI. cui ſubſcripſit ipſe præſens.

Ex dictis hactenus confutatur aliud Paradoxon: differentiam Epiſcopum inter & Presbiterum à juriſdictione ſolâ peti, quæ maior eſt in Epiſcopo.

Patet

Patet enim exdictis, diversas eorum esse ordinationes. Paulus & Barnabas Episcopi creati sunt per manuum impositionem. In vulgatâ Græcâ Timotheus dicitur *Ephesiorum Ecclesiæ primus Episcopus ordinatus*, Χειροτονηθεντα. Titus in eâdem dicitur ordinatus Cretensium Episcopus. In sequentibus sæculis clariores sunt distinctę Episcoporum ordinationes, quam vt eas recensere sit opus. Antiquissimi Authores, Tertullianus, Irænæus, Eusebius, Epiphanuius, &c, Catalogum texunt Episcoporum, qui Nobiliores Ecclesias ad sua cujusque tempora rexissent: maximè verò eorum, qui Sedem Apostolicam impleverant.

CAPUT XV.

De Ecclesiæ in Diœceses, & Provincias distributione vbi De Metropolitis & Patriarchis.

QUanquam Episcoporum charitas ad omnium Ecclesiarum necessitates procurandas sese deberet extendere, tamen cujusque administratio, atque potestas infra certos limites coerceri debuit, ne permixtæ curæ sibi mutuò officerent, & Pastorem nullum Christiana plebs haberet, quia numero Pastorum abundaret. Hinc, sicut Imperia, Regnaque in certas partes distincta sunt, pro commodiori subditorum regimine: Sic Apostoli vniversum Orbem, quem irriguis Evangelij fontibus imbuendum susceperant, in Paræchias, siue Provincias providâ sortitione divisérunt. Hinc prima Diœceseon origo, quam Eusebius lib. III. Hystor. cap. I. ita institutam esse refert, vt Thomas Parthos, Matthęus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Joannes Asiam, scilicet minorem, sortitus sit. Hæc Eusebius. Addo Jacobum cognomento minorem Hierosolimitanam Ecclesiam coluisse, Petrum dispersorum per Iudęam, Pontum, Galatiam, Bithiniam, Cappadociam, Asiamque Iudæorum curam sibi retinuisse, Paulum à Hierosolimis per circuitum, vsque ad Illiricum Evangelium repleviſse. &c. Siue à Deo per sortes facta sit ista Provinciarum distributio, vt putant aliqui, siue vt credo, à S. Petro, cui commissæ claues regni cælorum, qui Petra erat, cui Ecclesia erat inædificanda, qui fratres in fide confirmaturus erat, Christi D. prece consolidatus. Hoc sensisse videtur B. Chrisosto. dum hom. LXXXVII. in Joan. ait: *Si quis percontatur quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam obtinuerit, Respondeo hunc magistrum totius Orbis præposuisse Petrum.*

Successit Apostolorum laboribus Episcoporum industria, & Provincias, quas illi Christo acquisierant, hæditariâ Potestate rexerunt. Sic Timotheus Ephesum

Epheſum cæpit, Titus Cretæ præfectus eſt, Galatiam Creſcens obtinuit, Linus Romam ornavit, Dioniſius Athenis promotus eſt, Simeon Cleophæ in locum Jacobi ſucceſſit, Marcus Alexandrinam, alij alias Eccleſias regendas ſuſceperunt. Ab his ſeries, & ordo Epiſcoporum ab Apoſtolis inceptus ad nos vſque perpetuâ ſucceſſione manavit.

Major erat cujuſque Apoſtoli Provincia, quam vt commodè ab vno Metropolitâ regi poſſet, aucto præſertim in immenſum Fidelium numero. Vnde divinâ ſine dubio jnſpiratione ſuam quiſque in varias Provincias diviſit, quarum quęlibet ab vno Metropolitâ adminiſtrabatur, varios ſub ſe habente ſuffraganeos. Et quidem in toto Jmperio Romano longè latèque diffuſo videtur ab ijs obſervata Principum diſpoſitio, & Provinciarum præfixi limites. Antiquiſſimæ Synodi Provinciales conjecturam iſtam confirmant: jmò non obſcura eius partitionis indicia in ſacris litteris invenimus. Joannes, cui Aſia obtigerat, in Apocalypſi ad ſeptem Eccleſias ſcribit, quæ ſunt totidem Civitates Provinciam illam conſtituentes. Paulus eaſdem intelligit, dum I. Cor. XVI. 19. ait, *ſalutant vos Eccleſiæ Aſiæ*, ſcilicet Proconſularis, ſive minoris. Jbidem jdem Apoſtolus monet Corinthios morem imitarentur Eccleſiarum Galatiæ, id eſt Chriſtianorum in Civitatibus Galatiæ viventium. Et altera ad Corinthios dirigitur ad fideles Corinthi, & in Achaiâ viventes. Corinthus autem Achaiæ Metropolis erat. Jn vulgatâ Græcâ dicitur prior ad Timotheum *ſcripta ex Laodiceâ Metropoli Phrigiæ Pacatianæ*: quæ vna eſt ex Aſiaticis Jmperij Romani Provincijs. Denique Pontus, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithinia in priori epiſtolâ B. Apoſtolorum Principis totidem erant Romani Jmperij Provinciæ.

Ad fovendam inter Eccleſias ita conſtitutas concordiam, ne quiſque Epiſcopus ſibi nimium arrogaret, vnus in quâque Provinciâ reliquis præeminebat, & ius aliquod in alios ejuſdem Provinciæ Epiſcopos obtinebat. Js aliquando Archiepiſcopus vocabatur. In ſolâ Africæ Eccleſiâ tale nomen peculiari Canone excluſum fuit. Vocabatur enim tantum *primæ ſedis Epiſcopus*. Jmò in aliquibus Africæ Provincijs nulli affixum erat ius Metropoliticum: ſolus ordinatione antiquiſſimus Metropolita cenſebatur, & vocabatur *Senex*.

Clemens R. & eum ſubſecuti varij Pontifices, Antiquarum Decretalium Authores frequenter aiunt Epiſcopos inſtitutos vbi Flamines Ethnici ſedem habebant, Archiepiſcopos, verò vbi Archiflamines. Cæterum fallitur quiſquis eſt earum Epiſtolarum Author: nam conſtat in eâdem Civitate, Româ, v. c. plures extitiſſe Archiflamines, & non conſtat eam Dignitatem apud Ethnicos vlli Civitati affixam fuiſſe.

Veroſimilius ergo mihi eſt, ſicut in Provinciarum diviſione, ita in Metropoli deſignandâ ſtatum Civilem imitatam eſſe Eccleſiam, iuſſumque, minorum Ciuitatum Epiſcopi, maiorum Prælatos obſervarent: iſti vero illos omni officiorum genere foverent, & iuvarent, quo totius Provinciæ Eccleſiaſtica

siastica negocia commodius procurarentur. Laudat Apostolus 1. Thessal. IV. 10. egregia Thessalonicensium officia in vniuersos Macedones, quibus Metropolitico jure præsidebant. Et vt odiosæ diligentiæ in re tam manifestâ parcam, Nicomedia Bithiniæ, Cæsarea Cappadociæ, Amasea Ponti, Ancira Galatiæ, Ephesus Asię Proconsularis, Laodicea Phrygiæ Pacatianæ, alia Cęsarea Palestinæ, Tyrus Pheniciæ primę, Carthago Africæ Proconsularis, siue Numidiæ, & vtriusque Mauritaniæ &c, ab vltimâ antiquitate Metropoles fuerunt, & in Laterculo Imperij, & in Ecclesiastico regimine. Quam institutionem ab Apostolis profectam esse eo modo probamus, quo reliquas traditiones Apostolicas, quia sursum ascendendo semper obtinuisse reperimus.

Hoc intelligi debet tantum in primâ Metropoleon institutione. Nec enim credo, si aliquas ob causas vrbs aliqua eminentiâ civili spoliata fuisset, translato in alium locum Pręside, ob Imperatorem jure, an iniuriâ, offensum, transferendam etiam dignitatem Ecclesiasticam. Et Eustachius Beriti qui id prætendebat, vt Photius Tyri Episcopus exposuit in Concilio Calcedonensi Act. IV. rejectus à Synodo fuit, quæ declarauit non Imperatorias sanctiones; sed Ecclesię canones servandos esse in Provinciarum, & sedium distributione. Et Act. XIII. Cum Episcopus Nicenus Metropoliticum ius sibi arrogaret, ob decretam à Valentiniano & Valente Impp. Civilem præheminentiam suæ civitati, Episcopus Nicomediensis sese opposuit; & à Synodo vindiciæ secundum istum datæ sunt. In eodem Concilio, Act. VI. Civitas Calcedonensis Metropolis facta est, in honorem Concilij illic celebrati: quod assentiente ad minimum Concilio factum est. Justinianus Patriam suam Iustinianeam Primam in metropolim euexit (vt habetur novellâ XI.) datis ei Provincijs Daciâ Mediterraneâ, Daciâ Ripensi, & Privali, Dardaniâ, Misiâ Superiori, atque Pannoniâ, administrandis, quas Thessalonicensi Metropolitano subtraxit. Sed id auctoritate Vigilij PP. factum constat ex Novellâ CXXXI. c. III. Factæ tamen aliquando sunt tales mutationes in statu Civili Civitatis, vt sedes Metropolitica aliò transferri debuerit. Sic jus Metropoliticum Fessulo Florentiam translatum est, quod prior sedes in ignobilem ferè vicum decreuisset. Verùm id non nisi per Ecclesiasticam auctoritatem ritè fiebat. Similem ob causam Gradiscum privilegia sua amisit.

Ex dictis habetur, cur Trevirensis Episcopus in Gallias, Hispanias, Britanniasque non habuerit potestatem, licet Pręfectus Prætorio illarum Regionum Treviris resideret. Cur etiam Aquilegiæ Præsul non pareret Mediolanensi, licet Civitas illa hujus Pręfecto subesset. &c. quia scilicet in primâ Ecclesiarum institutione aliter dispositum fuit: quam dispositionem nihil cogebat immutari. Hinc ad nostra fere tempora Episcopus Parisiensis Senonensi paruit, & Londinensis etiamnum Cantuariensi paret.

Jus Metropoliticum paucis complexus est Apostolus Tit. I. 5. *Hujus rei gratiâ*

rei gratiâ reliqui te Greca, inquit, *vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbiteros.* I. E. Epiſcopos. Epiſcoporum ergo ordinatio, & Eccleſiarum correctio, ſi quid eſſet erratum, ad Metropolitam ſpectabat, ſcilicet ſuſcepto à S. S. A. Pallio ad eoſdem ſpectabat Provinciales Synodos convocare, ijs præſidere, eas confirmare, & vt ſervarentur in ijs decreta curare. Sed hæc obitèr: nec enim inſtituti mei eſt, forenſia jura exponere.

In Imperij lacerculo, & civili poteſtate tres civitates ſupra alias Metropoles eminebant: Roma, caput orbis, Alexandria Ægypti, & Antiochia Orientis Dominæ: quibus ipſæ Metropoles aliæ ſuas faſces ſubmittere tenebantur. Ita civitatum iſtarum Epiſcopis eximia Privilegia conceſſa ſunt primùm à B. Petro: hæc moribus deinde firmata, denique in Conc. Niceni can. VI. confirmata ſunt. Loquor de Privilegijs Romani Pontificis, quatenus Patriarcha eſt Occidentis. Quatenus autem eſt Petri ſucceſſor, Vicarius Chriſti, & Eccleſiæ caput, illuſtriora Jura illi competunt, eique ſoli. De quibus cap. ſeq.

Nec omnimoda erat inter alios Metropolitas æqualitas; ſed è contra magna diverſitas, vel propter civitatis nobilitatem, vel ob amplitudinem Provinciæ. Auguſtinus I. de unico Bapt. contra Patilianum, c. XI. Carthaginenſem appellat eminentiſſimam Eccleſiam. Mediolanenſis poſt Romanam eminuit in Jtaliâ. Cantuarienſis ampliſſimæ Provinciæ caput (viginti tres habet ſuffraganeos) in Angliâ: cujus Præſul Anſelmus Romam veniens, aiunt eius Acta, *tanquam alterius Orbis Patriarcha* exceptus fuit.

Quod ad Patriarchæ nomen attinet, illud Chriſtianis initio proprium non fuit: jmo non jnvenitur ante Synodum IIII. Generalem vlli Epiſcopo Chriſtiano attributum, ait *Marca*. Sed vir in vtroque Jure peritiſſimus, at non perinde verſatus in Patribus, aut non norat, aut non meminit, dum ea ſcriberet, Montani ſectatores *Patriarchas habuiſſe de Pepuzâ Phrygiæ*, teſte Hieronimo epiſt. LIV. ad Marcellum. Cæterum rectè obſervat ipſe *Marca* Judęis pridem in vſu fuiſſe, ex quo, viz, deletis Hieroſolymis, reſciſſo ſuperſtitionis capite, interdicto Sacrificio, quod extra Hieroſolimam offerri nefas erat, duplicem ſibi conſtituere Præſidem: quorum alter Alexandriæ reſidens Judęis præerat Egypti, Thebaidos, & Diſperſionis Europææ: de quo Vopiſcus in Saturnino. Alter Babilone, eos regebat, qui in Oriente, & diſperſione Aſianâ verſabantur. De quibus Patriarchis frequens ſermo apud Origenem, Epiphanium, Cyrillum, Theodoretum, & Palladium. Hi primó precarium Imperium in volentes exercebant. Deinde lites decidebant: tandem aurum Coronarium à ſubditis ſuis exegerunt. Sed Honorij Reſcripto circa finem quarti ſæculi judicandi Poteſtas illis ablata eſt, & ipſi paulò poſt extincti ſunt. Horum nomen primum in Oriente, deinde etiam in Occidente tributum

est primarum sedium Episcopis : antea enim licet Privilegijs fruerentur ampliſſimis, communi *Episcopi* nomine vocabantur. Socrates sine exemplo lib. V. hyst. suæ. cap. VIII. cujusque Provinciæ Primatem Patriarcham appellat: nec eum quisquam imitatus est. Athanasius Presbiter Act. III. Conc. Chalcedonensis Leonem PP. vocat *Vniversalem Patriarcham magnæ Romæ*. Ex Actis V. Synodi patet quinque Patriarchales sedes habitas fuisse ; quod habetur etiam Novellâ CIX. in Præfatione : nimirum : *Hesperiæ Romæ* (sic legi debet) *Regiæ Civitatis*, sive *Constantinopoleos*, *Alexandriæ* ; *Theopoleos*, sive *Antiochiæ*, & *Hierosolymorum*. His longè post álij duo Patriarchæ additi sunt, *Venetus*, & *Aquileiensis*, summorum Pontificum auctoritate, quâ priorum etiam Privilegia vel concessa sunt, vel confirmata : absque quâ nihil ejusmodi ratum haberi potuit.

CAPUT XVI.

De summo Pontifice.

INTER omnes Metropolitas Romanum semper eminuisse Pontificem, Primum locum occupasse, summam in alios etiam primarios Episcopos auctoritatem exercuisse, nemo nescit, qui non sit in Ecclesiæ hystoriâ planè hospes : Adeò vbique extant hujus Primatus expressa vestigia, occurrunt evidentia argumenta, tot splendent Luculenta testimonia, vt ejus infensissimi hostes, qui Biblia Poliglotta ediderunt, Prologomeno X. ijs præfixo, fateantur eam *Principem inter Ecclesias locum semper tenuisse* : qui locus eius vrbis Episcopo tribuebatur.

Hęretici prioritatem Sedis Eminentioris Episcopo Romano concedunt, auctoritatis negant. Barlaam Opusc. de Papæ Primatu cap. IX. ait triplicem ei convenire prærogativam : vt primo loco sedeat, Primus Frater appelletur, nomen eius in Dyptichis primo loco recitetur. Catholici verò Regiminis & Auctoritatis ei Prærogativam concedunt, sive vt melius dicam, à Deo conceſſam agnoscunt, & reverentur, quæ his argumentis ostenditur.

I. Ex Concilijs, ex Auctoritate Concilij Florentini in Litteris vnionis, quas Græci etiam subscripserunt : *Definimus sanctam Apostolicam sedem, & Rom. Pontificem succesſorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totivsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere : & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniversalem Ecclesiam à* D. N. JESV CHRISTO *plenam potestatem traditam esse : quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

Deinde in Professione Fidei PII PP. IV. jussu editâ dicitur : *Sanctam, Catholicam*

Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, ac Magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici B. Petri, Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JESV *Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, & juro.*

Ex Concilio Chalcedonenſi clarè demonſtratur: *In quo Paſchaſinus Eccleſiæ Lilibetanæ Epiſcopus vice Romani atque Apoſtolici vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis*, præſedit, & iſtis verbis ſubſcripſit. Deinde Concilium ipſum in Epiſtolâ ad Leonem, ait: *quibus Tu quidem, ſicut membris caput præeras*: & ſua decreta ab eo rata haberi petunt. Quibus duo continentur eximia ſedis Apoſtolicæ Privilegia: I. quod Synodo præſideret, ſicut caput membris. 2. quod ipſius eſſet Synodi vniverſalis, etiam frequentiſſimæ, (cujuſmodi fuit illud Chalcedone celebrata) decreta confirmare. Deinde Act. III. Libelli contra Dioſcorum oblati, *Leoni, & Concilio* offeruntur: quod ſcilicet eorum Autores exortem aliquam in ſummo Pontifice auctoritatem agnoſcerent, ſedente Concilio DCXXX. Epiſcoporum, cum alijs Patriarchis. Papa ipſe Patriarcham Alexandrinum depoſuit, vt patet ex ſententiâ condemnationis in Dioſcorum latâ: *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archi-Epiſcopus magnæ, & Senioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem Sanctam Synodum, vnà cum ter Beatiſſimo, & omni Laude digno, Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & Crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.*

Clariſſimum eſt ad idem probandum Concilii Aquilegienſis teſtimonium, in Epiſtolâ ad Gratianum Auguſtum. *Totius orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam Sacro-ſanctam Apoſtolorum Fidem, ne turbari ſineret, obſecranda fuit clementia veſtra: inde enim in omnes veneranda communionis iura dimanant.*

Probatur 2. ex S. Scripturâ. Duo huius loca B. Petrum ſuper alios Apoſtolos eminuiſſe probant. Prior eſt ex Math. XVI. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ad quæ verba alludens Origenes, apud Euſebium l. VI. hyſt. cap. XIX. ait: *Petrus, ſuper quem Chriſti Eccleſia, contra quam Inferorum porta non prævalebunt, ædificata eſt, vnam Epiſtolam omnium aſſeveratione approbatam reliquit.*

B. Baſilius in cap. II. Iſayæ: *Illicò per hanc vocem, Petrus, intelligimus Ionæ filium.--- qui quoniam Fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum ſuſcepit.*

B. Gregorius Nazianzenus Orat. XXVI. *Vides quem admodum ex Chriſti Diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque Electione dignis, hic Petra vocetur, & Eccleſiæ Fundamenta in fidem ſuam accipiat; ille impenſius ametur, & ſupra pectus* JESV *requieſcat, ac reliqui diſcipuli eum ſibi præferri æquo animo ferant.*

B. Joannes Chriſoſt. Homiliâ II. de Pœnitentiâ in Pſalmum L. *Columna illa Eccleſiæ, illa Fidei baſis, illud Apoſtolici Chori caput, annon ſemel, & iterum, & tertiò Dominum abiurauit?*

Tertul. lib. de Præscrip. cap. XXI. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram datum, Claues regni Cælorum consecutum, & ligandi, atque solvendi in Cælis, & in terris potestatem.*

B. Cyprianus epist. XL. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.*

B. Hieronimus lib. 1. contra Pelagianos cap. IV. *Vt Plato Princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.*

B. Hilarius Can. XXVI. in Mat. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret.*

B. Leo serm. II. in Anniu. Assumpt. suæ : *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in acceptâ fortitudine Petræ perseverauit, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum Petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, ---- qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus.* Hæc de priori loco.

Posterior hæc verba continet : *Tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis : & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Audiamus Patres ea exponentes.

Tertul. in Scorpiaco cap. X. *Etsi adhuc clausum putes cælum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

B. Optatus Milevitanus L.I. contra Parmenianum: *Bono vnitatis B. Petrus cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, & preferri omnibus meruit, & claves Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Plura dabuntur infra, suis locis.

Solent verbis Hæretici magni facere Augustinum : vtinam ab ipso discere vellent castam in Petri successores obedientiam & venerationem. Enimverò libros quatuor contra duas epistolas Palagianorum ad Bonifacium PP. dirigit examinandos, & approbandos, L. I. c. I. Deindè Epist. CLXII. appellat Melchiadem *Christiana pacis filium, & Christiana plebis Patrem.* Aitquè: *Cæcilianum Carthaginensem potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum videret se & Romanæ Ecclesiæ, in quâ semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus; & cæteris terris, vnde Evangelium in Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.* Et Epist. XC. confirmari petit, Authoritate Sedis Apostolicæ Concilij Carthaginensis decreta contra Pelagianos. Et Epist. XCII. nomine Concilij Milevitani, quod Pelagianam hæresim damnarat, ad eandem excindendam summi Pontificis Pastoralem diligentiam implorat; & ait Cęlestium in Asiâ, & Pelagium in Palestinâ ejus authoritati de Sacris litteris depromptæ cessuros.

Vnde patet I: qnam latè protendęretur eo tempote Sedis Apostolicæ authoritas, vt & Asiam minorem, & Palestinam complecteretur, quo contendunt

tendunt hæretici eam non vltra Eccleſias ſuburbicarias, ad centeſimum ab Vrbe lapidem fuiſſe extenſam.

Patet 2. eos falli, qui docent ſolo jure canonico ſuper alios Fratres ſuos Epiſcopos eminuiſſe Sedem Apoſtolicam. Nec enim ex Jure Canonico; ſed ex S. Scripturâ poteſtatem illam derivat Auguſtinus, Concilij nomine ſcribens. Et hæc tertia eſt probatio.

Quarta ex Jure Appellationum; quæ non primò conſtitutæ; ſed ſolum confirmatę fuerunt in Concilio Sardicenſi. Etenim & ante Concilium illud, & poſt, appellatum vndiquè ad Sedem Apoſtolicam liquet. Ante illud Romani Pontificis opem implorarunt Baſilides & Martialis ex Hiſpaniâ & Athanaſius ex Alexandriâ. Poſt verò Hieronimus ex Diæceſi Hieroſolimitanâ, Chryſoſtomus ex ſede C. P., Wilfridus ex Angliâ.

Nec fruſtrà jmploratam Apoſtolicæ Sedis opem: cujus authoritate ſedibus ſuis reſtituti ſunt Paulus C. P. Aſclepas Gazæ, Lucius Adrianopolis Marcellus Ancyræ, & alij. B. Joannis cognomento Chryſoſtomi nomen, incaſſum repugnantibus quatuor ſedium Patriarchalium Epiſcopis cum Eudociâ Jmperatrice & totâ Aulâ, agente Julio S. A. PP. ſacris Dyptichis, Vnde ſynodali ſententiâ eraſum fuerat, reſtitutum eſt. Quo vno facinore de vtrâquè poteſtate Eccleſiaſticâ, & Civili, nobiliſſimam victoriam, & clariſſimum illius Trophæum, devictis ſuis, Beatiquè Joannis hoſtibus erexiſſe Sedem Apoſtolicam jure dixero.

Confirmatur S. A. Jus in alias Eccleſias, vbi cauſæ per Appellationem deferuntur ad eam. Euſtachius Sebaſtenus à Concilio Melitinenſi in Armeniâ depoſitus, litteris Liberij R. P. quibus in integrum reſtituebatur, Patribus Concilij Tyanenſis in Cappadociâ oſtenſis, ſedem ſuam recepit, vt habet S. Baſilius epiſt. LXXIV. ad Occidentales Epiſcopos. Verum quidem eſt eum gratiâ per obreptionem, vti videtur, obtentâ, abuſum eſſe, vt ibidem dicitur. Quod non minuit vigorem decreti, quo reſtitutus eſt: nec verò eam ob rem, in eum, veluti reum, agere præſumpſerunt Orientales Epiſcopi, ne de decreto Sedis Apoſtolicę iudicare velle viderentur: ſed querimonias de eo ſuas ad Occidentales Epiſcopos, perque eos ad S. A. detuliſſe contenti, ſententiam ejus deſuper patienter expectarunt. Ambroſius epiſt. LXXVIII. ad Theophilum, cui Capuana Synodus Judicium de Antiochenæ Eccleſiæ diſſidijs occaſione Meletij & Vitalis exortis, commiſerat, monet eum nihil niſi prius petitâ Romanæ Sedis Epiſcopi ſententiâ decerneret, ſi ſine hæſitatione vllâ acta ſua ab alijs Epiſcopis approbari cuperet. Similia paſſim occurrunt.

CAPUT VII.

CAPUT XVII.

An Romanus Episcopus ob Dignitatem Vrbis Primatum habeat?

OCCASIONEM dat huic quæstioni canon XXVIII. Concilij Chalcedonensis, qui hæc habet: *Sanctorum Patrum decreta vbique sequentes, & canonem, qui nuper factus est, centum & quinquaginta Dei Amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de Privilegijs Sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos, novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod Vrbs illa imperaret, iure Patres Privilegia tribuerunt: & eâdem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi Sanctissimo novæ Romæ throno æqualia Privilegia tribuerunt, rectè iudicantes vrbem, quæ & imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissimâ Reginâ Româ fruatur privilegijs, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli, & magni fieri, secundam post illam existentem.* Deinde subijcit Episcopo C. P. sive novæ Romæ, Provincias tres, PONTICAM & Asianam trans Bosphorum in Asiâ, Thracicam verò cis mare in Europâ. Addit etiam ad eius ordinationem pertinere Diœeseon illarum Episcopos, quę sunt inter Barbaros. Canon autem ibi citatus C L. Patrum, conditus est à Synodo II. Generali, siue C. P. I. Estque ordine quintus, qui sic habet. *Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, eo quod sit noua Roma.* Hæc ibi. Vbi decernitur honor Episcopo C. P. *post Romanum*; non tamen instituitur explicita comparatio cum alijs Patriarchis Alexandrino, vel Antiocheno, qui nec nominantur quidem. Adeoque isti, salvo canone, locum suum secundum, & tertium retinere poterant. Adde nullam novæ Romæ novo Patriarchæ tributam Provinciam, in quâ ius Patriarchicum exerceret, quod primum in Chalcedonensi Synodo factum. Imo probabile mihi videtur à C L. Patribus relictum ius Metroliticum Episcopi Heracleensis (qui Thracicam PAROCHIAM administrabat) in Episcopum C. P. cum eius POTESTATI non expressè derogetur. Sic in magni Nicæni Concilij can. VII. *Honor Æliæ Episcopo decernitur, salvâ Metropolitæ dignitate*, qui Cæsarienſis Episcopus erat. Vnde licet in Synodis Generalibus super hunc eminere videretur, tamen in eâ PROVINCIÂ Episcopo Cæsarienſi subserat, post illum sedebat, ad illum dabantur appellationes. Nec plenum, & indubitatum ius in totam PALESTINAM obtinuit ante Synodum Lateranensem sub INNOCENTIO III. in cujus canone V. id ei tribuitur: & etiam secunda sedes PATRIARCHÆ C. P. Negari tamen non potest Episcopum C. P. multò ante de facto sedem secundam occupasse, ex voluntariâ PATRIARCHARUM aliorum cessione: imò tres illas Diœceses rexisse, priusquam ei fuissent donatæ à Synodo Chalcedo-

Chalcedonenſi. Sic etiam Æliæ Epiſcopus alijs Paleſtinæ Eccleſijs moderabatur, antequam ei concilij Lateranenſis decreto ſubijcerentur. Vnde Concilium iſtud non novum ius inſtituiſſe videri poteſt, ſed antiquum approbaſſe, ex quo contigit, vt quod ſolo facto fiebat, jure deinde fieret. Hæc de illo canone.

Hic triumphant Hæretici; quia Dignitas ſummi Pontificis, primæque ſedis, non in Petrum, non in Vicariam Chriſti Poteſtatem, non in ſacras Scripturas, non in Spiritum ſanctum; ſed in ſolam Vrbis præcellentiam reſoluitur: quia erat Regina Mundi. Jſtam forſan ob cauſam eundem errorem olim erravit inſignis Fidei Pugil, Nobilis Chriſti Martyr, ſapientiſſimus Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, qui vt refert Stapletonus contra Flatum Horni, lib. I. cap. VI. ante natam Lutheri hęreſin credidit Pontificiam dignitatem ſolo iure canonico, & civili niti; verum ex ſcriptis in eam hæreſin editis didiciſſe, quòd à Deo manaſſet: vnde errorem ſuum & agnovit, & eiuravit.

Aſſerimus abſolutè: falſiſſimum eſſe, ſolam vrbis æternæ prerogativam in causâ fuiſſe, quod Epiſcopus Romanus primum locum obtinuerit, & vnâ ius in alios Epiſcopos: ſi enim jure canonico id fuiſſet aſſecutus, deſignari poſſet ille canon, nec enim eo ipſo quod aliquis primam alicubi ciuitatem regat Epiſcopus, ſequitur eum in alios habere poteſtatem. Hinc Epiſcopus C. P. ſuam præcellentiam habuit à Synodis C. P. I. canon. VII. & Chalcedonenſi can. XXVIII. Atqui nullum ejuſmodi decretum extat: & quodcunque produci poteſt, illud oſtendemus poteſtate Pontificiâ recentius eſſe: adeoque non ortam ab eo poteſtatem illam; ſed agnitam tantum. Confirmatur: quia poſtquam capite minuta eſt ea civitas æterna, & alijs Dominis coacta obſequi, Apoſtolicæ Sedis Majeſtas nihil inde detrimenti ſenſit. Nec vnquam exinde vllum Concilium eius auctoritatem abrogare conatum eſt. Vnde liquet alio fundamento, quam iure canonico niti.

Deinde: Pontificia Auctoritas extra Romani Imperii fines longè latèque extenta eſt per totum Chriſtianum orbem, quò civilis illius vrbis poteſtas nunquam pervênit. Hinc Proſper carmine de Jngratis.

---------- Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis
Relligione tenet.

Et Author librorum de vocatione Gentium, lib. II. cap. XVI. *Per Apoſtolici Sacerdotij principatum*, inquit, *amplior facta eſt arce Religionis, quam ſolio Poteſtatis.* Et B. Leo Serm. I. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli: *Iſti ſunt*, inquit, *qui te ad hanc gloriam provexerunt, vt Gens Sancta, Populus electus, Civitas Sacerdotalis & Regia, per ſacram B. Petri Sedem caput Orbis effecta, latius præſideres Religione divinâ, quam dominatione terrenâ. Quamvis enim multis aucta victorijs ius Imperij tui terrâ, marique protuleris, minus tamen eſt, quod ſibi*

bellicus

bellicus Labor ſubdidit, quam quod Pax Chriſtiana ſubjecit. Infero: ergo Auctoritas Epiſcopi Romani ex civili civitatis dignitate proficiſci non potuit. Alijs ex fontibus oritur, per alios canales derivatur, non accepit à Civitate ſplendorem; ſed in eam contulit. Denique ex Laicâ dignitate non eſt nata; ſedâ ſolo Deo.

Huc facivnt B. Gelaſij verba: *Mediolanum, Ravennæ, Sirmium, Treviris, & Nicomedia multis temporibus ſedes Imperij fuerunt; quibus cum nihil plus iuris, dignitatis, & Prærogativæ Eccleſiæ eâ de causâ conceſſum fuerit, non immeritò mendacij arguvntur, qui dicunt prædictâ de causâ Romanam vrbem ad faſtigium Apoſtolici muneris evectam eſſe.*

Obijcitur: diximus ipſi ſupra: eas fuiſſe Metropoliticas ſedes in Eccleſiaſticis Tabulis, quæ tali privilegio in Jmperij Laterculo fulgebant. Fateor, Ergo poteſtas earum civilis radix fuit auctoritatis Eccleſiaſticæ. Nego conſequentiam. Civilis enim illa poteſtas cauſa fuit tantum objectiua, ob quam Beatus Apoſtolus ſedem ſuam in ijs potius, quam alibi figeret, illivſque civitatis Epiſcopum ſuæ auctoritatis hæredem relinqueret; non verò cauſa formalis illam poteſtatis eminentiam conſtituens. Exempli cauſa: Petrus à Chriſto D. ſupremam in omnes fideles poteſtatem accêpit, tam pro ſe, quam pro ſuis ſucceſſoribus, nullo deſignato loco, vbi reſideret ipſe, & Poteſtatem in finem vſque mundi duraturam ſtabiliret. Penes eum erat, vbi libebat, in quâcunque civitate, aut oppido ſedem ſuam collocare. Verùm quia maximam civitatem commodiſſimam ad negotia credidit, eam alijs prætulit: & ſedem ſuam primùm Antiochiæ, deinde Romæ erexit ipſe per ſe, & per diſcipulum Marcum Alexandrinam Eccleſiam rexit, & paribus cum Antiochenâ donatam privilegiis, ad eam dignitatem evexit, quæ poſt modum, Patriarchalis dicta eſt. Romanæ verò Eccleſiæ & cum ſede ſuâ, & poteſtatis divinitùs acceptæ plenitudine, Juriſdictionem Patriarchalem in totum Occidentem, & maximam Africæ partem, inſuper & ſupremam in ipſos Patriarchas Juriſdictionem veluti Teſtamento legavit. Hæc de re.

Ad canonem XXVIII. Synodi Chalced. revertamur, cuius occaſione diſputationem iſtam inſtituimus. Eum nullius eſſe roboris patet, ex eo quod non ſynodicè, non canonicè factus fuerit. Enimverò expeditis, ob quæ convocata fuerat ſynodus, negociis, canonibus lectis, & à ſynodi Patribus unâ voce confirmatis, & ſedis Apoſtolicæ legati, & comites Illuſtriſſimi, (qui Imperatoris juſſu ſynodo interfuerant, & ei quodammodo moderati fuerant, permittentibus Apoſtolicæ ſedis legatis, quòd non ſatis expeditè græcè loquerentur) diſceſſerunt ſynodo finem impoſitum eſſe credentes. Eorum abſentiâ fretus Anatolius Epiſcopus C. P. cum abeſſent Occidentales Epiſcopi, Ægyptii nihil ante creatum Patriarcham facere poſſent, nec Patriarcham creare, niſi Alexandriæ, canonem illum propoſuit, pauci qui aderant ex vicinis Conſtantinopoli locis: à quibus admiſſus eſt. Re-

ad

ad A. S. legatos delatâ, inſtiterunt iſti, vt noua haberetur actio (quæ XVI. eſt) in quâ contra canonem illum proteſtati ſunt.

At verò B. Leo graviſſimè Anatolij ambitum redarguit, epiſt. LIII. his verbis: *Mens Nouitatis auida, nec abſtinere nouit à vetitis, nec gaudere conceſſis, dum inordinatè, pravoque progreſſu, impunitarum trangreſſionum augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ tolerata ſunt ſtudio fidei reparandæ, & amore concordiæ. Poſt illa itaque Ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt ordinationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vendicaſti, doleo etiam in hoc Dilectionem tuam eſſe prolapſam vt ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit. Vt his locis juri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis, & nunquam antea tentatis ita praveniris, vt Sanctam Synodum ad extinguendam ſolum hæreſim, & Confirmationem Fidei Catholicæ ſtudio CHRISTIANISSIMI Principis Congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & vt conniventiam tibi det impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per Spiritum verè Sanctum ordinata conditio ---- in aliquâ cuiquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia blandiantur: neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat, vel præferre: cum tanto divinitus Privilegio Nicæna Synodus ſit conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt prava, quæ Sacratiſſimis Canonibus inueniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt Fratres in Fidei tantummodò negocio convocatos, & definitione eius cauſæ quæ erat curanda perfunctos, ad conſentiendum tibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. ----. Non convellantur Provinciallium iura Primatuum, nec Privilegys antiquitùs inſtitutis Metropolitani Antitiſtes fraudentur. Nihil Alexandrinæ ſedi eius, quam per S. Marcum Evangeliſtam, B. Petri Diſcipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioſcuro impietatis ſuæ pertinaciâ corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur obortis. Antiochena quoque Eccleſia, in quâ primum prædicante Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen exortum eſt, in paterna Conſtitutionis ordine perſeveret, & in gradu tertio collocata, nunquam ſe ſiat inferior. Aliud enim ſunt ſedes, aliud Præſidentes. Et magnus vnicuique honor eſt integritas ſua: quæ cum in quibuſlibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Conſtantinopolitanæ vrbis magnificentiâ poteſt eſſe glorioſa, ſi per obſervantiam tuam, & defenſionem Paterni Canones, & exemplum prohibitatis multi habeant Sacerdotes?* Hæc S. Leo: quæ referre vt jacent operæ precium duxi, quia continent ſummatim quicquid idem ſanctiſſimus Pontifex ad Martianum Auguſtum, ad Pulcheriam, & ad alios dedit.

Hic primò vicioſam ejus ordinationem Anatolio exprobrat: quippe qui B. Flaviano fuſtibus occiſo in Latrocinio Epheſino, ſuffectus eſt à Dioſcoro Alexandrino homicidâ: vicioſam etiam Antiocheni creationem, delictorum numerum auget, violatis Nicænis Canonibus, quatenus locum Alexandrino debitum occupet: & quatenus Metropolitarum jura convelleret, ſubjectis ſibi trium Provinciarum Metropolitis.

Hinc colligo tres illas provincias Thracicam, Ponticam & Aſianam nulli antea Patriarchę paruiſſe. Si enim, vt putat Cabaſſutius, Thracica Romano ſub erat; duæ verò reliquæ Antiocheno, favorabilis fuiſſet iſtis ea mutatio, quæ eas remoto admodum Judici eximens, vicino ſubmittebat, quò onere prolixi itineris Antiochiam vſque, levarentur.

Iſta Romani Pontificis interceſſio eatenus valuit, vt Canon ille ſurreptitius ex Codice Græcorum Canonum expunctus fuerit. Dioniſius enim exiguus tantum viginti ſeptem recenſet, iſto omiſſo. Nec Theodorus Anagnoſtes eum habet I. I. collectan. Nec Theodoretus in eâ collectione quam adornavit, & in quinquaginta titulos diſtribuit: eum tamen continent collectiones recentiores Photij, & Zonarę. Verùm licet ſuppreſſa fuerit mentio Canonis, ne Pontifex offenderetur, quicquid tamen per illum dabatur C. P. Epiſcopo, ſcilicet ſecundam Sedem, & trium Provinciarum adminiſtrationem, is ſibi retinuit. Hinc Liberatus in Breviario: *Licet Sedes Apoſtolica nunc vſque contradicat*, ait, *quod à Synodo firmatum eſt Imperatoris patrocinio permanet quoque modo*: Tandem in Synodo Lateranenſi ſub Innocentio III. Pontifex quoque ipſe conſenſit. Ex quibus omnibus

Liquet 1. non fuiſſe decretum Concilij Generalis. Factum quippe fuit ab exiguâ Concilij parte, cum alij & quidem Nobiliorum Eccleſiarum Præſules receſſiſſent. Vnde non Concilium, erat; ſed Concilij fæx.

Liquet 2. non fuiſſe in materiâ fidei, in quâ ſolâ Conciliorum auctoritatem infallibilem eſſe credimus. Agit enim canon tantum de loco Patriarcharum: quod Eccleſiaſtici tantum iuris eſt, ſicut & ipſa quanta eſt Patriarchica poteſtas.

Liquet 3. falſos fuiſſe Patres illos in materiâ facti, dum in antiquam vrbis civilem dignitatem vnicè reſolvunt ſummi Pontificis Auctoritatem. Quæ omnia patent ex dictis.

APPENDIX.

APPENDIX

De Causa Bulgarorum.

ALIA ex isto canone infæliciſſimo nata eſt famoſa Controverſia, quæ duas primas ſedes inter ſe ita commiſit, extincto Junioris inter & Senioris Romæ PRÆSULES amore, vt nunquam deinceps in diuturnam PACEM coaluerint.

Bulgari huic liti vexatiſſimæ dederunt occaſionem. Hi ex intimis Borealibus finibus (antiqua ſedes ignota eſt) exeunte ſæculo V. egreſſi, ſeſe violento agmine in Thracias effuderunt, vbi deleto Romanorum exercitu, Anaſtaſium Imp. ferro victum, auro inhoneſtam PACEM emere coegerunt. Exinde variâ fortunâ vſi, nunc victores, nunc victi, tandem anno XLV. Noni ſæculi ſuavi Chriſti jugo barbara colla ſubjecerunt. Vigeſimo quarto poſt anno, id eſt illius ſæculi LXIX. Octaua Synodus Generalis celebrata eſt Conſtantinopoli, in quâ Photio depoſito Jgnatius reſtitutus eſt. Jn Photium centum & duo Patres Anathematis telum torſerunt, & vt refert Nicetas (quod ſummæ execrationis indicium eſt) damnationi Photij Subſcripſerunt Patres calamis non atramento ſolùm, verum etiam ſanguine Chriſti tremendo tinctis. Cui etiam actioni interfuiſſe dicuntur Legati Regis Bulgarorum. Et etiam Ludovici II. Imperatoris.

Exinde actum de Bulgarorum Eccleſijs, ad cujus ſcilicet Patriarchæ tribunal ſpectarent. Conſtantinopolitanus Antiſtes eas ſibi aſſerebat, quia Thraciæ ipſi ſubditæ vicinæ eſſent, & quia Can. XXVIII. Chalcedonenſis Synodi eius ordinationi ſubijciuntur Epiſcopi inter Barbaros. Romanus è contra ſibi vendicabat, quia Theſſalia, Dacia, Dardania, vtraque Epirus, & Illiricum ab Occidentali Patriarchâ fuiſſent adminiſtratæ, intra quarum fines Bulgari conſederant. Vterque Patriarcha merita ſua in eos allegabat. Romanus, quod varijs ſuperſtitioſis cultibus liberaſſet eos, quod in dubijs graviſſimis ad eum recurriſſent; vnde ſecuta nobiliſſima illa Epiſtola Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum, quæ etiamnum extat: & quod ab Eccleſiâ Romanâ petijſſent, & impetraſſent ſacros miniſtros. Conſtantinopolitanus è contra Bogaris Bulgarorum Regis ſororem Conſtantinopoli factam Chriſtianam, ad fratris converſionem plurimùm contuliſſe, & Bulgaros regionem occupaſſe, quę prius Grecorum imperio parebat. Ex quibus patet jus liquidum Eccleſię Romanæ, in illius gentis Eccleſias. Eâ tamen aſtuciâ cauſam ſuam egerunt Græci, vt vindiciæ ſecundum Patriarcham C. P. datæ ſint. Legati S. A. Jgnatium C. P. conteſtati ſunt, ne Sanctiſſimi Domini iura imminutum iret, cujus auxilio nuper

ſedi ſuę fuerat reſtitutus : rem totam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ judicio reſervandam. Hæc ſub Adriano II. Gui mortuo ſucceſſit Joannes VIII. qui an. Dom. D CCCLXXVIII. Anathema dixit Jgnatio C. P. niſi Bulgaris renunciaret : Jtem Græcis Sacerdotibus eos procurantibus, niſi intra tringinta dies inde diſcederent: verùm ijs minis non ceſſere Græci. Tamen tandem è Bulgariâ ejecti ſunt, & admiſſi quos Sedes Apoſtolica direxit, quando orto inter Simeonem Bulgariæ Regem & Græcum Imp. bello, iſte Turcas, & Hunnos in Bulgaros vocavit, An. Dom. DCCCXC III. Hæc de canone XXVIII. Chalcedonenſi, vnde nihil boni, & tot mala orta ſunt.

Vnus ſupereſt ex eâ de Bulgaris controverſiâ natus ſcrupulus : quomodo illa altercatio ſtat cum Romani Pontificis ſupremâ in omnes Eccleſias poteſtate? Reſpondeo omnia benè conveniunt. Sicut enim fieri poteſt, vt Rex cum ſubdito ſuo, de alicuius Pagi Dominio, vel poſſeſſione contendat, ſaluo illius ſupremo jure, & vt Archiepiſcopus cum Epiſcopo ſuffraganeo ſuo diſputare poteſt de aliquo oppido, in vtriuſque Diœceſeos confinijs poſito, licet Epiſcopus Archiepiſcopi ius in totam Provinciam agnoſcat: Jta Patriarchę C. P. contendere poterant de Bulgarorum adminiſtratione, cum Pontifice ſummo, licet eius auctoritatem in omnes omninò Eccleſias, etiam Conſtantinopolitanam ipſam, agnoſcerent.

CAPUT XVIII.

An etiam à S. Paulo ſuam auctoritatem derivet Epiſcopus Romanus
VBI
An B. Paulus fuerit Romæ primus Epiſcopus.

NON ſatis fuit huic poſtremo ſæculo hæreſes olim ſepultas in lucem revocare; novas inſuper cudere voluit, priſcis ignotas. Talis eſt quam hoc capite impugnamus. Cujus Parens eſt. *Homo Apoſtata, vir inutilis, Marcus Antonius de Dominis*, qui in ſuâ Republicâ Eccleſiaſticâ à ſolo Paulo fundatam Eccleſiam Romanam commentitus eſt, vt eam Auctoritate à B. Petro Apoſtolorum Principe acceptâ ſpoliaret. Mitiùs in ſpeciem inſaniſſe videtur Author libri famoſi de *frequenti Communione*, (ſiue is fuerit Ant. Arnaldus, cuius nomen ei præfigitur, ſiue S. Cygirani Abbas, vt paſſim aiunt Catholici) in cuius præfatione hæc habet: Sanctos Petrum & Paulum, *duo Eccleſiæ Romanæ capita in vnum conflata. Deux Chefs, qui n'en font qu'vn.* Contendunt eius erroris patroni nihil inde Eccleſiæ Romanæ Majeſtati decedere, è contra eam augeri acceſſione B. Pauli Nobiliſſimi Evangelii præconis. Verùm ludibrio haber

haberi S. Sedem A. obſervarunt cum indignatione pij Catholici : quam dum ornare ſe jactant, monſtroſam faciunt, & dum duos illi præficiunt Monarchas, ipſam illius Monarchiam evertunt.

Delituit tamen aliquandiu pernicioſus error in verboſiſſimę Præfationis ſuderibus, aut in obſervatus, aut ſpretus, quaſi negligenter excidiſſet oſcitanti ſcriptori ad alia intento, donec Princeps Condæus non minus Jngenij acrimoniâ & Judicij maturitate, quam natalium ſplendore, & bellicis artibus toto orbe clariſſimus illum obſervauit, & minimè negligendum monuit. Hinc illum Novatores peculiari libro propugnare, Catholici varijs impugnare ceperunt. Vtrorumque rationes paucis complectar.

Sentimus itaque B. Petrum ſolum Eccleſiam Romanam fundaſſe. B. verò Paulum nec fuiſſe vnicum illius vrbis Epiſcopum, nec Coepiſcopum cum Petro : Enimverò antiquitas tota ſolius Petri tanquam illius Eccleſiæ Fundatoris meminit. Non quod nulla, aut non eximia fuerint Pauli in eam merita ; ſed quòd fuerint alterius generis, non ducis in Exercitum ſuum, non Paſtoris in Gregem proprium, non Regis in ſibi ſubditos ; ſed illius qui Ducem, qui Paſtorem, qui Regem adiuvat.

Hoc probant 1. rationes ex S. Scripturâ deprompte ad probandam ſummi Pontificis auctoritatem : probant enim illæ B. Petro commiſſam totius Eccleſiæ, etiamipſorum Apoſtolorum, curam : pro quo Chriſtus D. oravit, vt eius fides non deficeret ; ſed ipſe poſt negationem trinam converſus Fratres ſuos Apoſtolos, viz, eorumque ſucceſſores, *in fide confirmaret.* Quo officio quam ſtrenuè functi ſunt S. A. Præſides, Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria.

Prob. 2. ex Concilijs. Jnter Canones Arabicos Nicæno Concilio inſcriptos, (qui mihi videntur Codex Canonnm Eccleſiæ vel Arabicæ, vel Cophticę) unus hæc habet : *Ille, qui tenet Sedem Romæ, caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in Principes Criſtianos & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini ſuper cunctos populos, & vniverſam Eccleſiam Chriſtianam : & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicetur.* S. Thomas opuſculo contra Grecorum errores c. 7. alia verba, velut ex Concilio Chalcedonenſi citat : quæ omitto, quia non habentur in vulgatis exemplaribus illius Synodi.

Jn Concilio Epheſino Philippus Preſbiter legatus ait : *nulli dubium, imo omnibus notum eſt, Sanctum, Beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, Fideique Columnam, Eccleſiæ firmamentum, à D. I. C. Salvatore noſtro, humanique generis Redemptore Cæleſtis Regni claves accepiſſe.* Jn Concilio Generali V. *Contempſerunt Romanam Eccleſiam, in quâ eſt ſucceſſio Apoſtolorum Principis.*

Jn Concilio Generali VI. Domatius Epiſcopus Pruſienſis, lectis Agathonis Epiſtolis, ait, tum ſuo, tum aliorum Epiſcoporum nomine : *ſuggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone Sanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis*

Principalis Sedis Antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu Sancto dictatas per os Sancti & & Beatiß. Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter Beatiß. Papa Agathonis ſcriptas, ſuſcipio, ac amplector. Profeſſio Eccleſiæ in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. hæc habet: *Sancta Romana Eccleſia ſummum & abſolutum Primatum, & Principatum ſuper omnem Eccleſiam Catholicam obtinet: quam ſe à Chriſto D. & B. Petro Apoſtolorum Principe, & vertice, cuius Rom. Pontifex eſt ſucceſſor, cum Poteſtatis plenitudine veraciter, & humiliter recognoſcat.* Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *Rom. Pontifex habet auctoritatem ſuper omnia Concilia, & eſt de neceſſitate ſalutis credere omnes Chriſti fideles Romano ſubijci Pontifici, vt S. Petro in throno Eccleſiæ dum viveret ſedenti, ac vicibus Chriſti D. fungenti.* Superſunt alia duo concilia Florentinum & Tridentinum, quorum verba ſuperius allata ſunt.

Vnde tam altum de B. Paulo ſilentium, ſi ab eò ſolo fundata eſt Eccleſia Romana, vt vult Apoſtata *de Dominis*? Aut ſi collatitiâ vtriuſque operâ collecta eſt, vt volunt alij? Reddat qui poteſt huius ſilentij rationem: illud nobis clamare videtur, vnicum illius inſtitutorem fuiſſe B. Petrum, vnicum Epiſcopum, vnum caput.

Prob. 3. ex Summis Pontificibus, qui vtique optimè ſcire debent quibus ſuccedant. Innocentivs I. apud Auguſtinum Epiſt. XCIII. *Quando fidei ratio ventilatur*, inquit, *arbitror fratres, & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris authorem referri debere.* Idem ad Decentium Eugubinum: *Quis neſciat, aut non advertat, id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur ab omnibus, debere ſervari, nec ſuper induci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habet, aut alivnde accipere videtur exemplum: præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiße Eccleſiam, niſi eos quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes.* Idem Epiſt. XXX. ad Arcad. *Ego minimus & peccator cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, ſegrego te, & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri.*

B. Leo ſerm. 2. in Anniverſ. Aſſump. ſuæ: *Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt Laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Item: *Manet diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in acceptâ Petræ fortitudine perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non dereliquit. Hic enim præ cæteris eſt ordinatus, dum Petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni Cœlorum Ianitor inſtituitur, dum ligandorum ſolvendorumque arbiter, manſurâ etiam in Cælo diſpoſitione præficitur.* Et alibi: *Tranſivit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius vigor permeauit: ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur.* Item Epiſt. LXXXIX. quæ eſt ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis*

orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiß. Petro Apoſtolorum ſummo omnium principaliter collocaret, vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet: vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe divini, qui auſus fuißet à Petri ſoliditate recedere.

S. Gregorius in Pſalmum V. Pœnitent. *In tantam ſuæ temeritatem veſania extendit, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Dominâ Gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet, quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro ſpecialiter commiſit, dicens: Tibi dabo Eccleſiam meam.* Et l. IV. Regiſtri epiſt. LXXXII. ad Joannem C. P. *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quam ſingularium plebium ſunt capita? Et tamen ſub vno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ.* Hæc ibi. Cum ergo B. Paulus ab eſſe capitis vniverſalis Eccleſiæ dejcitur, & ad communem cum Apoſtolis alijs ſortem revocatur, à B. Gregorio, eum non credidit Eccleſiæ Romanę confundatorem.

Stephanus III. Epiſt. IV. quam B. Petri nomine ad Galliæ Reges Pipinum & Carolum ſcripſit: *Ego Petrus Apoſtolus, dum à Chriſto Dei Vivi filio vocatus ſum ſuperna clementiæ arbitrio illuminator ab eius Potentiâ totius mundi, ſum præordinatus ipſo Domino confirmante: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Vide plura ibi. Vide etiam, ſi lubet Innocentium III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ. cap. VIII. Nicolaum Epiſt. ad Michaelem Imp. Pium II. & alios.

Probatur 4. ex Patribus, Agmen ducet Cyprianus, lib. de vnitate Eccleſiæ: *Tractatu longo, atque argumentis opus non eſt*, inquit, *probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. ------ Eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, ----- tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis ejuſdem originem ab vno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis: Sed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia à Cathedrâ vnâ monſtretur.* Et Epiſtola XXXX. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.* &c. Et Epiſt. XXXXVI. *Nec ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum Sanctum: vnum Epiſcopum in Eccleſiâ Catholicâ eße debere.* Verba ſunt eorum, qui à Fæliciſſimi Schiſmate, ad vnitatem Eccleſiæ redierant. Hæc ex B. Cypriano. Quantum abſunt à ſomnio Novatorum? quam facile eſſet totam illam ratiocinationem diſſlare, ſi Chriſtus bicipitem inſtituiſſet Eccleſiam?

Pacianus

Pacianus ſimilia habet Epiſt. III. ad Simpron. *Ad Petrum locutus eſt Dominus*, ait, *ad vnum, ideo vt vnitatem fundaret ex vno mox idipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit: & ego dico tibi*, &c.

Baſilius de Judicio Dei: *Ille Beatus Petrus, qui omnibus Prælatus Diſcipulis fuit ſolus, maius aliis teſtimonium accepit, & magis Beatus appellatus, cui Claves Regni Cœlorum commiſit.*

Nazianzenum ſupra laudavimus.

Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianum, *Cathedra vna eſt; & negare non audes ſcire te, Petro primùm in vrbe Româ Cathedram eſſe collatam, vbi ſederit omnium Apoſtolorum Caput, Petrus, inde Cephas appellatus.*

Ambroſius in cap. XXIV. Lucæ. *Diligis me plus his, vt doceret, quem elevandus in Cœlum, amoris ſui velut Vicarium relinquebat. Scis Domine, quia amo te, quis eſt alius, qui de ſe hoc facile profiteri poſſit? Et ideo quia ſolus confitetur ex omnibus, omnibus antefertur.*

Damaſus Epiſtolâ ad Stephan. & Epiſcopos Africanos. *Autoritas Sedis Apoſtolicæ Principis Apoſtolorum, quoniam ſolus & præ omnibus accipere meruit à Rege Regum Chriſto D. Claves Regni Cœlorum.*

Hieronimus Epiſtolâ LVII. ad Damaſum: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri Communione Conſocior. Supra illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Et lib. 1. in Epiſt. ad Galatas cap. 1. Paulus Petrum viſurus Hieroſolimam aſcendit, *Vt videret*, inquit, *Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet Authorem; ſed honoris Priori Apoſtolo deferendi.* Theodoretus ſimilia prorſus habet in eundem locum, ſimiliter & Oecumenius, & alij

Auguſtinus Epiſt. CLXV. *Si Ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt*, inquit, *quantò certius, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens*, &c. *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & Innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus ait de Præpoſitis malis: quæ dicunt facite; quæ faciunt, nolite facere, vt certa ſit ſpes fidelibus, quæ non in homine; ſed in Domino collocata numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur.* Et Serm. V. *Inter Apoſtolos ſolus meruit audire: Tu es Petrus ------- Dignus certè qui ædificandis in Domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, Clavis ad regnum.*

Tam multa habet Bernardus in libris de Conſider ad Eugenium III. vt totus exſcribere ferè debeat, qui velit omnia citare, lib. 1. cap. VIII. ait: *Tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, Tu Poteſtate Petrus*, &c.

Agmen claudet Annobius in Pſal. CXXXVIII *Petrus Epiſcoporum Epiſcopus, quod vt doceam, illud oſtendo, quod nullus Apoſtolorum Paſtoris nomen accepit. Solus enim D. Jesvs Christvs dicebat, Ego ſum Paſtor bonus. Hoc ergo nomen Sanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt Reſurrectionem ſuam Petro Pœnitenti conceſſit, & ter negatus negatori ſuo hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem.*

Prob. 5. totius Populi Romani ſuffragio : cùm enim Arianâ factione ſede ſuâ pulſus fuiſſet Liberius, & Eccleſia Romana ei Fælicem ſubſtituiſſet, illeque in B. Athanaſij damnationem conſenſiſſet, quò Romam reduceretur, Conſtantius Imp. eum reſtituere decrevit, ea conditione, vt ambo tanquam Collegæ junctis operibus atque conſilijs ſedem Romanam regerent. Inſolens Imperatoris conſilium ridiculo clamore, & veluti Ironico convicio Populus Romanus exploſit : *Benè eſt*, inquit, *nam & in Cyrco duæ pugnant factiones, ſuis quæque coloribus diſtincta : harum vni præerit Liberius, alteri Fælix.* Secuta ſeria, & generoſa totius caveæ acclamatio : *Vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſcopus.* Hæc ex Theodoreto lib. VII. hiſt. cap. XIIII. Tantus in re ſubitaneâ & improviſâ totius populi conſenſus demonſtrat inſculptam Chriſtianis mentibus illam legem, quòd non ſint in vnam ſedem plures Epiſcopi ſimul admittendi. Quæ lex tam vniverſaliter omnes nunquam occupaſſet, ſi illa Eccleſia fuiſſet à duobus Coëpiſcopis fundata : ſi duo illam capita rexiſſent.

Prob. denique 6. ratione Theologicâ. Chriſtus D. regimen Monarchicum in Eccleſiâ inſtituit. Vnde 1. Pet. II. 9. dicitur *Regale Sacerdotium.* Sicut autem Cælum non capit duos ſoles, ita nec Monarchia duos Monarchas. Eſt eadem Eccleſia vnum corpus, quod ſi duo capita habeat, monſtrum euadit. Eſt vna Domus, quæ non niſi vnum Patrem-familias agnoſcit : vnum Ovile, vni Paſtori commiſſum. &c. Hinc ſemper exhorruit ejuſmodi capitum pluralitatem vt diſcordiæ ſeminarium, charitatis peſtem, ſchiſmatis non omen ; ſed initium, ſed ipſum ſchiſma.

Nec obſtat, quòd velut probabile docuimus Apoſtolorum tempore, & aliquot poſtea ſæculis plures ſimul conſecratos ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopos. Licet enim plures eſſent ordinati, vnius tamen arbitrio tota Eccleſia regebatur, ſicut qui non ita pridem in Galliâ creabantur Epiſcoporum Coadjutores. Plures ergo habebant characterem Epiſcopalem, & ordinem ; ſed vnus tantum Juriſdictionem, Pedum, Cathedram. Hinc minus contra veteres canones erraſſe videtur *M. A. de Dominis*, qui docet ſolum S. Paulum Eccleſiam Romanam fundaſſe, eique præſediſſe ; quàm iſti eius ſententiæ interpolatores, qui duos ei fundandæ collaboraſſe ſomniant.

In calce duas S. Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſuras in totidem *M. A. de Dominis* Propoſitiones ſubjicio : Dixerat iſte lib. IV. Reip. cap. X. num. XXXXIV. *Falſum eſt vnionem Eccleſiæ Catholicæ in vnitate Rectoris viſibilis conſiſtere.* Cenſura, *Hæc propoſitio eſt hæretica, & Schiſmatica, quatenus negat vnitatem Rectoris viſibilis ad vnionem Eccleſiæ facere.*

Alia deſumitur de lib. IV. cap. VI. num. II. *Omnes ſanè Epiſcopi ſunt omnium Apoſtolorum, etiam Petri, in ſolidum ſucceſſores. Non enim Petrus habuit, quidquam particulare, in quo ei dari debuit, magis quam cæteris Apoſtolis ſucceſſio.* Cenſura. *Prior propoſitio, in quâ parte ſtatuit ſingulos Epiſcopos eſſe Petri ſucceſſores, eſt captioſa : quia Petrus vltra Poteſtatem ordinis, in quâ ei ſuccedunt Epiſcopi,*

aliam habuit jurisdictionis Apostolicæ, cui solus Romanus Pontifex succedit. Posterior est hæretica, schismatica, & Hierarchici ordinis perturbatiua.

Qui habet aures audiendi, audiat. Et qui facultatis illius nobilissimæ judicium in rebus levissimis tanti faciunt, huic censuræ in re maximi momenti maturâ præmissâ deliberatione latæ, subscribant, sed jam videamus quibus argumentis novitium dogma construant.

Argumenta contraria solvuntur.

OBjicitur 1. Epiphanius hæres. XXVII. *Romæ primi omnium*, inquit, *Petrus & Paulus Apostoli, pariter & Episcopi fuerunt.* Resp. Fuisse vtrumque ibi, negat nemo Catholicus, sicut nec eos fuisse ibi & Apostolos, & Episcopos; cùm vtraque dignitas illis immobiliter inhæreret, nec posset ab alterutro separari, vnde vbique fuerunt & Apostoli & Episcopi, vbi fuerunt ipsi. Non tamen erant proprij Episcopi locorum, ad quos divertebant. Convenerunt Apostoli Hierosolymis: & ibi erant Episcopi; non tamen Episcopi Hierosolimorum: cujus Ecclesiæ cura Jacobo fratri Domini commissa erat. Hæc ad verba, quod ad rem attinet, mens Epiphanij tantum est ibi loci ostendere Christianæ Doctrinæ sementem à BB. illis Apostolis, & Episcopis factam, intemeratam, & ab omni zizaniorum mixturâ puram extitisse ad tempus vsque Marcellinæ, pestilentis fœminæ quę prima errores eò invexit. Ex quibus patet, ex eo loco non satis efficaciter ostendi B. Petrum ibi sedisse tanquam proprium Episcopum, (quod ex alijs locis efficacissimè, & demonstratiuè probatur) nisi quis ita sapiat, vt dicat Apostolos nullibi Evangelij semina sparsisse, vbi non essent proprij locorum Episcopi: quod quis dicet?

Ad pleniorem hujus & aliarum objectionum explanationem, observo quòd licet duo ad vnum effectum concurrant, non inde benè semper infem eodem modo vtrumque concurrere, eandem vtriusque causalitatem esse. Tribuni militum, ipsique milites cum Imperatore, consiliarij cum Rege concurrunt, illi ad obtinendam victoriam, hi ad Rem publicam rectè administrandam: non tamen eodem modo concurrunt. Sic cum hominibus gratia Dei, & ipse Deus (egerunt Apostoli *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*) cooperabantur scilicet interius per inspirationes, exterius per miracula. Nemo tamen dicet parem esse Dei, & Apostolorum causalitatem. Similiter licet vterque Apostolus dicatur alicubi concurrisse, cooperatos esse ad hujus Ecclesiæ fundationem, id non excludit diversitatem illam, quæ datur inter propriè dictum Episcopum, & Episcopi cooperatorem, cum, qui auctoritate, ordinariâ & alium qui consilio, & industriâ, aut auctoritate solùm extraordinariâ laboret. Hæc enim in istis Apostolis distinguenda sunt, vt proprium cujusque officium dignoscatur, vt distinxit Venantius Fortunatus l. 3. Pœmat. in honorem BB. Apostolorum: vbi hæc habet!

Cœlorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore ſonat Paulus; fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
Hic Doctor monitis, celſior ille gradu.
Hunc per corda hominum reſerantur, & aſtra per illum
Quos docet iſte ſtilo, ſuſcipit ille Polo,
Pandit iter Cæli hic dogmate, Clavibus alter.
Eſt via qua Paulus, Janua fide Petrus.

Et Prudentius in eundem ſenſum cecinit: Hic nempe jam regnant duo
Alter vocator Gentium,
Alter Cathedram poſſidens
Primus recludit creditas
Æternitatis januas.

Vbi *Cathedra* ſoli Petro aſſeritur, etiam vbi Pauli merita recenſentur, Reliqua adverſariorum argumenta videamus.

Objicitur 2. Irenæus lib. III. contra Hæreſes. cap. III. ait *Eccleſiam Romanam à SS. Apoſtolis inſtitutam fuiſſe, ac fundatam.* Quis hoc negat? Quâ ratione hinc inferent vtrumque proprium Epiſcopum fuiſſe?

Objicitur 3. B. Cyrillus Hieroſ. Cat. VI. Jllumin. ambos vocat *Eccleſiæ capita.* Reſp. I. eodem vitio laborat, quo reliquæ objectiones, nec enim aſſerit eandem capitis rationem vtrique convenire. Reſp. 2. non vocat eos Eccleſiæ *Capita*; ſed προστάτας, *Præfectos*, ſive *Præſides.* & Cat. XI. Jllumin. ſolum Petrum πρωτοστάτην, *primum Præſidem* appellat.

Objicitur 4. Chryſoſtomus hom. XXXII. in Epiſt. ad Rom. eos vocat *Oculos Romæ*, & Paulum *Sanctorum Coryphæum.* Reſp. I. Hæc nihil probare patet ex dictis. Reſp. 2. dici *oculos Romæ*, quia per eos illa civitas Idololatriæ tenebras, & Fidei Lumen vidit. Alia verba ſanctitatem ipſius Commendant. *Illic videbimus*, inquit, *Paulum, cum Petro in Sanctorum Choro Coryphæum exiſtentem.* Hinc ſanctitate pares fuiſſe fortè dici poteſt; Dignitate pares fuiſſe, aut Proprios Romæ Epiſcopos inferri non poteſt. Quid quod ipſe Chryſoſtomus & in iſtâ homilia; & hom. vlt. in Joannem, docet Paulum honoris causâ viſitaſſe Petrum.

Objicitur 5. B. Leo Serm. I. in Natale Apoſtol. vocat eos *Romanæ vrbis Patres ac Paſtores.* Reſp. Romanorum fidelium Patres ſunt, quos genuerunt verbo: *per Evangelium ego vos genui.* Paſtores quia paverunt doctrinâ & Sacramentorum adminiſtratione. Cæterùm peculiaria Petri officia ibidem exprimuntur: *Per Beati Petri ſedem caput orbis effecta &c.*

Objicitur 6. B. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. XII. *Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in Principatu Apoſtolico Frater.* Quid tum poſtea? Olim omnes Chriſtiani ſe mutuò vocabant Fratres: Omnes Epiſcopi etiamnum à ſummo Pontifice vocantur Fratres. Num omnes Epiſcopi, omnes Chriſtiani

Dignitate pares, Ecclesiæ Romanæ Fundatores? Apage nugas. Certè Gregorium disparitatem inter istos Apostolos agnovisse docent hæc eius verba ex lib. II. in Ezech. cap. XVIII. *A minori suo reprehenditur*, scilicet Petrus, à Paulo, *& reprehendi non dedignatur.*

Dicta sufficient, ne tam frivola argumenta singulatim expendendo molestus sim. Quid enim si Ambrosius eos vocat *Capita Martyrum*, & *Principes Sacerdotum.* Si Maximus: *Principes Ecclesiarum*, & Fidei Christianæ: si Ecclesia: *Ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*, & *per ipsos Religio sumpsit exordium?* Si alij id genus alia? Non tam abjectè de Lectore meo judico, vt aut illius patientiâ, aut meo ocio abuti debeam, ista persequendo. Supersunt tamen duo argumenta in speciem difficilia.

Prius est, quod ipsi summi Pontifices se dicant *Successores BB. Apostolorum Petri & Pauli.* Paulus III. in Bullâ Indictionis Concilij Tridentini: *Auctoritate BB. Apostolorum Petri & Pauli, quâ nos quoque in terris fungimur.* Posterius est: in sigillis Diplomatum Pontificiorum effigies vtriusque exprimi solet: & aut semper, aut aliquando Paulo dextera datur.

Ad prius argumentum Resp. 1. Pontifices vtrique Apostolo succedere sed non eodem modo: Paulo in doctrinâ; vel docendi munere; Petro, in dignitate.

Respon. 2. Ejusmodi verbis non tam intelligitur officium, in quo succeditur, quam patrocinium, quod invocatur. Vnde Joannes PP. VIII. Epist CLXII. *Ex authoritate Dei, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum iubemus te omni Ecclesiasticâ communione privatum* -------. Et Nicolaus I. in sententiâ contra Photium: *Sit Dei omnipotentis, & BB. Apostolorum Principum Petri & Pauli, & omnium simul sacrorum, atque venerandorum sex Conciliorum vniversalium auctoritate, nec non & Spiritus sancti per nos judicio, ab omni Sacerdotali honore alienus.* Alexander II. Epist. IX. *Ex parte Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum & Electorum Dei*, ------. Non enim isti Pontifices se B. Dei Genitricis, aut omnium Sanctorum atque Electorum successores putarunt, quos vnâ cum Beatis Apostolis in subsidium invocant.

Et hanc fuisse Pauli III. mentem in loco citato patet: ait enim: *Authoritate BB. Apostolorum Petri & Pauli, quâ nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi.* Deinde se soli Petro succedere dicit, cum ait, *se vocatum ad gubernandam Petri naviculam.* Enimverò si se credidisset Paulo Apostolo succedere, debuisset se non *Paulum III.* sed *Paulum IV.* Nominare: quartus enim fuisset eius nominis, qui sedem Romanam occupasset. Verùm Tabulæ Ecclesiasticæ illius vrbis B. Pauli velut Episcopi Romani, nomen numquam exhibuerunt.

Ad argumentum ex sigillis Pontificijs desumptum Respondeo 1. illa non exhibere Fundatores Ecclesiarum; sed Patronos Episcopi, cuius sunt.

B. Carolus

B. Carolus Borromæus ſuo inſculpi curavit effigies Sanctorum Gervaſij, & Protaſij, cum hac inſcriptione : *Tales ambio defenſores.*

Reſp. 2. Præcipuum Summorum Pontificum ſigillum, quod ſolum in toto florentiſſimo Galliæ regno Authenticum habetur, ſolum Petrum exhibet, diciturque, *Annulus Piſcatoris.* Vnde liquet alio modo conſiderari Romæ B. Petrum, alio B. Paulum : cum primarium Pontificum ſigillum poſterioris effigiem non exhibeat ; & nullum extet ſine B. Petro. Quare licet illa ſigilla Fundatores exhiberent, inefficax eſſet Argumentum.

Sed quare vbi dantur ſimul, dextrum crucis in medio poſitæ latus occupatur à Paulo ? B. Petrus Damiani de hoc fusè diſputat Opuſculo XXXV. cap. I. & II. & varias cauſas affert ; ſed inter eas nulla eſt, quæ Novatoribus faveat. Prima eſt, quia Paulus fuit *ex Tribu Benjamin. Benjamin Hebraicè, Latinè filius dexteræ nuncupatur. Quid ergo mirum eſt, ſi ad dexteram conſtituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno jure ſortitur ?* Secunda eſt : *Non immeritò filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda eſt, ad fidei Sacramenta colligitur.* 3. Eſt : *Tanquam fulmineæ Chriſti manus vibratis cæleſtis eloquij gladijs, rigidas reſiſtentium Deo cervices, obtruncat. Rectè igitur Paulus dextri iuxta Redemptorem lateris obtinet dignitatem, qui divinæ dexteræ non ambigitur exercere virtutem.* 4. Eſt : *Vita terrena dicit ſiniſtram, cæleſtis autem dexteram : qui ergo carnis adhuc fragilitate circumdatus, ad cæleſtem vitam aſcendiſſe cognoſcitur, rectè filius dexteræ nuncupatur.* Et concludit : *vt ergo ad id vnde cepit ſermo recurrat : cum B. Petrus, ad dexteram ponitur, Primatus eius, quem inter cæteros eſt ſortitus Apoſtolos, honoratur : cum vero Paulus ejuſdem dextri lateris occupat locum, in Benjamin cujus eſt filius, myſticæ figuræ redolet Sacramentum.* Addit & V. rationem, quia per dextram contemplatiua, per ſiniſtram actiua vita deſignatur : Petrus autem actiuę vitę vacabat ; Paulus, alteri, tandem cap. IV. Jd ait in S. Paulo egregium, (ſiue ſingulare) quod ſinguli Apoſtoli proprias Cathedras alicubi conſtituerunt, ipſe ſolus nullam vſpiam habeat. Quantum à modernâ novatorum opinione differunt iſta !

Alij dicunt in Eccleſijs ſiniſtrum latus cenſeri nobilius. Enimverò Evangelium ad ſiniſtrum cornu Altaris legitur : Epiſtola verò ad dextrum : cujus ea ratio datur, quod Iudæi per dexteram, Gentes per ſiniſtram ſub lege Moſaicâ figurabantur: Gentes autem Indæis prælatæ ſunt. Certè cum fæminę ſeorſim à viris in Eccleſijs orarent, dextrum illis latus, iſtis ſiniſtrum aſſignatum eſt. Sophronius Hieroſolymitanus in Synodi VII. Actione IV. dicitur imaginem vidiſſe, Chriſtum D. in medio, B. Joannem ab eius dextris, B. Deiparam à ſiniſtris exhibentem. Nemo tamen inde intulit B. Joannem Deiparæ ſuperiorem eſſe.

Adhuc alij dicunt B. Petrum domi ſuæ reſidentem, B. Paulo, tanquam hoſpiti honorem deferre.

Denique antiquos laterum differentias non curaſſe, teſtis eſt Otho S. A.

Legatus

Legatus in Angliâ ſub Gregorio IX. qui eâ ratione litem compoſuit inter Archiepiſcopos Cantuarienſem, & Eboracenſem in Synodo Londin. An. D. MCCXXXVII. De quo vide Matthæum Paris. Hæc de Novitio errore, bicipitis Eccleſiæ.

CAPUT XIX.

De Chorepiſcopis.

ANtiquus adeò eſt Chorepiſcoporum in Eccleſiâ gradus, vt illorum initium, nullâ diligentiâ Recentiorum, nullâ induſtriâ detegi potuit hactenus. Imo nec ſatis conſtat quando eſſe deſierint. Ipſe ſiquidem Annalium conditor in deſignandâ eorum extinctionis Epochâ non annis aliquot duntaxat; ſed etiam ſæculis erraſſe demonſtratur. Nec minus eorum dum eſſent, officium: cum aliqui putent eos veros fuiſſe Epiſcopos, alij meros fuiſſe ſacerdotes: Alij dicant eorum aliquos fuiſſe Sacerdotes, alios Epiſcopos. Adeoque nihil, quod Chorepiſcopos tangit, exploratum habetur. Nos, quod probabile videtur, proferemus in medium, judicio alijs relicto, cui noſtrum libentiſſimè ſubmittemus, vbi nos à rei veritate deviare ſciemus.

Dico 1. Chorepiſcoporum nomen non invenitur ante Concilium Nicænum: ipſi tamen longè fuerunt antiquiores. In Concilio quidem Nicæno mentio fit de illis Can. VIII. vbi decernitur, vt Epiſcopis Novatianis, ſive Catharis ex Hæreſi reverſis vel Chorepiſcopatus, vel Presbiterium provideatur. Vt in gradu Cleri conſerventur. Id ſi civitas in quâ reperiuntur Paſtorem habeat Epiſcopum proprium: quod ſi ſedem vacare contingat, jubet Synodus eos Thronum illum aſcendere. Erant illi non hæretici, ſed ſchiſmatici tantum. Unde non adeo ſeverè in eos ad Eccleſiam reverſos animadvertebatur: nec alia nova fidei Profeſſio exigebatur, quam ut cum digamis, & ijs qui lapſi fuiſſent communicarent.

Præterea in ſubſcriptionibus Concilij ejuſdem ponuntur inter Epiſcopos Chorepiſcopi quinque Provinciæ Cappadociæ, totidem Provinciæ Iſauriæ, duo Provinciæ Bithiniæ, duo Provinciæ Cœleſiriæ, & unus Provinciæ Ciliciæ. Ait Marca eos Epiſcoporum à quibus deſtinati fuerant nomine ſubſcripſiſſe. Sed vnde hoc probat? aut quibus indicijs id deprehendit? Nihil ejuſmodi in eorum ſubſcriptionibus occurrit: imò eorum nomina promiſcuè cum alijs Epiſcopis ponuntur, præterquam in Provinciâ Cappadociæ, in quâ infra alios Epiſcopos ſubſcripſerunt, fortaſſè ex Reverentiâ illis debitâ ſub quibus miniſtrabant. In alijs certè Provincijs non alium videtur ordinem fuiſſe ſervatum, quam antiquitatis ex ordinatione: adeo miſcentur Epiſcoporum, & Chorepiſcoporum nomina, ſolus primus locus & fortè ſecundus, Epiſcopis vbique tribuitur

buitur, propter Metropolitæ dignitatem. Et videntur ſuo jure loca in Concilio illo occupaſſe, quandoquidem nuſquam apparet aliunde conquiſitus titulus. Confirmatur: nam immediatè poſt Oſium Præſidem duo Sacerdotes à S. S. A. directi nomen ſuum apponunt, addito Legationis quâ fungebantur titulo. Unde fit reliquos id haud fuiſſe omiſſuros, ſi alieno, & non proprio nomine Concilio interfuiſſent, ſaltem eorum aliquis, vel vnus id oſtenderet. At ejuſmodi nihil prorſus occurrit, divinaſſe proinde videtur in re facti Eruditiſſimus Dominus Marca.

Poſt Nicænam Synodum frequens eſt de illis mentio ad ſæculum vſque IX. aut etiam X. vt videbimus. Concilium Ancyranum Can. XII. reſtringit in aliquibus eorum auctoritatem: quod etiam facit ſynodus Antiochena Can. X. aliqua etiam de illis decernuntur can. VIII. ejuſdem ſynodi. Deinde in Occidente in concilijs & Gallicis, & Hiſpanicis de ijſdem actum eſt, vt obiter videbitur infra. In Italiâ in litteris ſummorum Pontificum Decretalibus de illis agitur; ſed in concilijs minus frequenter, ſi tamen aliquando ſermo ingeſtus eſt. At verò ante Nicænam magnam ſynodum nihil de illis habetur: cùm nec Ignatius, nec Dioniſius, nec Tertullianus, aut Cyprianus, nec Irinæus, eorum vnquam meminerint.

Malè tamen, imo peſſimè hinc inferes, eos ejus Concilij tempore, vel non multo ante natos fuiſſe. Solum quippe ſilentium niſi aliunde ſint rationes probabiles confirmantes, infirmum eſt argumentum ad aliquid probandum non extitiſſe: maximè vbi clara ſunt indicia, quæ doceant extitiſſe. Qualia hic occurrunt: exempli cauſâ, eorum præſentia in concilio celeberrimo, datus eis ſine controverſia locus, ſuffragia recepta, nomen cum alijs ſubſcriptum: Omnia perinde facta, ac cum alijs. Hoc certè cum ordine nuper exorto, ab alijs diverſo, non vbique recepto, proindeque multis ignoto, nunquam fieri potuiſſet: vnde conſtat non tunc primùm, aut paulo ante, inſtitutum illum ordinem.

Præterea Concilia Ancyranum, & Antiochenum de ijs loquuntur, tanquam de genere hominum pridem noto: nec eos inſtituunt; ſed priſcis ſæculis inſtitutos agnoſcunt; nec dant novam eis poteſtatem, ſed quâ fruebantur eam reſtringunt. Sequitur ergo ab vltimâ antiquitate, adeoque ab Apoſtolorum temporibus extitiſſe Chorepiſcopos. Tametſi fortaſſè nomen ipſum ipſis inditum fuerit, quando extra civitates Metropoliticas ſedem habuerunt. De quo Cap. XIV. ſimili diſcurſu reliqua traditione Apoſtolicâ profecta eſſe docemus, quòd non appareat quando inceperint, & quòd qui primi de ijs mentionem faciunt, loquantur tanquam de re pridem notâ. Hoc ſenſerunt illi Romani Pontifices, qui Chorepiſcopos in ſeptuaginta Diſcipulorum locum ſucceſſiſſe tradunt. Puta Gelaſius, Leo I. alter Leo nomine III. &c.

Addo ſive dico 2. ipſos Chorepiſcopos initio, & vſque ad IV. ſæculum incluſivè, fuiſſe quoad ordinem, & characterem veri nominis Epiſcopos. Hoc colligo

colligo I. ex eo, quod Concilio Nicæno pari cum alijs jure interfuerint; eius decreta ſuo calculo firmârint, ſuo chirographo roboraverint. Quod enim dicitur à Marcâ eos interfuiſſe tanquam ab Epiſcopis ſuis ſubdelegatos, gratis dicitur; vt vidimus. Non improbabile videtur aliquos Chorepiſcopos concilijs Africanis interfuiſſe: nam difficile eſt credere, quod exnon magnâ regione ducenti veri nominis Epiſcopi convenire poſſent, cum obætatem, morbos, negocia, multos abeſſe neceſſe eſſet.

Colligo 2. ex Concilio Antiocheno can. X. vbi de ijs hæc habentur: *Qui in Vicis vel Poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & vt Epiſcopi ordinati ſint, tamen ſanctæ Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant, vt gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine, curâque contenti ſint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas: quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbiterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Epiſcopum, cui ipſe ſubjectus eſt. Si quis autem transgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo vtebatur honore, privetur, Chorepiſcopum verò Civitatis Epiſcopus ordinet, cui ſubjectus eſt.* Hæc illa Synodus: quæ notanda prorſus ſunt, quia nullibi tam clarè deſcribuntur iſti Chorepiſcopi.

Ex quibus manifeſtè colligitur eos eo tempore fuiſſe veros Epiſcopos quoad Ordinem, & Characterem. Hoc patet 1. ex eo quod dicantur *Manuum impoſitionem Epiſcoporum percepiſſe, & vt Epiſcopos ordinatos eſſe.* Licet enim alteri Epiſcopo ſubjecti eſſent, nec quicquam iuriſdictionis haberent, niſi quantum Epiſcopus ijs communicabat, tamen Ordinem habebant, quem à jurisdictione ſeparari poſſe, liquet ex laudato Canone Niceno. Patet 2. quia permittitur, illis Ordinatio Subdiaconorum, imo etiam Diaconorum, & Sacerdotum, ſi conſentiat iſtorum Epiſcopus. Talium autem Ordinationes nunquam permiſſæ fuerunt in Eccleſiâ Dei non Epiſcopis. Erant ergo veri Epiſcopi quoad Ordines?

Objicitur. Permittitur eorum conſecratio vni Epiſcopo in hoc ipſo canone: *Chorepiſcopum Civitatis Epiſcopus ordinet, cui ſubjectus eſt.* Ergo non erant Epiſcopi, cum ex antiquiſſimâ legè Eccleſiaſticâ Epiſcopus non niſi à Tribus ordinari poſſit. Reſp. Nonconſtat plures Epiſcopos conſecrantes eſſe de neceſſitate Sacramenti, vel ordinationis. Tres requiri communis eſt ſententia praxi Eccleſiæ conformis. Canon I. niter eos, qui dicuntur Apoſtolorum, duos vel tres requirit, vnde fit tres non eſſe neceſſarios. Duos requirit Concilium IV. Carthag. can. II. vbi tamen vnus ſolus *ſuper Conſecratum fundere benedictionem dicitur.* In Pontificali Romano tres exiguntur, ſed uni tantum nomen *Conſecratoris* imponitur: reliqui duo dicuntur *Aßiſtentes.* Et qui conſecrat pleraque peragit ſolus: alij ſolum dicunt *Accipe Spiritum ſanctum*, & tenent cum conſecrante Biblia, dum ea à conſecratore ſub conceptâ formâ verborum conſecrato dantur. Unctiones verò ſacræ & manuum & verticis, à ſolo Conſecratore fiunt. Unde merito illi ſoli nomen illud competere

petere videtur, licet id ſine aliorum aſſiſtentiâ fieri numquam liceat. Hinc non ſine causâ putant aliqui vnum Epiſcopum validè conſecrare alium, licet graviſſimè peccet, qui id ſolus aggreditur. Vnde ſequitur, & validè & etiam licitè conſecratos ab Epiſcopo ſolo Chorepiſcopos: cum id eis in eo Concilio fuiſſet conceſsum. Non tamen illis conceſsum eſt *Epiſcopi* nomen, vt èx ipſo nomine, tituloque ſuo, ſe Epiſcopo ſubeſſe ſcirent, plebemque ipſorum curæ commiſſam, non velut propriam; ſed vt alienam curarent, ſcirentque ſe de omnibus Epiſcopo, ſecundum Deum, rationem eſſe reddituros.

Atque hinc puto illis acquiſitum jus intrandi in Concilia Generalia; ibique & deliberativum, & definitivum ſuffragium habendi: prout in magno Concilio factum vidimus.

Dico 3. quod probabilius mihi videtur in hac obſcuriſſimâ materiâ: ex Apoſtolorum tempore ob perſecutionis immanitatem conſecratos plures in quâlibet majori civitate Epiſcopos, quo Ordinis, perpetuitati conſuleretur. Hos initio in eâdem civitate vixiſſe, Epiſcopum tum in Cleri regimine plebiſque iuviſſe, tum in Sacramentorum, verbique adminiſtratione: quales fuiſſe videntur Romæ, ſuperſtite Beatiſs. Apoſtolorum Principe, *Linus*, & *Clemens*. Ex horum collegio vacante ſede electum aliquem, qui illam conſcenderet, eo modo quem Alexandrinos obſervaſſe tradit B. Hieronimus, ſupra laudatus, (cap. XIV.) vſque ad *Heraclæ*, & *Dioniſij* tempora. Et toto eo tempore *Presbiteri* ſiue *Seniores* vocabantur. Vnde qui Act. XIV. *Seniores* referuntur conveniſse cum Apoſtolis videre de Legalium obſervatione, videntur ex ijs eſſe, quos Laborum Apoſtolicorum ſocios aſsumpſerant Apoſtoli, & cum manuum impoſitione conſecraverant.

Aucto deinde Fidelium numero, & ad Pagos, vicos, & Oppida à civitate matrice, remota, ſubjecta tamen eidem, extensâ Evangelij fermente, ſenioribus prius in civitate primariâ degentibus commiſsa eſt cura Fidelium alibi degentium, tum quod Epiſcopus non poſset commodè relictâ vrbe eò excurrere: tum quia ab iſtis *Senioribus* æquè bene res illę adminiſtrari poſſent: tum denique quia ſubinde metus aliquis exiſteret, ne fortè tandem motus aliquis charitati mutuæ contrarius exiſteret, ſi plures in ſummo, eodemque gradu collocati ſimul viverent, in vnâ civitate. Non tamen arbitror extitiſſe de facto talem motum, (tametſi id B. Hieronimus affirmet) quia nullum alivnde ſuppetit eius indicium; ſed quod accidere poſſet: ideo prævenire illum voluerunt Epiſcopi, diſperſis in varias ſuæ Parochiæ (ſic Diœceſes olim appellabant) partes ſenioribus illis, quas coleret quiſque. Tunc autem ab officio illis commendato *Chorepiſcoporum* nomen ijs impoſitum: quaſi *Epiſcopi Vicarij*, ſive *Regionarij*, *Epiſcopi* ad deſignandam in ſubjectos Fideles Poteſtatem. *Chore* præfigitur, vt eorum dependentia ab Epiſcopo proprio deſignetur. Chorepiſcopatus enim miniſterium eſt ad levandam Epiſcopi ſollicitudinem in Pagis & vicis Paræciæ Epiſcopalis, Tunc etiam facti videntur

Sacerdotes ſimplices, ideſt, non *Epiſcopi*, qui Epiſcopum juvarent in Sacramentorum adminiſtratione. Presbiterium enim ſimplex eſt Ordo manuum impoſitione collatus ad conficienda & miniſtranda Sacramenta. Et videntur Chorepiſcopi ſævientibus perſecutionibus quaſi pleno jure partem Paræchiæ ſibi commiſsam, ob difficultatem recurrendi ad Epiſcopum, adminiſtraſse: licet & ipſi, & plebs ijs commiſsa, ſcirent totam illam auctoritatem in Epiſcopo reſidere, ab eo manare, & ab eodem vel limitari, vel auferri poſse.

Licet autem iſta Diœceſeos ſubdiviſio ob neceſſitatem ſæviente perſecutione inſtituta eſset, non tamen vnà cum perſecutione deſijt; verum datâ ſub Conſtantino Magno pace, perſeverauit. Jn concilijs Generalibus vi characteris Epiſcopalis Doctores orbis à Spiritu ſancto conſtituti, pari cum alijs Epiſcopis iure fruiti videntur. Extra Concilia, quantum illis ab Epiſcopo permittebatur. Sed tamen extra Concilia particularia non apparet ijs reſtrictum ius illud, quod initio habuerunt ampliſſimum.

Jn Oriente, & Galatiâ eodem fere tempore, quaſi communicato conſilio reſtringi cæpta eſt eorum Auctoritas, interdictâ illis Presbiterorum, atque Diaconorum ordinatione. Hæc enim habet Synodus Ancyrana can. XII. *Chorepiſcopis non licet Presbiteros, vel Diaconos ordinare: Sed nec Presbiteris Civitatis ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris, in vnâ quâque Parochiâ aliquid imperare: nec ſine auctoritate litterarum eius in vnâ quâque Parochiâ aliquid agere.*

Antiochęnæ verò Synodi canon in confirmationem ſecundę concluſionis noſtræ allegatus eſt. Ex vtroque liquet Epiſcopos Authoritati ſuæ ſuper Chorepiſcopos conſuluiſse, retinendo ſibi cauſas vniverſas Cleri in civitate degentis, & maiores etiam cauſas eorum, qui in vicis erant: atque ordinationem Presbiterorum, & Diaconorum. Cæterùm cum appareret eos, qui vel Subdiaconatu, vel etiam minoribus ordinibus initiandi forent, & etiam qui minores tantum Ordines expeterent, ſine magno incommodo Epiſcopos adire poſse, nec vlla eſset neceſſitas, ob quam qui Diœceſeos partibus præſiderent, charactere Epiſcopali donarentur, nomen illud, & officium nomine deſignatum, ſimplicibus Sacerdotibus vulgari cæptum eſt. De quibus intelligendum, quod à Gelaſio dictum eſt, Chorepiſcopos ſeptuaginta Diſcipulis ſuccedere.

Dico 4. non videtur ſimul vbique factam mutationem per totum orbem Chriſtianum. Apparet ex zelo adverſus eos Summorum Pontificum ob quoſdam abuſus à Chorepiſcopis introductos, ramum illum Cleri citò exaruiſſe in Jtaliâ: qui Apoſtolicâ falce identidem in Gallias, Hiſpanias, Germaniam, Africam, extensâ, eum ibi quoque excindere ſtuduerunt. Sed quo prę-ciſè tempore eſſe deſierunt, non conſtat. Baronius ad An. Dom. DLXXII. falſi arguit quandam Joannis PP. III. Epiſtolam, de illis agentem, quod eorum nomen longè antea deletum fuiſſet ex Germaniâ, & Galliâ: auctoritate ſcilicet Epiſtolæ Leonis M. LXXXVIII. ad Epiſcopos iſtarum regionum.

num. Cæterum meliori ratione de falsitate suspecta est illa Leonis Epistola ad duarum Gentium Episcopos directa, quæ Leonis, atque tribus sequentibus sæculis, vix invicem communicabant. Nec enim ante Caroli Magni tempora in easdem Synodos convenerunt. Vnde illa Epistola cujuscunque sit IX. sæculo adulto antiquior non videtur. Marca lib. II. Concordiæ cap. XIII. n. II. Credit eius mentionem fieri in Synodo II. Hispalensi. cap. VII. quia decretum in Chorepiscopos latum auctoritate Sedis Apostolicæ roboratur: Quod non nisi de istâ Leonis Epistolâ intelligi posse contendit. Malim ego Synodi Hispalensis Patres Gelasij decretalem Epistolam V. ad Episcopos Numidiæ intellexisse, quæ adeo severa est, vt accerrima in Corepiscopos invectiua videatur, ex zelo quo flagrabat Optimus Pontifex decoris Domus Dei, quem isti fædabant.

Quicquid sit, negari non potest, eruditissimum Annalium conditorem hac in re aliquid humani passum esse: adeo quippe nondum sæculo VI. deletum erat Chorepiscoporum nomen, in Gallia, vt etiam sæculo IX. frequens fuerit. Certè in Concilio Parisiacensi An. Dom. DCCCXXIX. sub Ludovico, & Lothario Imp. can. XVIII. decernitur: *vt Chorepiscopi modum mensuræ suæ, qui in sacris Canonibus præfixus est, non excedant.* Et An. Dom. DCCCXXXVIII. in Concilio Moguntino condemnatus est Godescalcus Prędestinatianus, qui factus fuerat Presbiter à Chorepiscopo Remensi.

Deinde Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis an. Dom. DCCCXIII. in Monasterium se recepit: in cujus locum substitutus est Agobardus ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus, consentiente Imperatore, & vniversâ Gallorum, Episcoporum Synodo: teste Adone. Et an. Dom. DCCCLXXXVIII. In Concilio Metensi can. VII. Jubentur Episcopi denuò consecrare Ecclesias, quas Chorepiscopi consecraverant. Vnde ad X. vsque sæculum superfuisse in Galliâ videntur Chorepiscopi.

Dico 5. iis successisse videntur quoad jurisdictionem Decani rurales & Archidiaconi: quoad Ordinem & characterem Episcopalem, sine jurisdictione in vllam particularem Ecclesiam, Episcopi, qui dicuntur *in Partibus.* Hæc omnia melius sentientium iudicio libenter submitto.

CAPUT XX.

De Hierarchiâ Ordinis.

UT ab altiori principio ordiamur, notamus Deum non solum cuncta suâ potentiâ creasse, ac bonitate conservare verum etiam providentia regere, & ordinare. Quamobrem à Clemente Alex. I. 1. Stromat. dicitur esse *quid Iustum, Pium, Religiosum*: consentivnt omnes, nisi quod R.P. Gab. Vasquez

contendat primum, & nobiliſſimum illud nomen ei in rigore Scholaſtico minimè competere. Hinc à B. Dioniſio inter Divina Nomina ponitur τάξις, *Ordo*: & eſt ſupremus Ordo Ordinans. Quia rei omnes μετ' εὐταξίας *cum bono ordine* produxit, ſive vt ſacræ habent litteræ: *Omnia in numero, pondere, & menſurâ depoſuit.*

Hinc optimè dictum ab Apoſtolo Rom. XIII. *Quæ ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Nec enimverò ad ſolum Principes ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticos (quorum occaſione ab Apoſtolo dicuntur) reſtringenda ſunt illa verba: quaſi verò Deus primarias, & nobiliores mundi partes, aut ipſos homines omnes ordinare voluiſſet, qui in primâ mundi diſpoſitione conſtituti ſunt omnium creaturarum Domini, & Principes ab eo, *qui gloriâ & honore coronavit eum, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum.* Pſal. IV. reliquis omnibus in aggeratâ confuſione ſordeſcere permiſſis: quemadmodum ignaui Pictores extantes in tabulâ perſonas affabrè & artificioſè depingunt, reconditas, & ab intuentium oculis veluti remotiores confuſis tantum lineamentis negligenter deſignant. Ad minima quæque deſcendit Divina mens, minima in ſe format, cum alijs aptat, diſponit, ordinat, & nuſquam ſe, quam in minimis, magis ſpectabilem, admirabilemque demonſtrat. De quo videatur Baſilius, & ex eo Ambroſius in Hexameron: Theodoretus, ſermonibus de Providentiâ, & alij paſſim.

Hinc rerum omnium cumulus, qui *Vniverſum* dicitur, latinè *Mundus*, græcè κόσμος, nomen à munditie, & ornatu, pulchritudine & venuſtate, quæ ex concinno partium ordine aptâque diſpoſitione ſortitur. *Ordo*, inquit Gregorius ille cognomento Theologus Orat. XXVI. *Omnia conſtituit, & colligat, ordo cæleſtia & terrena continet, ordo in iis quæ ratione, & animo intelliguntur locum habet: ordo in iis quæ ſenſibus percipiuntur, ordo in Angelis, ordo in Aſtrorum motu, magnitudine, naturâ, relatione, ſplendore, &c.*

Nec ad ornatum tantum, & vanum decorem, ad intuentium contemplationem & delectationem inde naſcituram Ordo talis à Deo inſtitutus eſt; verum etiam ad vſum commodumque rerum ita diſpoſitarum, vt ſe mutuò iuvent, regant, tueantur, foveant, agant, reagant, concordi denique diſcordiâ corruptioni obnoxias partes, aut in ſe conſervent, aut in ſimili renovent. Et ſic ſeque, aliaque perficiant, ſecundum ſuam naturam.

Præcipuè tamen duplicem à Deo mundi Opifice ordinem inſtitutum eſſe obſervare licet: Generalem alium, per quem Res dignitate impares, virtute diſſimiles, ratione carentes, ita diſponuntur, vt qualitates aut ab alijs recipiant, aut alijs impertiantur. Alium particularem, ſolis rebus intellectualibus proprium, quas impoſitâ parendi lege, & imperandi Poteſtate datâ in aliquam ſocietatem Ordo conjunxit.

Duplex porrò eſt creatura intellectualis Angelica, & Humana & duplex datur

datur ſocietas, duplex regimen, duplex veluti Reſpublica : Angelica vna, altera humana : Ambæ ſub vno Principe Chriſto, *qui conſtitutus eſt ſuper omnem Principatum, & virtutem, & Poteſtatem, & Dominationem, & omne quod nominatur in hoc ſæculo, vel in futuro.* Epheſ. I. 21.

Hinc conſurgit prima, Vniverſaliſſima, Nobiliſſimaque Hierarchia : in quâ Deus, Angelus, Homo : Deus ſupremus Hierarcha perficiens, Angelus medius Jlluminans ; Homo infimus purgans. Deus vt Princeps intendens Finem : Angelus vt Conſiliarius diſponens Media : Homo vt Miniſter in ſe exequens. Deus Ordinat : Angelus Dirigit ; Homo Exprimit. Huc nos ducunt Dioniſij verba, cap. 1. de Eccleſ. Hierarchiâ : dum ait, *Hierarchiæ Principium eſſe Trinitatem, Vitæ fontem, & Bonitatis eſſentiam.* Sed relictâ in præſenti ſupremi Hierarchæ explicatione, Angeli, Homineſque conſiderandi : & vtriuſque Societatis ex vtriſque conflatæ finis attendendus eſt.

Angelicæ Societatis finis eſt Beatorum illorum ſpirituum Perfectio, quam acquirunt per mutuam Divinarum Jlluſtrâtionum, & Jrradiationum communicationem, ac Receptionem, vt fusè toto libro de Cæleſti Hierarchiâ docet B. Dioniſius, & ex ipſo Theologi, tractatu de Angelis.

Hominum Societas duplex : quoad Corpus, & quoad Animam. Prior Reſpublica dicitur ſive ſtatus Civilis : hæc ea, quæ corpori neceſſaria ſunt, eorumque conſervationem, iuſtam diſtributionem, augmentum reſpicit : vt vita præſens, quantum eius fert conditio, pacificè, beatèque tranſigatur : quod per Pacis Civilis conſervationem, & Juſtitiæ Legalis adminiſtrationem obtinet, vt aiunt Gelaſius PP. Juſtinianus, Carolus M. & Carolus Calvus Jmpp. Hildebertus Cenomannenſis, & Arnulphus Lexovienſis Epiſcopi, atque Lupus Ferrarienſis, & Bernardus Clarevallenſis Abbates. Vnde duo illa ſpectat ſtatus Civilis. Altera ſtatus eſt Eccleſiaſticus & ſacer, qui ea ſpectat, quæ ad alteram, poſt Corporis diſſolutionem, Animæ vitam immortalem, & omni modo Beatam conducunt : quæ ita nos in præſenti dirigit : vt in futurum Beatis Angelorum agminibus ſociari mereamur, vt cum fuerimus in Exilio Cives Eccleſiæ militantis, in Patriâ Triumphantis Eccleſiæ Cives efficiamur, & concives Anglorum, in Æuiternam illam Hierarchiam tranſcripti, vbi *erimus ſicut Angeli Dei :* imò Deo ſupremo Hierarchæ ſimiles, *quia videbimus eum ſicuti eſt.* De hac ſolâ ſocietate præſens ſermo inſtituitur.

Hæc ſacratiſſima ſocietas à B. Dioniſio eius expoſitore primo, & admodum accurato lib. de Eccleſ. Hierar. c. III. dicitur ἱερὰ τάξις, καὶ ἱερὰ ἀρχή. *Sacer Ordo, & Sacer Principatus.* Tria in eâ ſpectanda monet eius ſcholiaſtes B. Maximus, ad cap. V. eiuſdem operis : μυστήριον, μύστην, καὶ μυουμένους *Miſterium*, ſive operationem ipſam aut Sacramentum : *myſtam*, aut eum qui Sacramentum adminiſtrat : & eum, *qui Sacramentum* ſuſcipit. q. d. Jnitiationem, Jnitiantem, & Jnitiatum : Actionem, Principium Actionis, ciuſque Terminum, ſive ſubiectum.

Sed

Sed & Actio ipſa in tres ſpecies ab ijſdem Authoribus dividitur: εἰς κάθαρσιν, μύησιν φωτιστικὴν, καὶ τελείωσιν. Hoc eſt: Purgationem, Jlluminationem (illuminatricem Jnſtitutionem) & Perfectionem. Quod ſcilicet Hierarchæ Purgent, Jlluminent, Perficiant. Purgant, per Exorciſmos, Catechiſmos, & alia quibus immundi homines ab Jnfidelitate, Dæmonum Poteſtate, ſervitute Peccatorum eripivntur, & ad Eccleſiæ communionem diſponuntur: Baptiſmum vocant Jlluminationem: Euchariſtia verò, atque Confirmatio, Perfectiones cenſentur. Hæc ex aliis. Dicere poſſumus etiam, Exorciſmos, primorum Fidei rudimentorum traditionem, & duo Sacramenta, quæ vulgò mortuorum appellantur, & fortè Extremam Vnctionem, ad primam Hierarchicam Actionem ſpectare: Penitiores Divinæ Legis explicationes, admonitiones privatas, publicas exhortationes, libros pios, potiſſimùm qui myſticam Theologiam docent, ad ſecundam: Confirmationem verà, Euchariſtiam, & Ordinem, ad Tertiam.

Ex dictis ſequitur 1. tres eſſe gradus myſtarum, ſiue tres gradus Hierarchicos: Epiſcopos ſcilicet, Presbiteros, & Miniſtros: prout in Concilio Tridentino ſeſs. XXIII. can. VI. definitum legitur. Omnes enim iſti ex ipsâ conſecratione ſuâ poteſtatem adepti ſunt vel omnia, vel aliqua ſaltem opera Hierarchica exercendi. Omnia producunt Epiſcopi, pleraque Presbiteri, aliqua Miniſtri.

Conficitur 2. tres pariter eſſe gradus eorum, qui Hierarchicas actiones percipiunt: Primum, eumque infimum occupant Energumeni, Catechumeni, in peccato mortali conſtituti, & publicæ Pœnitentiæ ſuppoſiti: in ſecundo ponitur Plebs fidelis Chriſtianè ad legis Dei amuſſim vivens. Tertius debetur Perfectioribus Laicis, Monialibus, Religioſis Ordinibus Militaribus, & Monachis, qui necdum ordinibus vllis initiati ſunt, nec ad eos ex vitæ ſtatu deſtinantur. Qui verò ex vitæ propoſito ad ordines anhelant, & in viâ ad eos verſantur, re extra Hierarchiam ordinis exiſtere cenſendi ſunt; ſed in voto, in deſiderio, intra eum. Adeoque neutri parti abſolutè annumerandi ſunt: ſicut Embrio nec abſolutè dicitur non homo, nec abſolutè Homo; ſed in tranſitu ad eſſe hominis, *homo in fieri*, *homo in Actu primo proximo*, *homo in Potentiâ*, vt loquvntur ſophiſtæ.

Objicitur: aliquos ea Laicis libros optimos, pientiſſimoſque ſcripſiſſe: privatis admonitionibus ex præſcripto Chriſti D. Fratrum ſaluti conſulere, olim etiam Dæmones exorcizaſſe: quæ cuncta ſunt Hierarchicæ Actiones, ſicut eſt & illa baptizandi, abſentibus Clericis. Sunt ergo Hierarchæ. Confirmatur, quia non aliâ ratione probamus dari Hierarchiam in Angelis, quam quod ejuſmodi actiones exerceant. Reſp. Nego conſequentiam: quia actiones illas per ſe non facivnt, nec ad eas eliciendas ab Eccleſiâ, aut Deo Hierarchiæ fonte deſtinantur: ſed ſolum per accidens, in abſentiâ, & ob defectum aliorum, quibus id ex officio competit, vtpote qui ad ea facienda peculiari

peculiari ſacroque ritu inaugurantur. Alia Hierarchiæ ratio illis fortaſſe competit, de quo infra. Sic Imperator non dicitur, qui Exercitui moderatur in periculo conſtituto, abſente, aut ſeu vulnere, ſive morbo impedito Imperatore, licet omnia Imperatoris officia inſigniter obeat: qualis Lucius Martius Eques Romanus, qui occiſis in Hiſpaniâ Scipionibus, palantes milites in vnum corpus collegit, & glorioſam de victore hoſtium exercitu victoriam reportauit: Nec Monarcha, qui abſente Rege Regnum benè adminiſtrat: qualis Monkius in Angliâ, dum in exilio verſaretur Carolus II. Non enim aut ille miles in Hiſpaniâ *Proprætor*, aut iſte Dux. in Angliâ Rex, habendus eſt, licet ille Militares, hic Civiles artes & noſſet, & exerceret inſignitèr. Agebant enim illi de facto; non de jure: neceſſitate cogente; non legitimâ authoritate inſtructi.

Duplex eſt in Hierarchis Poteſtas ab invicem diſtincta (vt patet ex mutuâ earum ſeparatione) Ordinis, & Juriſdictionis. Ordo ſine Juriſdictione reperitur in Epiſcopis Titularibus, Clerum & Populum non habentibus, in Presbiteris, vti loquuntur, ſimplicibus, id eſt, qui nullum habent Beneficium cui cura animarum, aut aliqua dignitas Eccleſiaſtica annexa eſt, Item in Clericis ſuſpenſis, atque Depoſitis, qui quoad externum Eccleſiæ forum, pro non Clericis habentur, adeoque quoad nos ordinem ipſum amiſiſſe videntur, licet indelebilem Ordinis characterem animo retineant, & ſi aliquando reſtituantur, id ſine nouâ conſecratione fit, quæ ſine ſacrilegio iterari non poteſt. Juriſdictio ſine Ordine datur in Epiſcopis Electis, nondum conſecratis, Curatis, Archidiaconis, alijſque, qui nondum ſunt ſacris initiati. De Poteſtate Ordinis hactenus locuti ſumus. Altera juriſdictionis tametſi ſuo modo Hierarchica ſit, videtur tamen non perinde nobilis, ac alia: quia eius actiones non adeo perfectè Purgant, Illuminant, Perficiunt, ac quę ab Ordine emanant. Nobiliſſimæ ſcilicet Actiones Hierarchicæ ſunt Sacramentorum adminiſtrationes, ad quas ſola juriſdictio nullum ius, nullam poteſtatem, nullam vim confert immediatè, & formaliter, licet mediatè conferat, quia jus dat ad ordinem, ad quem Electus vi Electionis tenetur intra tempus à ſacris canonibus præſcriptum. Qui vero vtramque adepti ſunt, & Ordinem ornant Juriſdictione, Juriſdictionem Ordine perficiunt, ji primò, per ſe, & perfectiſſimo modo ſunt in Hierarchiâ.

CAPUT XXI.

CAPUT XXI.

Ordo Perſonarum in Hierarchiâ Ordinis.

EPISCOPI ſupremum in Hierarchiâ gradum occupant, quod fide ſanctum eſſe videtur, non ſolum, quia Concilium Tridentinum loco ſupra laudato eos primò nominat; verùm etiam quod Apoſtolis ſuccedunt, ad eandem cum ijs dignitatem evecti ſunt, quod Apoſtolus dum. 1. Cor. XII. & Epheſ. IV. eos enumerat, qui Spiritui ſancto cooperantur *ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti*, Apoſtolos, qui & Epiſcopi, ante alios recenſent. Confirmatur, ex Actionibus Hierarchicis: quarum aliquæ à ſolis Epiſcopis emanant: nimirum Ordo & Confirmatio, Jn alijs potiores quodammodo videntur Epiſcoporum partes, quatenus eos ſuo jure producunt; quas alij ponunt, jure ab Epiſcopis accepto: quod obſervatum ſupra c. XII.

Jnter iſtos eminet Epiſcopi Romani Majeſtas, ob ſingularia B. Petro Apoſtolorum Principi Privilegia conceſſa non ab homine, neque per hominem; ſed à ſolo Deo. Jdque tum ob juriſdictionem in alios Epiſcopos ampliſſimam, quorum cauſæ maiores ad eum referendæ ſunt: tum maximè ob ſtabilitatem in fide, quam Chriſtus D. precibus ei, ejuſque ſucceſſoribus impetravit, non pro ſe tantum, verùm etiam pro Fratribus eorum, Epiſcopis alijs, per totum orbem diſperſis. *Rogaui*, inquit, *pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hoc in Fratres ſuos officio functus eſt Petrus in ſuis ſucceſſoribus (vt loquuntur Patres Concilij Chalcedonenſis) ſuperſtes, dum errores quarta decimanorum in Oriente, Baptizatos ab Hæreticis Rebaptizantium in Africâ, Macedonianorum & Eutichianorum Conſtantinopoli, Arrianorum, Pelagianorum, Neſtorianorum, Monothelitarum &c. penè vbique graſſantium, Authoritatis ſuæ mole compreſſit. Quæ Faculcultas, Actioneſque inde manantes, cum ſint nobiliſſimæ, illivſque Cathedræ, ſupra quam Eccleſia ædificata eſt; veluti propriæ, negari non poteſt altiorem ei iu Eccleſiaſticâ Hierarchiâ deberi locum: & verò ſimile eſt, aut ſpecie, aut certè quaſi ſpecie differre Poteſtatem iſtam Hierarchicam, ab eâ, quam in alijs Epiſcopis veneramur. Enimverò ſtabilitas in fide, *vt non circumferamur omni vento doctrinæ*, velut proprius actus Hierarchicus recenſetur Epheſ. IV. 14.

Diſpar eſt de aliis Patriarchis, Archiepiſcopiſque ratio, cum nihil ſuper alios Epiſcopos à Deo habeant, à quibus ſolâ Lege Eccleſiaſticâ diſtinguvntur. Major enim, latiuſque patens in foro ſolum externo Juriſdictio non ſufficit ad conſtituendum in Hierarchiâ ſtrictè ſumptâ gradum. Alioqui dicerentur Epiſcopi, qui majoribus præſunt Eccleſijs, & ſubditos habent numeroſiores, celſiori in gradu collocandi: quod abſurdum eſt.

De

De Chorepiſcopis nihil: cum non ſatis conſtet quo in loco conſtitui debeant, quorum Ordo ignotus propemodum eſt, niſi quæ de jis dicta ſunt vera inveniantur.

Sequuntur Sacerdotes, ſive Presbiteri: quibus tres actiones Hierarchicæ conveniunt: vt vidimus.

His vicini ſunt Diaconi: quos in Hierarchiâ Tridentinâ Synodus collocat, Albius, vt ſupra vidimus, eos inde eliminat ſolitâ ſibi temeritate, quem c. VI. impugnavimus. Enimverò & Exorcizant, & Baptizant, quæ ſunt Actiones Purgativæ: & Illuminant, Evangelium annunciando: & Perficiunt, dum in Sacris ſolemnibus vnà cum Sacerdote Sacrum Calicem offerunt, & divinum ſanguinem populo olim diſtribuebant.

Et quia Tridentinum non vſitatâ voce Diaconos, quę ex Eccleſiæ vſu vni Ordini Sacerdotibus vicino propria eſt, voluit appellare; ſed aliâ, *Miniſtri*, quæ reliquos Ordines etiam minores comprehendit, non improbabile nobis videtur alios intra Hierarchiam admittendos eſſe, ſaltem vſque ad Exorciſtas incluſivè: Cum Exorciſmi ſint Actiones Hierarchicæ, iuxta Beatum Dioniſium.

Præter hos, qui per ſe, & ratione Ordinis, quo ſunt initiati, adeoquè directè in Hierarchiâ ponuntur, alij locum illum habent per accidens, ratione Perſonæ, quâ cum connectuntur, & cum quâ vnam veluti Perſonam conſtituere videntur: quemadmodum vbi omnes Regni Ordines recenſentur ſanctius conſilium cum Rege ponitur.

Hac ratione coniunctim cum ſummo Pontifice ponuntur I. S. R. E. Cardinales: quos B. Petrus Damiani lib. II. Epiſt. II. appellat *Spirituales vniverſalis Eccleſiæ Sacerdotes.* Bernardus lib. IV. de conſider. *Seniores Populi, Iudices orbis.* Concilium Baſileenſe: *Summi Pontificis in dirigendâ Chriſtianâ Republicâ Collaterales.* Joannes PP. XXII. in Extravag. *Execrabilis: circa Pontificem vniverſali Eccleſiæ ſerviunt.* Gloſſa in Extravag. *Dudum de Schiſmaticis: membra Capitis, cum reliqui Prælati ſint membra corporis.* Quod vltimum qualiter ſit accipiendum docet Paleottus de conſultationibus Sacris Conſiſtorij par. I. q. III. a. II.

Ponuntur 2. A Summo Pontifice Miſſi, atque Legati. Cum enim hi ſummum Pontificem repræſentent, & eius authoritate veſtiantur, adeoque verba eorum moraliter ſint verba Pontificis, reduci debent ad eundem cum Pontifice gradum: idque vel propiùs, vel remotiùs, juxta menſuram authoritatis ab ipſo acceptæ.

Ad eundem pertinere videntur 3. qui receptâ à ſummo Pontifice authoritate, ſacra munia obeunt, & ad id peculiaribus à S. S. A. donati ſunt Privilegijs. Licet enim Dignitatem in foro externo non habeant, nec Perſonæ Pontificiæ repræſentationem, in foro tamen interno Conſcientiæ (quod coram Deo nobiliſſimum eſt) Pontificiam auctoritatem repræſentant, cujus vi à caſi-

bus Papæ reſervatis abſolvunt. Non tamen propterea negandum eſt, eos eſſe Coadiutores Ordinariorum, ijſque ſubſervientes ſuo modo: atque ad eos etiam pertinere, quatenus ab eis approbantur, & ſub ijs laborant.

Cum Epiſcopis collocantur primò, eorum Vicarij Generales, quorum idem cum Epiſcopi cenſetur Tribunal. 2. Archidiaconi, qui *Epiſcoporum Oculi* vocantur. 3. Cathedralium Eccleſiarum Canonici: qui dicuntur in Conſtitut. Apoſtol. *Conſiliarij Epiſcopi, & Eccleſiæ corona*, à Cypriano lib. de ſingular. Cleric. *Senatus Eccleſiæ candidus*, Eos verò Alexander. III. c. *Novit. de his, quæ à Prælatis ſine conſenſu capit.* ait, *vnum corpus eſſe cum Epiſcopo: vt iſte ſit caput, illi membra. &c.*

In eundem locum aſcendunt Parochi, infra Epiſcopos, ſed longè ſupra Diaconos. Eorum cum Privilegiatis comparationem non inſtituo, quia res eſt invidioſa. ad ſolam aliquorum offenſam conducens, qui offenſæ occaſionem quærunt. Nec obſtat, quod eos ſummo Pontifici adjunxerim. Sic qui eorum qui ordines ducunt in duobus exercitibus, (quorum alteri Rex, alteri Regis ſubditus præeſt) catalogum texit, non cenſetur propterea prioris Præfectos, alterius Præfectis præponere, aut cum ijs componere.

CAPUT XXII.

Quædam alia Hierarchiæ membra.

VIDETVR Apoſtolus alia Hierarchiæ membra aſſignaſſe, Epheſ. IV. 11. vbi hęc habet: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*, vbi licet dicamus *Doctores* in Hierarchiâ ſuperius explicatâ contineri, *Prophetæ* & *Evangeliſtæ* non niſi admodum violenter in eum Catalogum inſerentur. De Apoſtolis & Paſtoribus nulla eſt difficultas. Alia membra eadem inſeruit idem Apoſtolus. 1. Cor. XII. XXVIII. *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ?* &c. vbi varia Dei dona hominibus in aliorum ædificationem conceſſa enumerat, quæ Ephæſ. IV. ſunt omiſſa. Et cum manifeſtè pateat ea ad actus Hierarchicos Purgationem, ſcilicet, Illuminationem, & Perfectionem ordinari, negari non debet Hierarchiam ibi exponi, & membra eius recenſeri. Enimverò Epheſ. IV. de Hierarchiâ in Eccleſiâ inſtitutâ ſermonem eſſe, demonſtrant hæc Apoſtoli verba: datos à Deo ejuſmodi diſpenſatores myſteriorum Dei, *ad conſummationem Sanctorum in opus*

ipus ministerij, in adificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vnius cujusque membri, augmentum corporis facit in adificationem sui in charitate. Hęc B. Apostolus: quæ referre volui, quia manifestè probant stabilitatem in fide, declinationem errorum, augmentum charitatis, vitæque Christianæ Perfectionem istis deberi, quos eum in finem Deus in Ecclesiâ instituit, vt ista fiant. Quæ vtique perfectissimi sunt actus Hierarchici, & 1. Cor. XII. de eadem loquitur, quia Conc. Tridentinum sess. XXIII. cap. IV. verba Apostoli ex 1. Cor. XII. producit, ad asserendam Hierarchiam Ecclesiasticam contra Hæreticos, qui sacros ministros & inter se, & cum Laicis confundebant, credidit ergo S. Synodus ibi de Hierarchiâ agi. Nec recurrendum ad marginem vt idem probemus: cum in ipso textu Concilij hæc habeamus: hæreticos perindè facere, *ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes sint Doctores.* Hæc ibi. quæ verba cum non nisi 1. Cor. XII. reperiantur, Concilium sensit ibi locutum fuisse Apostolum *de Hierarchiâ.*

Non placet Aurelio in illis locis agi de Hierarchiâ: ne inde conficiatur Religiosos esse in Hierarchia, inter illius membra ab Apostolo enumerata contineri. Jdeoque totis viribus pugnat, Apostolum loqui *non de gradibus Hierarchicis solis; sed de omnibus generatim gratijs, quas Deus, Spiritu sancto, in Ecclesiæ corpus diffundit.* Quæ sunt eius verba pag. 178. ęditionis Parisiensis, anni Dom. MDCXXXXII. quâ solâ vtor in præsenti. Videamus quibus id argumentis asserere conetur. Primum ipsius argumentum est: Apostolus ipse initio Capitis ait: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et subjungit in fine: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quid tum posteâ? Certè quin gratiæ illa dona ad proximi salutem destinata, ideo vocata *Gratiæ gratis datæ* à Theologis ad actus Hierarchicos destinentur, ad ædificationem Corporis Christi, quis ignorat? Quis negabit? Quod si ad actus Hierarchicos ordinentur, cur non censebitur eorum principium & causa, eos Deo assistente producens, Hierarcha? Non tamen velim omnem gratias divinitus acceptas habentem in Hierarchiâ ponere. Sunt gratiæ gratum facientes in eius vnius bonum concessæ, cui dantur: has possidens non propterea Hierarcha censebitur: sunt etiam gratię gratis datæ tantum ad aliquam actionem transeuntem, loquela v. c. Asino concessa; has etiam Hierarcham non facere fateor, At verò quando stabilia sunt illa dona, quale illud linguarum in Apostolis, Prophetiæ in Agabo (de quo Act. VI. & Act. XX.) alia in alijs S. Scripturæ locis, quæ dona possidentes Hierarchas esse, dicam donec

meliora in contrarium videro argumenta, quam quæ hic producuntur. Nec enim video vllam repugnantiam inter Hierarcham, & talibus donis ornatum, Poteſtatem Hierarchicam, & gratiam gratis datam. Si Hierarchia cum ordine confundatur Eccleſiaſtico, fateor gratias illas, quantumvis ſtabili modo poſſeſſas, Hierarcham non conſtituere. Sed non apparet vlla ratio quare Hierarchia ad Ordinem reſtringatur: & varia ſunt argumenta probantia non reſtringi, vt mox videbimus.

Secundum ipſius argumentum eſt: Apoſtolus ait: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos,* ----. ſubjungit Aurelius: *In Eccleſiâ,* inquit, *non in Hierarchiâ, vt clariſſimè liqueat de Eccleſiâ Apoſtolo ſermonem eſſe; non de Hierarchiâ, quæ non Eccleſiæ corpus; ſed ſolum pars capitalis eſt.* Hæc ille. Quaſi verò, ex eo quod poſitos dicat *in Eccleſiâ* illos gradus, ſequatur, eos non eſſe Hierarchicos! aut Hierarchia ipſa quanta eſt non ſit *in Eccleſiâ*, & non poſſit verè dici: *Poſuit Deus in Eccleſiâ Hierarchiam!* eſt ne Hierarchia extra Eccleſiam totam, vt qui dicit aliquem eſſe *in Eccleſiâ*, neget eum eſſe Hierarcham? An negabit Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, ipſumque Romanum Pontificem dici debere, *eſſe in Eccleſiâ*, quia ſunt Hierarchę? Aut feret extra Eccleſiam poni, eo quod aliàs de Hierarchiâ non eſſent? ſed inquit: *Hierarchia non eſt Eccleſiæ Corpus; ſed ſolum pars Capitalis.* Sit ita ſanè: ſed ſicut pars Capitalis eſt in corpore, cujus pars eſt, ita Hierarchia eſt in *Eccleſiâ*; ſicut dicit Apoſtolus: & qui habent illa dona ad ſalutem proximi data, cenſeri poterunt Hierarchæ, licet ſint in Eccleſiâ.

Argumentum 3. ipſius eſt: *Si omnia ab Apoſtolo recenſita nomina gradus Hierarchios ſonent, & eo ordine referantur, quem quique gradus in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ obtinent, fatendum eſt virtutes, gratias curationum, genera linguarum, eſſe gradus Hierarchicos ipſo ſtatu regulari præſtantiores: cum ab Apoſtolo ante opitulationes, quibus Regulares ſignificari volunt, enumerentur.* Reſp. neque quæritur à nobis quid per *Opitulationes* intelligatur, neque de gradu cuique Hierarchæ debito diſputatur. Nobis abundè ſatis eſt verbis illis gradus aliquos Hierarchicos deſignari: cui nihil in hoc argumento poſitum officit. Nec ex intentione Authoris, in alium fertur, quam in ſolum Loemelium: cujus Apologiſtam cum non agam in præſenti, non eſt cur ei Clipeum prætendam, ad excipiendum telum nemini præterea nociturum.

Argumentum 4. ipſius Prophetiam ſpeciatim impugnat: quam docet non eſſe Hierarchicum donum, primò *quia infidelibus data eſt, cum inter Paganos extiterint Sibillæ & aliæ Prophetides.* Secundò: *quia ſucceſſionem non habebant vnde orirentur Prophetæ, nec quam ex ſe propagarent; ſed extraordinariâ & ſingulari miſſione progeniti* -------- *individuo, & quaſi ſterili trunco vigebant.* Hæc ille, ſpeciatim Prophetię dono infenſus, cuius præclaros effectus B. Apoſtolus exponit, 1. Cor. XIV. vbi cum illam linguarum dono prætuliſſet quod *qui loquitur linguâ, ſe ſolum ædificet: qui autem prophetat,*

tat, Ecclesiam Dei adificat: v. 24. ait: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel Idiota, convincitur ab omnibus, dijidicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians, quod verè Deus in vobis est.* Hæc Apostolus: Purgationem Jnfidelis, & Jnstructionem Jdiotæ, & vtrivsque confessionem, & Humiliationem, Prophetiæ adscribens. Vt meritò Prophetas Hierarchas esse pronunciare non dubitemus, quibus tam nobile opus Hierarchicum attribuitur.

Ad Aurelij rationes accedamus: fuisse inter Paganos Prophetissas non nego; sed pugno nec perpetuum in illis fuisse illud donum, nec sine aliquâ Dæmonis invocatione plerumque exercitum: quo vtroque titulo longissimè à Prophetiæ dono fidelibus concesso differrebat. Quod non nisi in antris prophetarent, nec nisi irruente in se dæmone, & furore percitæ, nec ad se reversæ vellent volitantia folia iterum componere, vt dicebant Ethnici, vt ego sentio, non possent, & id genus alia, quæ passim de ijs traduntur, pravi Spiritus indicia certa sunt. Non nego tamen Deum per ipsas nolentes, etiam invito Dæmone, aliqua de Messiâ prædixisse, sicut per Pithonissam invitam Samuelem suscitavit, sed hoc quid ad stabiliendum talem Prophetiæ spiritum, qualem exhibent divinæ scripturæ? Quid quod dici potest id, quod à Sibillis de adventu Messiæ, de Jdololatriæ exinde ruinâ, & id genus alijs prædictum est, non à Deo fuisse revelatum; sed à Dæmone vel ex traditione Judæorum, velex divinis scripturis: qui Act. XVI. Pithonissæ significauit Paulum, ejusque socios, *servos esse Dei viventis: qui viam salutis annunciabant.*

Ad aliud respondeo: si vim doni siue virtutis Hierarchicæ propagativam necessariam esse contendat, ad esse Hierarchiæ, vt videtur, & nullum esse Hierarcham, qui non à sibi simili producatur, & sibi similem producat, multos è Hierarchiæ finibus eliminet oportet, quos ipsa fides intra illos agnoscit. Nec enim Sacerdos, neque ministri, tales sunt, cum neuter ordinis characterem ab alio simili recipiat, & alteri communicare possit. Quid de cælesti Hierarchiâ dicam, in quâ omnes sunt steriles, quod ad sui similis productionem spectat: nec enim vnus Angelus alium ejusdem ordinis, nec supremus Seraphin infimum infimi Ordinis Angelum producere potest. Negabit ergo rationem Hierarchiæ in Angelis: illinc eam exulare volet; vbi prima perfectissimaque eius natura existit, vnde ad Ecclesiam translata est? Quid de Spiritu sancto dicam? Quid de Patre æterno? Quorum alter à nemine producitur, alter nullum sui similem producit. Nec enim datur tertia Processio in Divinis, nec vlla prior Generatione verbi. Num ideo negabit Divinum Patrem, Sanctum quoque Spiritum esse Hierarcham, licet in omnibus Hierarchis agat, omnes animet: à quo solo multa, sine quo nihil fit, aut fieri potest ab vllo Hierarchâ?

Vnde consequens est rationes istas nihil evincere. Et proinde licebit sentire ab Apostolo, tum 1. Cor. XII. tum Eph. IV. institutam partium Hierarchiæ enume-

enumerationem : & ſingula membra ibi contenta, ſingula exprimere Hierarchica dona. Nec vero vlla data eſt Aurelio cauſa tam Thraſonicè gloriandi & quaſi de proſtrato hoſte triumphandi, vt ex ſequentibus verbis apparet eum feciſſe. Hæc enim ait : *Nemo jam non videt, manantes certatim vndique è ſpongiâ futilitates & imperitias, quæ ſuâ ipsâ multitudiue ſeſe tegunt, & ſublevant, vt ſingularum gravitas, quæ ſeorſim turpiſſima videretur, in tanto numero obſcurata tenuior appareat.* Hæc ille pro ſuâ modeſtiâ. pag. 179. Sed non agitur Loemelij cauſa : verum Concilij Tridentini. Quod enim *Loemelius* dicit Apoſtolum 1. Cor. XII. Hierarchiæ membra diſtinguere, hoc à Tridentino didicit. Nec opus confugere ad marginales notas, aut Plantini Typographi Antuerpienſis induſtriam, vt fidem eius præſtem in ijs addendis : aut eas hæreticorum more in textum transferre, quo tuta ſit Loemelij ſententia, cum quę Concilij textui intexta ſunt verba abundè ſufficiant. Concilium verba producit, quæ non niſi 1. Cor. XII. reperivntur ; ex illis verbis probat partes Hierarchiæ non eſſe confundendas, quas Apoſtolus diſtinxit. Locutum ergo de Hierarchiâ Apoſtolum in illo loco, illis ijſdem verbis, docet Tridentina Synodus : cui ſine culpâ Loemelius fidem adhibuit. Et in hoc ſi quæ *futilitates*, *ſi qua imperitiæ* tanto numero inveniantur, à Concilio ipſo præſtari debent, vnde tranſlatum in *ſpongiam* eſt, quod hic tantâ ſtilo accerbitate caſtigat Aurelius.

De Actibus Hierarchicis Regularium ſpeciatim vide infra c. XXIX.

CAPUT XXIII.

Variæ aliorum de Hierarchiâ ſententiæ.

NON omnium qui de Hierarchiâ ſcripſerunt ſententias exponere, aut etiam exquirere animus eſt. Nullas etiam in præſenti referendas, aſſerere ſtatui, vtpote quas vniverſim non approbo. Id vnum volo, quæ dixerint paucis referre, rebus ipſis in medio relictis : quiſque de ijs quod libuerit ſentiat.

Primus ordine temporis eorum, de quibus aliquid dicturus ſum, eſt B. Bonaventura, qui peculiare de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ Opuſculum edidit, in quo gradus Eccleſiaſticos Angelicis comparat. Et Religioſis ſupremum Seraphinorum locum aſſignat. Epiſcopos & Sacerdotes Dominationibus æquat : Virtutibus eos qui judicandi Poteſtatem habent. Poteſtatibus, Reges & Principes ſæculares comparat : Humiles, & Obedientes Principatibus : continentes Archangelis : Miſericordes denique Pœnitentes Angelis. Quæ graduum Eccleſiaſticorum, & Sæcularium cum Angelicis Ordinibus adaptatio,

tio, & comparatio, vt vt ingenioſa ſit, & fortè pia, & bonum in finem inſtituta, liberior tamen eſt, quam vt eam ferant noſtri ſæculi Ariſtarchi. Qui enim Religioſis ordinibus nullum in Hierarchiâ locum permittunt, qui ad infimum Eccleſiaſticorum ſubſellium, imò ad Laicorum gradum eos detrudunt, quomodo ferrent eos cum Cherubinis, atque Seraphinis conſtitui, relictis in inferiori loco ipſis Epiſcopis? Nec ipſe inficias ibo, inordinatam eſſe ordinationem iſtam. Hoc tantum habeo, quod dicam, Seraphicum Doctorem, dum iſta ſcriberet, illud vnicè præ oculis habuiſſe, vt virtutum exponeret exercitia, ſtatui cuique propria, ſecundum quod in vſu erant ipſius tempore: non ſecundum quod ſtatus ipſi ea requirebant. Sic autem ſpectatam Fidelium diſtributionem, quare cum ſtomacho rejiciamus, aut in Authorem excandeſcamus, alioſve reprehenſione dignos arbitremur, qui eam ex ipſo producunt, non video, niſi oſtendi poſſit S. Doctorem in quæſtione facti ſui temporis falſum fuiſſe, aut nobis poſt quatuor ſæcula perſpectiora eſſe, quæ tunc contigerunt, quam ijs, qui cuncta oculis ſuis videbant.

Gerſonis magnum & in Sorbonâ, & vbique nomen. Hierarchiam ab alijs omnibus aut neglectam, aut omiſſam expoſuit, quam Hierarchiam Iuriſdictionis aliqui appellant, ipſe Poteſtatem Eccleſiaſticam vocat. Js tract. de Poteſtate Eccleſiaſticâ, totum Eccleſiæ Regimen ab vno ſupremo Monarchâ, ſummo Pontifice, per Cardinales, Epiſcopos, Vicarios Generales, Archidiaconoſque deducit ad infimum vſque Clericum, qui juriſdictione vel ordinariâ, vel delegatâ fruitur. Jn eo cum Poteſtatem Eccleſiaſticam in Poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis diviſiſſet, illam paucis abſolvit dicendo eam aliquibus in rebus in Epiſcopis Sacerdotibuſque parem: cum omnes eodem modo conſecrent: Aliam, quę juriſdictionis eſt pluribus explicat: ſupremi Hierarchæ poteſtatem exponit: componit ſpiritualem Eccleſiæ gladium, cum temporali Principum: aitque Poteſtatem ſpiritualem ſoli lumen vſquequaque ſpargenti, & Angelicæ Hierarchię ſimilem eſſe. Excludit ab hac ſiue poteſtate, ſiue Hierarchiâ, Epiſcopos titulares, carentes plebe, & ſimplices Religioſos, authoritatiuè non Hierarchizantes, & Laicos. Jncludit verò in eâ Papam cum Cardinalibus, Archiepiſcopos, Epiſcopos, curatos; Jtem aliquos Abbates, Decanos, Præpoſitos, & id genus alios.

Thomas Waldenſis, Angliæ lumen, Wicleffi Malleus, lib. III. doctrinalis fidei art. 1. cap. XVI. Religionum diverſos gradus aſſignat. Jn ſupremo gradu ſolam ponit *Vnionem Hypoſtaticam*: quam Religionem Chriſtus ſibi reſervauit. Sequitur *Religio Martyrum*, quæ debetur tum ijs, qui Martyrium actu ſubierunt, tum qui alacri animo illud ſubituri forent. Talis eſt Religio Apoſtolorum, & Epiſcoporum. Sed quis dubitat multos non Epiſcopos ad hunc gradum ſpectare, in eo verſari?

Tertia eſt *Religio Monaſterialis*: ad quem ſpectant omnes continentes, potiſſimum verò illi, qui ſemet ſacris Deo votis conſecrarunt. Quarta eſt

Religio

Religio continentiæ vidualis. Ad quam revocat Sacerdotes sæculares. Verùm ad leniendam hujus dicti invidiam: distinguit in Sacerdotibus dignitatem, (scilicet ordinis) à statu: & dicit eos ratione Dignitatis omnibus præeminere: ratione status inter continentes esse.

Si quis nolit istos rectè Hierarchiam explicasse, imò nequidem de Hierarchiâ locutos esse, ego cum eo contensionis funem trahere nolo. Aliqua omnes á communi Hierarchiæ acceptione remota proponunt: pugnant tamen aliqui Religionem apud Waldensem, Potestatem Ecclesiasticam apud Gersonem pro Hierarchiâ poni. An ita sit, alij viderint.

CAPUT XXIV.

Qui sint in Hierarchiâ.

Diversæ sunt istæ Hierarchiæ, ab invicemque distinctæ; non tamen oppositæ, non contrariæ: non se mutuò interimunt, non pellunt; in eodem è contra subjecto possunt vnà consistere, imò (quod virtutum proprium est) se mutuò defendunt, ornant, corroborant: & nunquam magis splendent, quam quando in eodem Hierarchâ reperiuntur, sicut omnia perfectissimè in Apostolis fulserunt. Prophetavit Cayphas, *quod esset Pontifex anni illius*, ait B. Joannes. Prælatis commissum est, vt plebem ipsorum solicitudini creditam non sacramentis duntaxat; sed & verbi pabulo pascant. Sunt enim verò *sal terræ, lumen mundi, supra candelabrum positi, vt luceant omnibus, qui in domo sunt:* sunt Doctores, sunt Præsides *ab ipso spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Unde ad eorum etiam laudem pertinet, quicquid in Hierarchiæ Charismatum commendationem dicitur.

Inter Hierarchas recensentur à Tridentinâ Synodo quicunque Sacerdotes, & eorum Ministri, scilicet ritè consecrati, similem ob causam: spectant enim ad illos omnes etiam vi ordinis Actiones aliquæ Hierarchicæ. Deinde Hierarchiæ Jurisdictionis aptissima sunt subjecta: licet ista communicari possit & alijs non initiatis, solâ primâ Tonsurâ donatis. Ijdem etiam proximè dispositi sunt ad Charismatum dona, licet de istis verificetur quod ait dilectus Jesu Discipulus: *spiritus vbi vult, spirat.* Quia divinus ille spiritus, licet omnibus sufficientem ad benè, pièque vivendum gratiam largiatur, vt nemo conqueri jure possit sibi vires defuisse ad mandata Dei servanda necessarias, exuberantem tamen illam gratiam, quam in præsenti Charisma vocamus, & quæ in aliorum etiam profectum ordinatur, non omnibus largitur, quia non omnibus seorsim sumptis ad summam etiam Perfectionem enitentibus necessaria est; licet toti Ecclesiæ necessaria

ceſſaria, ſit, cuius incolumitati Perfectionique abſque illâ non foret ſatis proſpectum.

Hinc ſemper data ſunt in Eccleſiâ illa chariſmata; nulli tamen hominum generi affixa fuerunt; ſed ſpiritus vbi voluit Prophetiæ donum v. c. inſpiravit homini. Hoc enimverò conceſſum eſt Hieremiæ, & Ezechieli Sacerdotibus, Danieli & Zacharię, Laicis, Iſayę docto Nobili, Amos indocto Bubulco: etiam fœminis, vt in veteri lege Mariæ, ſorori Moyſis, Deboræ, duabus Annis, filiæ Phanuelis, & Samuelis Matri. Et in novâ lege: *Omnis mulier — Prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum.* 1. Cor. XI. Imò etiam infidelibus Prophetia conceſſa: Balaamo nimirum, & Sibillis. Imò ſemel, ἀλόγῳ ζόῳ conceſſam legimus: cùm Aſinus *humanâ voce loquens Prophetæ prohibuit inſipientiam.* II. Pet. II. 16. verùm in ſolis fidelibus credo eam fuiſſe ſtabilem. De quo ſupra.

Donum miraculorum etiam inanimatis rebus conceſſum eſt. Mira quippe fiebant per ſudaria, & ſemicinctia Pauli, & per Vmbram Petri: Deo potentiam ſuam exerente per quæcunque inſtrumenta ad effectum minimè proportionata: quin & aliquando per eidem adverſa, vt cum luto cæci oculos liniens, eum illuminauit, quòd de ſe cæcitatem videnti; non viſum cæco dare natum erat.

Religioſos Aurelius, Hallerius, le Maitre, aliique totis ingenij viribus, à Hierarchiâ procul arcent: alii admittendos eſſe pugnant. Lis facile componeretur, ſi ſepoſitis præiudicijs, & Partium ſtudio, judicij æquitati ſemper infenſo, rerum natura præcisè ſpectaretur. Quid enim habent Religioſi à reliquo Clero diverſum, ratione cujus extra Hierarchiam eſſe jubeantur? Votumne Caſtitatis? At hoc illis cum Clero ſæculari commune eſt. An verò obedientiæ? At hoc etiam eos admittere cenſent aliqui, dum ſacris initiantur, Clerici ſæculares. An denique Profeſſio Paupertatis? At hanc Clericis omnibus indictam fuiſſe, ad aliqua ſæcula; docebimus infra. Et verò Chriſtus D. Apoſtolos ſuos ad omnia bona ſua vendenda, & diſtribuenda inſtituens, nihil illis edixit cum Hierarchiâ incompoſſibile. Nec dici poteſt illa tria ſimul totum conficere tam malignantis naturæ, vt Hierarchiæ rationem è ſubjecto ſuo pellant? Cum illa perfectiſſimo in gradu extiterint maximè concordia in primis Hierarchis à Chriſto inſtitutis, eorumque dignitatem magnopere illuſtrarint. Imò nec pares futuri fuiſſe videntur Apoſtolico muneri ipſi Apoſtoli, niſi Paupertate, Caſtitateque fuiſſent inſtructi. Quid ergo reperitur in Religioſis Eſſentiæ Hierarchiæ adverſum? Nihil enim à Clero ſæculari diverſum habent, præter illa vota, quę Religionis Eſſentiam conſtituunt. Niſi fortè adeo mutata ſit Hierarchiæ ipſius eſſentia, vt quæ priſcis ſæculis tribus votis adſtrictos admittebat, eos ad vnum omnes deinceps faſtidire inceperit.

Singulas percurramus Hierarchię ſpecies, eorumque fores pulſemus, vt

appareat an Religiosis pateant. Et primò Hierarchiam Ordinis non aversari Religiosos, patet, quia non pauciores Religiosi Sacris Ordinibus initiantur, quàm sæculares. Sunt Religiosi Sacerdotes, sunt Diaconi, sunt hypo Diaconi, sunt etiam minoribus initiati, & ne dicant Episcopos non esse, Hispania, & Italia plurimos veneratur Religiosos, Sacris infulis ornatos: Orientalis verò Ecclesia non alios admittit ad summam illam dignitatem: vt nihil de summis Pontificibus dicam, è sacrâ B. Benedicti familiâ assumptis, longo ordine sibi mutuo succedentibus in Ecclesiâ omnium Principe Româ.

Sequitur Jurisdictio: quæ cur magis nunc, quàm olim, cum Religiosis votis pugnet, nihil video. Religiosi olim jurisdictione etiam ordinariâ potiti sunt vbique. Ea multis etiamnum confertur in Oriente, & etiam in Occidente, vbi Canonici Regulares multas Ecclesias Parochiales laudabiliter regunt.

Supereſt Hierarchia Charismatum: in quâ cùm multi Religiosi & superioribus sęculis, & etiam hoc nostro clarâ cum laude locum invenerint, non nisi summâ cum injuriâ ex eâ pellentur. Si doctrinam spectemus, occurrent Clara Ecclesię Lumina, Hieronimus, Basilius, Gregorij tres, Nazianzenus, Nissenus, & Romanus, Joannes totidem, Chrisostomus, Cassianus, Damascenus, Fulgentius, Bernardus, Anselmus, & Scholastici si non omnes certè (absit invidia verbo) nobilissimi. Si sanctitatem quæramus, videantur quę de Antonio scribit Athanasius, de alijs sive in Thebaide, sive alibi Hieronimus, de Monachis, Theodoretus in Religiosâ hystoriâ, de Italis Gregorius M. de Gallis Sydonius Apollinaris, Gregorius Turonensis, Cyprianus B. Cæsarij Arelatentis Discipulus, de Anglis Beda, de Hispânis Ildephonsus.

Sed cur cum Spiritus sancti donis pugnet Religiosus status? Certè perfectissima, & omnimoda rerum omnium terrenarum abdicatio, vt vni Deo vacemus, Divinam lucem non abigit, sed admittit; non excludit, sed allicit; non extinguit, sed fovet. Non loquor de singulis personis, quarum aliquæ in quolibet statu medijs à Deo misericorditer concessis aut non omninò vtuntur, aut non satis benè; sed de ipso statu, & ijs qui secundùm eum vitam instituunt. Tales enim etiam in Religiosis Ordinibus & Divinum Spiritum recipere, & hunc in ijs ociosum non esse; sed ea facere, quæ tum ipsosmet sanctificet, tum alios, quibus cum vivunt, indubitatum est. Enim verò in quas non Regiones vel priscis, vel nostris etiam temporibus Evangelij lumen intulerunt? Quòd Christiani sunt Angli, debent Augustino, Germani Bonifacio, Belgæ Romualdo, Frisij Suiberto, Norvegi Adriano IV. &c. Religiosis. Et quis enumerare potest Gentes in vtrisque Jndijs ad Ecclesiæ communionem à Religiosis viris verè Apostolicis traductas? Quæ concionandi vis spiritum intùs operantem, cum ijs concurrentem, *Verbum Evangelizantibus virtute multâ* submini strantem manifestè demonstrat. Et hos è Hierarchiâ pellemus, qui tot *Hierarchia*, imo & *Apostolatûs* signa vbique ediderunt?

Hæc

Hæc de Religioſis Sacerdotibus. Ad eos veniamus, qui necdum ſacris Ordinibus initiati ſunt; ſed ad eos deſtinantur. *Ex fructibus eorum cognoſcemus eos.* Hi Claſſibus præcifivntur, Pueros docent, litterarum humaniorum rudimenta tradunt, vnà cum eis Doctrinæ Chriſtianæ lac inſtillant, ad Pietatem verbo invitant, exemplo provocant. Et hos è Hierarchiâ velut prophanos arcebimus? Hos inquam, qui vitiorum radices evellendo, pravas frenando cupiditates, ſemina virtutum tenellis mentibus inſerendo, eas *Purgant*: diſcuſſis Jgnorantiæ tenebris, illatâ præceptorum Dei luce Animas *Illuminant*: & ad pios mores formando *Perficiunt*. Sed omnes iſta non faciunt. At nec omnes Clerici ſæculares ea faciunt. Deinde in aliquibus ordinibus etiam qui non faciunt, parati eſſe debent, ad ea facienda. Eſt & alius titulus, quatenus ad Hierarchiam Ordinis præparant ſeſe: vnde inchoatiuè, & in voto, in eâ cenſeri poſſe videntur. Quod ad alios verò, qui vel Donati, vel Laici, vel Coadjutores Temporales vocantur, & non deſtinantur ad ordines, hi vnum Corpus myſticum cum veris & propriè dictis Hierarchis conſtituvnt, à Laicis ſegregatum ad Eccleſię ſacra miniſteria deſtinatum: vnde & revocari poſſe videntur ad eandem cum ijs Hierarchiam.

Jtaque paucis complectar, quæ hactenus dicta ſunt. Hierarchia chariſmatum omnibus patet, etiam Laicis: *vnicuique mandavit Deus de proximo ſuo*: cui quiſque prodeſſe pro virili tenetur, exemplo bono, conſilio, auxilio, monendo, corripiendo, adhortando.

Hierarchia Juriſdictionis ſolis Clericis competit, non omnibus tamen: cum à charactere per Ordinem impreſſo ſeparabilis ſit: & Religioſos admittit.

Hierarchia Ordinis meris Laicis non competit, eo enim ipſo, quod quis in eam admittitur, eximitut ex Laicorum numero, & in Cleri album tranſcribitur.

Religioſi in Hierarchiâ chariſmatum locum habent etiam eminentem, ratione ſtatus ſui.

Jn Hierarchiâ Juriſdictionis nec ipſi, nec Clerici ſæculares locum habent vi ſtatus ſui; ſed ſolâ Eccleſiæ, aut Dei potius per Eccleſiam Electione.

Quod ad Hierarchiam Ordinis ſpectat: Jn eâ ſunt Religioſi Clerici formaliter, & actu: Religioſi Scholaſtici inchoative, & in voto: Religioſi non Scholaſtici reductiuè, & per concomitantiam.

Dices: hac ratione & Laici erunt etiam in Hierarchiâ Ordinis, quia vnum cum Sacerdotibus corpus Myſticum, Eccleſiam viz, conſtituvnt, & Clericis in ſerviunt eorum multi. Reſp. Corpus illud ex Clericis, & Laicis conflatum. Subdividitur (velut corpus in caput & membra) in Hierarchizantem partem, & partem Hierarchizatam, ſive Clerum, & populum: & quilibet purè Laicus in hanc ſecundam partem incidit. Deinde qualiſcunque ſit Laici in Clericum obſervantia, licet mutuò ſeparari, quando alteiutri li-

buerit: quare *Status* appellari non poteſt, cum ſtabilitatem non habeat. Tale non autem eſt obſequium Religioſorum, qui Marthæ ſorte contenti, ſolâ morte ſolubili nexu, Sacerdotum miniſterio, tum infra, tum extra Eccleſiam, mancipantur.

LIBER SECUNDUS.

CLERICI EDUCATIO

PRÆFATIO.

IACONES, Pauſaniâ Duce Perſarum victores, vt Luculentiſſimi certaminis memoriam æternitati conſecrarent, indicem Victoriæ Porticum de ſpolijs, & manubiis Hoſtium erexerunt: in quâ (inquit Vitruvius lib. 1. cap. 1. pag. III.) *Captivorum ſimulachra Barbarico veſtis ornatu, ſuperbiâ meritis contumelijs punitâ, ſuſtinentia tectum collocarunt.* Ex quo tempore multi ſtatuas Perſicas, velut Atlantes ad ſuſtinenda Epyſtilia, & impoſitam ædificij ſarcinam, velut ad probroſum & infame munus adhibere conſueverunt. Chriſtum D. non Perſas viciſſe, ſed Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos, reliquoſque Clericos: idque non verborum minis, non tubarum ſtrepitu, non armorum metu; ſed *funiculis Adam, vinculis charitatis*, blandiſſimis verborum illiciis, quis ignorat? Monimentum verò victoriæ hoc fuit, vt cùm proſtrati fuiſſent, ab eodem erecti, & quaſi caſu ipſo redditi fortiores, vegetioreſque, impoſitam eorum cervicibus Eccleſiæ molem fulcirent, atque ſuſtinerent, & Laudabili, glorioſoque; non verò amplius pro broſo, aut contumelioſo, officio fungerentur.

Primus, qui hac eleganti, appoſitâ, & Epiſcopis honorificentiſſimâ metaphorâ vſus eſt, & Epiſcopos *Eccleſiæ columnas* appellauit, fuit Gentium Doctor Gal. II. 9. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe.* Exinde tam frequenter, & in Concilijs, & in SS. Patribus occurrit, vt ocio meo vehementer abuterer, ſi id exemplis confirmare conarer. Ad præſens Inſtitutum ſufficit, quod Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. can. VIII. decernit

decernit non temerè admittendas in Episcopos accusationes, *Ne concussis columnis Ecclesia corruat.* q. d. stantibus Episcopis stare Ecclesiam; eam verò vbi sub ducti fuerint, collabi. Quod suo modo de reliquis etiam Clericis intelligendum, potissimùm verò de Sacerdotibus: & hos enim in Ecclesiâ Dei suo modo columnas esse, certum est.

Quanquam verò minimè dubium sit, eam firmitatem, quæ tanto oneri ferendo par sit, humanâ maiorem esse, proinde à Deo proficiscì per Spiritum Paracletum fidelibus, id est, Ecclesiæ datum, vt in eâ maneat in æternum: non tamen propterea media naturalia ad eum finem conducentia neglecta fuisse suspicari licet, ne Ecclesiæ Præsides supinæ in re summi momenti negligentiæ reos peragamus. Et plantare scilicet debemus, & rigare, licet in anteceſſum admoniti simus ab Apostolo, *neque eum qui plantat esse aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. III. VII. Et licet ex Regio Prophetâ frustra laborare didicerimus, ad Domum ædificandam, nisi Domino coædificante, frustrà intendi vigilias ad eam custodiendam, nisi eam Deus custodire dignetur, (Psal. CXXVI. 1. Non tamen aut vigiles dormire, & Architecti ociari debent, & ignaviâ marcescere. Non negligentiam fovere, non nutrire torporem, non augere desidiam voluit Spiritus sanctus, qui pigrum ad Formicam amandat, animal argumentosum, negocioſum, laborioſum, industrium, providum, cujus exemplo laborem amplectatur, ocium horreat, acuat industriam, diligentiam intendat. Quæ tamen scire debemus ita à nobis expeti, vt simul sciamus nihil à nobis fieri sine Deo, qui nihil facere statuit, nisi nos industriâ nostrâ Benedictionem ipsius extorqueamus. Sic quod in nobis est facere tenemur, vt simul illius opem ferventibus precibus imploremus; & vbi res ex voto succeſſerit, Deo omnium in communi bonorum, illius etiam in particulari largitori, feramus acceptum. Sic B. Ignatius Societatis Jesv Fundator, vbi quid arduum occurrebat, illud primùm adeò fervidè Deo commendabat, ac si solus illud facere deberet; deinde adeo cunctos solertiæ nervos intendebat, ac si solus id peragere posset. Hoc modo *facere*, & *sperare* Christianum est: *facere*, quod in se est: *sperare* quod à Deo est. Hunc verò pijssimum Christianorum morem viris Pietati deditis, etiam vbi de rebus minimis agitur, adeo familiarem, in re omnium maximâ, putá Clericorum Educatione ab Ecclesiæ Præsidibus neglectum fuisse, quis sibi persuadebit?

Petierunt itaque Episcopi ferventissimis precibus, vberrimis lachrimis à Deo gratiam copiosam novello germini sanctitatis, Clericalis Militiæ omnium difficillimæ, periculosissimæque tyronibus, sacrorum ordinum candidatis. Sed ea ne in vacuum reciperetur, indesinenter laborabant. Magna imo maxima adhibita in eorum delectu solertia, ad eos exercendos industria, ad explorandos occultissimos motus vigilantia, ad formandos mores labor, vt in viros adolescerent officio suo dignos, negocijs pares; quorum tanta esset in

fide

fide constantia, in virtute soliditas, in vitâ honestas, vt & carnis illecebris, & mundi cultorum insidijs, & Paganorum versutię, & Dæmonis illusionibus pares, imo & superiores futuri sperarentur.

Lycurgus Remp. formaturus strenuam, virilem, bellicam, singularem de Puerorum educatione rationem habuit, in eâ Instituti sui proram, vt aiunt, & puppim constituens. Cumque diu post à victore triginta pueri peterentur in Aulâ Macedonicâ velut obsides educandi. Responderunt Lacones eâ sub disciplinâ educati, malle se trigintà senes, aut quosuis adultæ ætatis dare; Rati pernicioſum Reip. fore, quòd teneri Juvenum animi, flexilis ętas molli Macedonum conversatione, convictuque enervaretur. Tanti momenti credita est ab eis juvenum Educatio. Quantâ solicitudine Christiani Doctores sæcularium filios, in sæculo victuros, suarum tantùm animarum curam habituros in Juventute formabant, apparet ex libris Clementis Alexandrini, quos Pædagogum appellat: quis dubitabit eos acriori solertiâ eorum rexisse Adolescentiam, quos alienæ insuper saluti curandę destinabant?

Ad pugnas acerrimas cum pervicacissimis hostibus instituebantur primitiui Clerici: quos vbi vicerant, redintegrare bella certum erat, eo magis aliquando pernicioſa, quo minus prævisa. Ad cędes instruebantur non inferendas alijs, vt antiqui Lacedemonij; sed ab alijs ferendas, difficillimo Fortitudinis genere, quod verè & propriè Christianorum est. Quibus ergo animum ad durissima quæque ferenda formabant, operæ precium est inquirere. Quod & præsentis libri, & alterius, qui sequetur, scopus est.

CAPUT I.

Vita Christi omnium Christianorum exemplar est.

AMOREM nudum finxit ingenioſa Antiquitas, coloribus, corporisque lineamentis affectus illius naturam indolemque oculis exhibere studens: sive quòd sincerus sit, quòd fucis careat, quòd tegi aut nesciat, aut nequeat, aut dedignetur: siue etiam quòd nullam ei certam formam inducere liceat, cùm nullam aut perpetuò, aut diu retineat; sed in omnes sese formas atque species convertat, & rerum, quarum desideria in nobis inardescunt, faciem, & indolem imitetur.

Talem divinæ sapientiæ amorisque indolem descripsisse videtur Spiritus sanctus Sap. VII. cum ait, *esse Spiritum vnicum, multiplicem, subtilem, mobilem, certum, suavem, benignum, omnem habentem virtutem, omnia prospicientem, & qui capiat omnia spiritus: omnibus mobilibus mobiliorem esse, vbique attingere.* Sic ludit omni tempore in orbe terrarum divina bonitas, & ex singulari in homines nihil boni meritos amore, cum filijs hominum conversari, ipsius delitiæ sunt.

Hinc

Hinc Chriſoſtomus hom. de Pent. *Cum ſit Divinitas vnius, & incommutabilis ſubſtantiæ, pro noſtrâ ſalute omnibus omnia fit.*

Beatus Apoſtolus talem ſe exhibuit: qui cum ijs qui ſine Lege erant vixit quaſi nec ipſe legem agnoſceret: cum Judæis per inde ac ſi legi etiam tum ſubeſſet. *Omnibus* denique *omnia factus eſt*, non quemadmodum famoſus ille Paraſitus, qui omnibus aſſentabatur, vt eorum cupiditatibus obſequens, eorum bonis frueretur; ſed vt aliorum amicitiâ ſibi conciliatâ, eoſdem deinceps ad meliorem frugem, ad Chriſtianam, piamque vivendi normam reduceret, & Chriſtum in eis formaret.

Talem ſe exhibuit in humani generis bonum ſapientia incarnata, *in diebus carnis ſuæ*, vt loquitur Apoſtolus Heb. V. 7. vt omnes & ſinguli in ejus diviniſſimâ vitâ vivendi formam cuique propriam invenire poſſint, quam imitentur. Ex eo pauperes tolerantiam, divites moderationem, Martyres Conſtantiam, Monachi Obedientiam, Sacerdotes Innocentiam; Pontifices puritatem, Paſtores diſcere poſſint vigilantiam. Enim verò laborioſam tenuiorum Laicorum vitam totis triginta vitæ ſuæ annis vixiſſe videtur. Aſcetarum cæleſtes contemplationes, & ab omni mundi commercio ſepoſitam vitæ rationem, atque producta vltra humanum ferè modum jejunia, in ſeceſſu poſt baptiſma in eremum exhibuit. Negocioſam, & argumentoſam Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Miſſionariorum formam monſtravit in triennio oſtenſionis ſuæ ad populum Iſraëliticum, cum Divinæ ſuæ doctrinæ pabulum, reſpuentibus & faſtidientibus expoſuit; & manus extendit ad populum non credentem, & contradicentem: Denique heroicam in adverſis patientiam, & in graviſſimis quibuſque perferendis invictam animi firmitudinem atque magnitudinem in die Paſſionis.

Hic proinde fons eſt patens domui Iſraël, omnibus veris Iſraëlitis, verè fidelibus, nemini occludendus, nec furtivis canalibus pro cujuſquam arbitrio in privatum fundum derivandus. Nemini patet à fide, ab Eccleſiâ alieno: & tamen in omnes terræ partes vberi ſcaturigine diffunditur, totam terræ ſuperficiem operit, atque rigat: omnes Eccleſiæ ſtatus ad ſui imitationem invitat. Nec ſine ſacrilegio, & aliorum injuriâ, ad certum, unicuique Chriſtianorum quorumcumque vivendi modum, ſive vitæ genus, qualecunque tandem illud ſit, tota Chriſti vita reſtringi poteſt, ad quam ſinguli ius habent, quæ pro ſingulis data eſt, vt precium, & quæ ſingulis datur in exemplum: quam ſinguli pro modulo ſuo debent imitari: cum iſtâ tamen differentiâ ſanè maximâ, quòd quò celſior eſt cujuſpiamin Eccleſiâ gradus, eò clariùs fuit à Chriſto exhibitus, vitæ modus; & ipſe viciſſim Chriſti vitam clariùs exhibere tenetur.

Hinc quantùm Clerici Chriſtum imitari poſt eum ambulare, ejus veſtigia premere, Crucem noſtram poſt eum portare teneamur abundè patet, vtpote qui ſelecta ſumus Fidelium portio, quibus grex Domini creditus

ditus est, qui Sacerdotij æterni consortes, altaris ministri, Sacramentorum dispensatores, Populi Judices, Duces mundi, cæli arbitri, constituti sumus. Debemus ad hanc amussim totam vitam nostram exigere, hanc vitam præ oculis habere, hanc discere, hanc docere, hanc contemplari, non vt eam nemini profuturâ consideratione speculemur, mentemque nostram novis cognitionibus in praxim nunquam reducendis inutilitèr impleamus: multò minus vt inde in alios insolescamus, super alios nos erigamus, & superbiæ diabolicæ fomes fiat, quod datum est in exemplum humilitatis Christianæ; sed vt reluceat in opere, quod scitur in mente: & vt alijs Authores simus eandem in se exprimendi.

Ijs, qui sectam quampiam Philosophicam amplexi sunt, satis est, quod credant, quæ tradit primus illius Author. Christiano satis non est, si credat, quæ Christus credenda proposuit: debet insuper facere, quæcunque jubet. Hinc Apostolus admonet Christum imitemur, vt filij charissimi. Et Nissenus toto libro ad Harmonium, docet Christianismum nihil aliud esse, quàm imitationem Christi Domini.

CAPUT XXVI.

Quales in Clerum admittendi.

HIc eorum qui in Clerum admittendi sunt, ætatem, conditionem, indolem, præteritam vitam, & quæ sunt ejusmodi inquirimus.

Quod ad ætatem spectat. In novo Jure à Tridentinâ Synodo vel instituto, vel innovato, subdiaconus nemo creari debet ante XXII. ætatis suæ annum. Nec Diaconus ante XXIII. Nec sacerdos ante XXV. quod de annis inchoatis intelligunt omnes. De minoribus Ordinibus decernit neminem ijs initiandum, qui Catechismum non novit, & talis sit à quo obsequium Ecclesia, plebs verò institutionem sperare possit.

Concilium Romanum. III. sub Sylvestro Can. III. exigit vt Ostiarius vno anno in eo gradu ministret; lector viginti, Exorcista decem, Acolythus & Subdiaconus, atque Diaconus, singuli quinque, priusquam ad Sacerdotium promoveantur. Unde sequitur, quod licet pueri adhuc impuberes ad Ostiarii munus admoverentur, (quod vix credibile est) nemo tamen poterat nisi elapso. L. vitæ anno proponi ad Sacerdotium: & cum sex annorum obsequium à Sacerdote requireretur, antequam fieret Episcopus: Nemo ad summum illum in Ecclesiâ gradum sexagenario multò minor ascendere poterat. Hinc vel error in Canonem irrepsit, vel Synodus ipsa suspecta est.

Enim

Enimverò B. Timotheus nobiliſſimæ Eccleſiæ Epheſinæ factus eſt ab ipſo B. Paulo Epiſcopus, cum Adoleſcens eſſet. Vt habetur 1. Tim. IV. 12. *Nemo Adoleſcentiam tuam contemnat.* Et quamvis Concilium Toletanum X. can. VI. decem annos exigat ab ijs, qui Seminarijs Clericorum, ſive Monaſterijs Religioſorum præſentarentur (ob moleſtiſſimam ſolicitudinem eorum, qui necdum infantiâ egreſſi ſunt) tamen antea licebat à primis infantiæ annis Juvenes admittere. Siquidem Synodus Toletana 11. c. 1. ait: *De his, quos voluntas Parentum à primis Infantiæ annis in Clericatus officio, vel in Monachali poſuit, pariter ſtatuimus obſervandum, &c.* Decernit autem anno ętatis XX. Subdiaconos creandos eſſe: Diaconos verò anno XXV. quod non procul à modernâ Eccleſię conſuetudine diſtat. Conſtat itaque nullam ætatem rationis compotem, militiæ Clericali ineptam habitam eſſe. Hinc B. Cæſarium Arelatenſem *inter ipſa infantiæ rudimenta Clericum factum* eſſe teſtatur eius diſcipulus Cyprianus in ipſius vitâ. Et in Synodo V. Generali collat. V. relecta ſunt Acta Synodi mopſueſtenæ, in quibus Thomas Presbiter ait: *Sexaginta annorum ſum: habeo verò in Clero, licet peccator ſim, quinquaginta quinque annos.* In Clerum ergo admiſſus eſt quinque annos natus. Victor vticenſis refert nobile certamen duodecim infantulorum, qui Lectores erant. Tabulæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ Eccleſiæ referunt quandam è Regiâ ſtirpe ortam dicatam Deo ab infantiâ, *ſæculum potius ignoraſſe, quam reliquiſſe.* Vide *Hallier.* de Sac. Ordin. pag. 353. qui refert multos recens natos, aliquos ante nativitatem, Deo ex voto Parentum, fuiſſe conſecratos: vbi & ritum habet quo Deo conſecrabantur.

Conditio nullum à Clero arcebat, niſi quis actu capite minutus, ſive ſervus eſſet. C. *Nullus* D. LIV. quod deſumitur ex B. Leonis epiſt. 1. ad Epiſcopos per campaniam conſtitutos, hæc habentur: *Nullus Epiſcoporum ſervum alterius ad Clericatus officium promovere præſumat, niſi fortè eorum petitio, aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eo vendicant Poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab aliis, qui divinæ militiæ eſt aggregandus, vt à caſtris Dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.* Et in Concilio Triburienſi can. XXIX. Prohibentur Epiſcopi ſervum non manu miſſum, 1. e. nondum plenâ à Domino ſuo libertate donatum, promovere: quæ manu miſſio conſtare debebat ex chartâ in Ambone Eccleſiæ legendâ cui nemo contradiceret. Simile quid in Concilio Toletano IV. can. LXXII. Decretum eſt, vt haberet C. *quicunq;* d. LIV. ſcilicet, vt directâ manu miſſione liberati, in quibus Domini nullum obſequium retinent, ordinari poſſint, ait Gloſſa in illum canonem.

Enimverò primis Eccleſiæ ſæculis, & ipsâ, vt ita dicam eius Infantiâ, ſub Apoſtolis, id neceſſarium fuiſſe videtur, cum vt ait Apoſtolus 1. Cor. 1. XXVI. *Non eſſent multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, non multi potentes; ſed quæ ſtulta ſunt mundi eligeret Deus, vt confunderet ſapientes, & infirma*

mundi eligeret, vt confunderet fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia eligeret Deus, & ea quæ non eße viderentur, *vt ea quæ eßent deſtrueret, vt non gloriaretur omnis caro in conſpectu Dei.* Hæc B. Apoſtolus. Cum igitur non alij adeſſent, nihil mirum, ſi ij fuerint in Clerum aſſumpti: Deo ita diſponente vt & potentiam ſuam obſtenderet, & de mundi ſuperbia triumpharet Chriſti humilitas.

Hinc Oneſimum Philemonis ſervum ab Apoſtolo in vinculis ad Chriſtum converſum, ab eodem Philemone ad Pauli preces manu miſſum, Epiſcopum Epheſinum factum eſſe docet Annalium Eccleſiaſticorum Parens, ex Menæo Græcorum, Latinorumque Martyrologio. Etde Libertis in Clerum admittendis agitur, in Concilio Toletano IX. Can. XI. celebratum autem eſt an. Dom. DC. LV. & in Concilio Triburienſi, vt vidimus, quod an. Dom. D. CCCXCV. celebratum eſt. Poſt quod vix invenitur aliqua lex de ijs agens, fortè quia rariores, aut nulli eſſent ſervi, & liberti, aut alii ſatis multi invenirentur, qui Clericali militiæ nomen darent. Quod ad Natalium obſcuritatem ſpectat: ea non obfuit B. Thomæ cognomento Becket, quo minus Metropoliticæ totius Angliæ ſedi præficeretur: & cum Epiſcopi Regis partes ſecuti eam illi exprobraſſent, reſpondit ille *ſe Piſcatoris agen ſucceſſorem, non Auguſti.* Nihil de ſummis Pontificibus dicam, qni ex infimâ ſorte ad ſupremam in mundo dignitatem aſcenderunt. Nec parum aliquando ſplendoris ex ſimilium virtutibus in Eccleſiam redijt: vnde Moguntini Præſules & Principes Electores Gentilitijs ſuis Jnſignijs Rotam addunt, ſymbolum unius ex infimo loco ad illam dignitatem evecti Vidit noſtro tempore, & venerata eſt Gallia pietatem inſignem venerabilis viri *Vincentij de Paul*, qui cum in pueritiâ Porcarium egiſſet, nobilis poſtea Congregationis Sacerdotum de Miſſione Fundator extitit, & ab Annâ Auſtriacâ Regente in Sacratius Regis Concilium accitus eſt. Du Hallier lib. de ſacris Ordinationi. pag. 54. ait Eccleſiam pauperum ſanguine plantatam, & quæ eorum ſudore coaluit, laboribus adoleuit, priſtinum vigorem vix recuperare poſſe, niſi pauperes; ſed vrbanè & generosè inſtituti ad Clericalis Ordinis luxati ruinas reſarciendas inquirantur. Hæc & plura eòdem ſpectantia videri poſſunt apud eum, loco citato.

Morum honeſtas, & indoles ad virtutem facta potiſſimùm ſpectanda eſt. Omnimodam à ſervitute peccati libertatem exigit Apoſtolus in Clerico, *Oportet*, inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ---- ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem; ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum; ſed ſuæ domui benè præpoſitum, &c. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in Conſcientiâ purâ. ----- qui filijs ſuis* (ſi quos habeant) *& ſuis domibus benè præſint.* Hæc 1. Tim. III. & Tit. I. 7. ait: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ----- non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem,*

non turpi-

non turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem. &c.

Notanda ſingula verba : ac vt intelligantur, conſulendi commentatores: quos non exſcribo, cum paſſim extent. Ex ſolâ primâ voce, colligitur magnam Epiſcopo innocentiam neceſſariam eſſe. Dicit enim eum *Irreprehenſibilem eſſe debere : Hoc verbo genus omne virtutis expreſſit*, ait B. Chriſoſtomus homil. X. in Timot. *Itaque qui ſibi conſcius eſt vel levis culpæ, malè profectò facit, eam rem appetens, quâ indignum ſe per opera fecit. Non enim decet hujuſmodi regere; ſed potius regi. Eum quippe qui alios regendos ſuſcipit, tantâ decet gloriâ virtutis exceellere, vt inſtar ſolis cæteros veluti ſtellarum igniculos ſuo fulgore obſcuret. Debet huiuſmodi vitam habere immaculatam, atque compoſitam, vt omnes in illum, & in eius vitam intueantur, velut in exemplar aliquod excellens.*

Nec obſtat, quod in Apocaliypſi Eccleſiarum Aſiæ minoris Epiſcopi graviter ab ipſo Chriſto D. in Epiſtolis ejus iuſſu ad eos ſcriptis objurgantur. Epheſiorum Angelus (is Epiſcopus erat illius civitatis) dicitur c. II. 4. *Charitatem primam reliquiſſe.* Angelus Thiatirę, *permittere mulierem Ieſabel docere, & ſeducere ſervos Dei.* Angelus Sardis, *quod mortuus eſſet, nec eius opera plena invenirentur coram Deo.* Angelus Laodiciæ : *quod neque frigidus eſſet, neque calidus, quodque eſſet miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Gravium ergo rei criminum erant illi Epiſcopi ; adeoque non tanta in Epiſcopis exigebatur ſanctitas, & morum integritas. Nego conſequentiam : illa enim peccata non erant perſonalia Epiſcoporum ; ſed Eccleſiarum ipſis commiſſarum : quarum labes Epiſcopo tribuuntur vt Capiti, vt Rectori, vt ei cujus curæ Eccleſia quęque committitur, pro quâ Deo rationem reddere tenetur. Eccleſia enim & Chriſtus vnum quodammodo ſunt. Similiter Eccleſia & Epiſcopus. Sicut ergo Chriſtus hominum peccata ſua eſſe dixit, quæ expianda ſuſceperat : ita Eccleſiæ peccata Epiſcopo tribuuntur, qui ea ſananda ſuſcepit. Maximè ſi eius negligentiâ committantur. Debet enim ipſe Chriſti Epiſcoporum Principis exemplo *ſeipſum pro Eccleſiâ ſuâ tradere, illam ſanctificare, vt eam exhibeat glorioſam, non habentem maculam, neque rugam* : quantum in ipſis divinâ gratiâ adiutis eſt.

Præſens iuſtitia non ſatis erat, niſi adeſſet & præterita. Vt nihil in illis inveniri poſſet, quod exprobraretur. Hinc qui ob aliquod crimen Pœnitentiæ publicæ fuiſſet ſubjectus, à miniſterio arcebatur Altaris. Vt habetur in Synodo Toletanâ I. c. II. vbi permittitur tantum ob neceſſitatem, ut fiant Oſtiarij, vel Lectores ; nullo vero modo legere Evangelium, vel Epiſtolas, etiam ob neceſſitatem quamlibet. Cyprianus Epiſt. LXVIII. *Solicitè, ac Religioſè conſiderantes in Ordinationibus Sacerdotum non niſi immaculatos & integros Antiſtites eligere debemus, qui ſanctè & dignè ſacrificia Deo offerentes audiri in precibus poſſint, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate. ---- Propter quod plenâ diligentiâ, exploratione ſincerâ oportet eos ad Sacerdotium deligi, quos à Deo conſtat*

exaudiri. Videatur & Auguſt. epiſt, LIV.

Ut ab hac Regulâ aliquando recederetur, effecit aut ſingulare meritum Perſonæ, aut Eccleſiæ neceſſitas. De Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, (quorum alter Chriſtum negarat, alter etiam perſecutus fuerat) nihil dico, cum Deus ipſe cum ijs in Irregularitate ex culpâ contractâ depenſaverit. S. Auguſtinus Epiſcopus factus eſt, cum prolem ex illicita copulâ ſuſtuliſſet. Id requirebat Eccleſiæ bonum : quod vtramque in canonibus omnibus paginam implet. vide 1. *Placuit*, d. L.

Requiritur denique, vt præteritæ, præſentique Juſtitiæ novam indeſinenter ſuperaddat. Gregorius Patrum diſertiſſimus Orat. 1. hanc legem ponit Epiſcopo : *Vt laboret magis virtute, quam honore præcellere, vt finem nullum benè vivendi aut altius aſcendendi conſtituat : nec tam lucrum putet, id quod erit aſſecutus, quam damnum id quod omiſerit : ſed ſemper id quod præ pedibus eſt, gradum ad vlteriora faciat : neque magnum exiſtimet, ſi plures ſuperet : ſed detrimentum, ſi à ſuſcepti muneris dignitate abſit.*

Chriſtus D. cum inter homines verſaretur, *fecit & docuit.* Act. I. 1. Idem B. Petrus ab Epiſcopo exigit (eadem eſt ratio de quolibet Clerico, maximè verò de Sacerdote) cum eum monet, *formam fieri Gregis* : vt ſcilicet in eo velut in prævio exemplari, videant omnes quid agendum, quid ſequendum, quâ eundum ſit. Quomodo verò alijs Duces eſſe poſſunt, ad piæ vitæ, virtutum, cæli metam euntibus, ſi non ipſi præeant ? Si non viam, quam alijs monſtrant, priores invadant, & ſtrenuè proſequantur ? Haud ijs dici voluit : *Medice cura teipſum* : aut quod Chriſtus de Phariſæis : *Dicunt & non faciunt* : & quod Iudeis alios docere geſtientibus exprobrat Apoſtolus Rom. c. II. *docere proinde debent non ſolum alios, ſed & ſe ipſos, & ideo ſeipſos, vt poſſint vtiliter & alios.* Debilis eſt eruditio, quam vita non commendat : factis evertuntur verba, vbi contraria ſunt, maximè apud vulgus, quod exemplo magis quam ratione ducitur. Clericus ergo ipſe ſui muneris inſtituto, ac fine, perfectam, & præclaram Chriſtianæ vitæ, & piarum actionum formam præſtare ſubditis in ſeipſo debet, talemque ſe gerere, quales illos vult. *Exemplum eſto fidelium* inquit Apoſt. 1. Tim. IV. *In verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Item : *Hæc meditare, in his eſto ; vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.* Nec enim ſolum proficere debet, ſed inſuper efficere, vt profectus ipſius manifeſtus ſit omnibus : vt ſuo profectu profectum aliorum promoveat, & *Doctrinam ſalvatoris noſtri Dei ornet in omnibus. Hoc enim faciens, & ſeipſum ſalvum faciet, & eos, qui eum audient.* q. d. niſi faciat, nec ſeipſum, nec alios ſalvabit : non ſeipſum, quia Chriſtiano non proficere deficere eſt. Non alios ; quia niſi ipſe operibus doceat, non docet, vt iuſſus eſt, vt ducem, vt Patrem, vt Sacerdotem decet. *Ipſe* enim *vigilare* tenetur, *quaſi rationem pro animabus* fidelium ipſius curæ commiſſorum *redditurus.* Heb. XIII. Hæc abundè credo demonſtrant, quam neceſſaria Epiſcopo, Sacerdoti

cerdoti, Clerico Pietas est: qui etiam aliorum opera mala, sua quodammodo reputare debet. ea præstare, de ijs respondere tenetur. Quantus illi charitatis ardor necessarius est, qui divino ore eijciendus est, vt tepidus, & intolerandus, si non alios amoris Dei calore succendat!

CAPUT XXVII.

Testimonium de Clericorum vitâ necessarium.

MAximè seria est admonitio Apostoli: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Tim. V. XXI. Licet autem subinde manuum impositio pro Confirmatione & Pœnitentiâ ponatur, vt plurimùm tamen sacrorum Ordinum collationem importat. Hîc verò ita sumi sentivnt Chrisostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Primasius, & alij passim, vt videre est apud Cornelium à Lapide. Vim huius admonitionis plenè assecutus esse videtur, & planè explicuisse, modo Laudatus Chrisostomus: *Quid sibi vult*, citò? inquit, *non exprimâ statim probatione, nec secundâ, nec tertiâ; sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc impenito manus. Neque enim ea res periculo caret. ---- eorum enim quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis. ----- quemadmodum enim rectè factis, ita peccatis quoque communicas.* Hæc Chrisost. De B. Leone legitur in eius Actis, quod ei oranti Deus omnia peccata præterita remisisset, præter illa, quæ contraxerat per manus, aut perperam, aut temerè, sive nullo præmissio examine, sive non sufficienti, impositas: quasi diceretur gravius esse istud peccatum, quam vllum aliud.

Et meritò quidem gravissimum existimatur, ob universalitatem mali, quod ab indigno Sacerdote in totam plebem spargitur: sicut enim bonum, quò magis vniversale, eò melius est, ita & malum. Et hæc est prima ratio. Secunda ducitur ex Christi D. verbis: *vos estis sal terræ. Si sal evanuerit, in quo salietur?* Matth. V. Ad quæ verba Augustinus, l. 1. de serm. Dom. in monte c. VI. *si Clerici, per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium, amiserint regna cælorrum, quinam erunt Homines per quos ab ijs error auferatur, cum eos elegerit Deus, per quos errorem auferat caterorum.* Cum ergo nullum sit inter homines vitæ genus ad Clerici lapsi reparationem destinatum, ejus reparatio censetur, adeo difficilis, ut ferè deploratus habeatur, qui semel gravitèr lapsus est. Enimverò experientiâ notum est, Sacerdotem aut valdè tepidum, aut planè frigidum, & malum, valdè rarò ad piam vitam redire: adeo vt singula eorum peccata paulò graviora, cum ijs quæ dicuntur in Spiritum sanctum, illud commune habere videantur

videantur; vt nec in hoc sæculo, nec in futuro remittantur: non quod abbreviata sit manus Domini, vt eos quoque salvare nequeat, aut aversa voluntas, vt nolit, aut exsiccata Divinæ gratiæ scaturigo, vt gratiâ sufficienti non præveniantur, cooperante non confortentur, si ijs vti vellent & illi Clerici mali; sed quod hi si semel peccato se dediderint, ita eius servi deinceps evadunt, vt ea auxilia divinitùs accepta spernant, abijciant, conculcent. Faciat Deus oriri solem super bonos, & malos, & pluat super iustos, & iniustos, cunctis æquè beneficus: non tamen Clerici mali mens peccatis excæcata solis Justitiæ lumen admittit, nec lapideum cor cælestis gratiæ rore perfusum mollescit; sed *secundum suam duritiem, & impœnitens cor, thesaurizat sibi iram indiem iræ.* Corruptio optimi pessima, ait Phylosophus. Supremum inter universas creaturas Angelus locum habet, & is ubi cecidit surgere amplius nunquam voluit. Proximus ei locus Sacerdoti debetur, qui & in S. Scripturâ dicitur Angelus: & hic valdè rarò resurgit, ubi semel cecidit.

Intererat proinde tum viri Sacerdotio consecrandi Ecclesiam rectùri, tum Ecclesiæ eius curæ committendæ, diligentissimè mores illius, qui promovendus esset explorari. Illius, qui promovendus est, *ne* quod Ambrosius deplorat lib. de dignitate Sacerdotij, cap. III. *sit nomen inane, & crimen immane*, & alia, quæ in Præfatione retulimus. Ecclesiæ, cui præficiendus est, ne illam peccatis suis coinquinet, & *fiat odor mortis in mortem*, qui designatus est *Odor vitæ ad vitam.* Ovibus melius est carere Pastore, quam lupo committi. Licet enim Ecclesia Sacerdote destituta, dicatur à Patribus Vidua, acephala, mutila, comparetur Exercitui sine duce, navi sine Navarcho, familiæ sine Patre, Regno sine Rege, idèoque censeatur in statu admodum imperfecto, & violento, & multis insuper periculis obnoxio: ideoque de Sacerdote ei provideri quam citissimè fieri potest iubeant canones: tamen minus malum crediderunt Patres eam Pastore destitui, quam malum ei præesse: quod esset oves lupo, navem piratæ, regnum tyranno, Ecclesiam, quæ virgo est, Adultero tradere,

Hinc accuratissima semper instituta fuit inquisitio in vitam & mores eorum, qui sacris initiandi essent. Testimonium requirebatur à Fidelibus. Act. VI. 3. *Considerate viros ex vobis boni testimonij.* Et etiam ab Infidelibus. 1. Tim. III. 7. *Oportet illum & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt.* Et ne qua fraus irreperet in testimonio vel petendo, vel dando, vel referendo, quantum fieri licebat per tempora, nomen ordinandi palam exponebatur, datâ cuique potestate in eum dicendi. Quæ disciplina adeo placuit Alexandro severo, vt eam imitatus sit: cum enim Rectores Provincijs, vel Præpositos, aut Procuratores sive Rationales, ordinare vellet, candidatorum nomina preconisari faciebat, singulos provocans ad eos accusandum: gravi tamen indictâ pœnâ ei, qui falsum crimen obiecisset.

Viguit ea disciplina, quamdiu duravit Persecutio. Postea minus necessaria

ceſſaria eſſe cepit, ex quo datâ pace Eccleſiæ, in ſeminarijs cæperunt educari Clerici. Aliqua tamen etiamnum eius veſtigia ſuperſunt: vt patet ex Pontificali Romano: quoties enim aliqui ſunt initiandi, Archidiaconus, vel alius Epiſcopo adſiſtens, interrogat adſtantes, an aliquid Ordinandis obijcere poſſint. Nec progreditur Epiſcopus, donec ex omnium ſilentio nihil obijci videat.

Hinc alia quæſtio exoritur, quas partes haberent Laici in ſacrorum Miniſtrorum electione? An, viz, ſolùm teſtimonium de vitâ & moribus: an etiam ius ſuffragij? Hanc alijs diſcutiendam relinquo. Noſtro inſtituto ſatis eſt teſtimonium requiſitum fuiſſe. Addo tamen nihil à Plebe concordi, adjunctis etiam loci Clericis fieri, niſi Epiſcopus electionem ratam habereti & Epiſcopi electionem ſimile ratione à Metropolitani conſenſu pependiſſe.

Petes: cur exigitur ab Apoſtolo in Epiſcopo & Diacono virtus æconomica? De Epiſcopis enim ait: *Domui ſui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.* De Diaconis verò: *qui filijs benè præſint, & ſuis domibus* I. Tim. III. Reſp. duplicem ob cauſam: prior eſt, Epiſcopi Eccleſiarum ſuarum bona adminiſtrabant. Hinc eius hac in re peritiam exploratam habere cupiebat Apoſtolus, ne eius imperitiâ dilapidarentur illa bona, & Clerici, atque pauperes, neceſſario ſubſidio privarentur. Hinc illa peritia Epiſcopo potiſſimùm & Diacono neceſſaria erat: Epiſcopo, quia ad eius pedes Chriſtiani ſua bona deponebant, quę eius deinde arbitrio, diſpenſabantur. Diecono verò, quia ea eius fidei tradebantur, quod eſſet velut Ærario Eccleſiæ Præfectus, ſive Procurator.

Altera & potior ratio, eſt: quia non ſatis eſt Sacerdoti Apoſtolico Sanctitas qualiſcunque illum ſolum afficiens, qualis ſolitariam vitam agentibus ſatis eſſet, ſed ei neceſſaria eſt ſanctitas alios ſanctificans, ita cum Prudentiâ conjuncta, vt non ſibi ſolùm; ſed & alij proſit, & quia magna eſt affinitas inter virtutes œconomicam & Politicam, (quæ differunt tantum, quod hæc plures, illa pauciores reſpiciat) plerumque qui in œconomicâ excellit, Politicæ non planè expers eſt, (licet aliquando contingat aliquos vni Domui regendæ pares, qui vbi pluribus pręficivntur ineptiunt, ob anguſtam Prudentię ſpheram, & limitatam rationis activitatem) numquam tamen eveniet, vt vni familiæ regendæ impar, pluribus vtiliter pręſit. Hinc in virtutem œcouomicam inquiri voluit: *Si quis*, enim, *domui ſuæ præeße neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit.* ait Apoſtolus ubi ſupra.

Hinc fortè factum, ut inter illos, qui Chriſto nomen dederunt, ij potiſſimùm Eccleſijs aut inſtituendis, aut jam inſtitutis dati fuerint ab Apoſtolis Præſules, qui familias rexerant, & in orbis luce converſati fuerant, ubi non erant ad manum Apoſtolis diutino convictu noti, & ad illa officia formati. Sic Dioniſius Areopagita Athenienſibus datus eſt Epiſcopus: Sergius Paulus Proconſul Narbonenſes regendos ſuſcepit. Timotheus verò Epheſinus, & Marcus

Marcus Alexandrinus disciplinam Ecclesiasticam in Apostolorum Petri & Pauli consortio dedicerunt, & in sequentibus sæculis illi ferè vtilissimè præfuerunt Ecclesijs, qui civilibus Officijs Defuncti, Ecclesiastica susceperunt: testes Ambrosius Mediolani, Hilarius Pictavij, Joannes Chrisostomus Antiochiæ & Constantinopoli, Thomas Canturiæ, & alij passim.

Ubi nota, quando dixi virtutem Politicam Sacerdoti necessariam esse, non eam intellexi, quæ sic vulgò vocatur, & meritò malè audit, quia ex astutiâ, fraudibus, technis, pravis artibus, tota conflata est. De quâ B. Gregorius L. X. moralium, in cap. XII. Job: ad illa verba: *Deridetur Iusti simplicitas. Hujus mundi sapientia est*, inquit, *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Quam *mundi sapientiam* verè *stultitiam esse apud Deum*, docet S. Paulus I. Cor. III. 19. & eam à Deo destructum iri, *Perdam Sapientiam Sapientium, & Prudentiam Prudentium reprobabo.* I. Cor. I. 19. Hanc enim verò nunquam in Sacerdotibus desideravit Ecclesia, quam in omnibus etiam Laicis aversata est, reprobavit, damnavit: & eâ præditum vel eò solum nomine, à cujuscunque Ecclesiæ tenendo clavo repulisset, velut ineptissimum. Sed aliam intelligimus Politicam sinceram, puram, probam, Prudentem, cum simplicitate columbæ mixtam: cujus exemplar ipsa Divina Providentia mundum regens. Hanc vitio carere, laude dignam esse, tam certum est, ac certum est Prudentiam esse virtutem, quæ virtutum omnium mensura est, solâ fortè charitate exceptâ: cui nullos limites assignare licet, vltra quos non excrescat. Alijs verò omnibus modum cuique debitum assignat, infra quem si subsistant, vltra quem si progrediantur virtutum finibus exeunt, virtutes esse desinunt, in vitia degenerant.

CAPUT XXVIII.

Seminaria Clericorum, & Asceteria.

DUBITARE non licet, ab initio Ecclesiæ modum aliquem initum esse formandi idoneos Sacramentorum Ministros, Divini verbi Præcones, Apostolis successuros. Quin & loca aliqua instituta, in quæ fideles convenirent ad colendum Deum, in quibus etiam qui erant Clero destinati ministrabant. Qualia tamen illa fuerint, admodum obscurum est, nisi talia censeantur Asceteria. De *Ascetis* fusè Philo Judæus lib. de vita contemplat. tanquam de suę gentis hominibus. Quę tamen dicit de Christianis intelligenda esse demonstrat Eusebius lib. II. hyst. c. XVII. vbi verò *Asceta*, ibi & *Asceteria*, ait Baronius ad an. Dom. CCCI. Sita porrò fuerunt illa *Asceteria*, in locis inaccessis, quo ab hominum consortio remotiores Divinarum rerum contempla-

contemplationi, ſacrarumque litterarum ſtudijs liberiùs vacarent. Deinde in ejuſmodi eremis minùs obnoxij erant infeſtis quadruplatorum agminibus, per nobiliores civitates, & frequentiora oppida graſſantibus, ubi minori labore plus predæ aſſequerentur: cum Aſcetæ & ſolitudine, & pauperie velut duplici muro cincti vtcunque tuti manerent. Illic credo etiam Clericos educatos fuiſſe: varijs enim ſtudijs excolebantur illic agentes, quæ viris per totam vitam ſolitudini dicatis, parum vtilia videntur, quæ vix credibile eſt, ad ſolum ſolitudinis tedium levandum adhibita fuiſſe. Deſcribit præterea idem Philo veterem Eccleſiarum diſpoſitionem, quâ viri à fæminis ſeparati orabant: modum habendi conciones, quomodo Sacerdotes ſua peragerent officia: denique Epiſcopalis Apicis ſedem ſuper aliorum ſtallos elevatam, alijs eminentiorem. Quæ dum conſidero, mihi perſuadeo cætus fuiſſe Virorum Eccleſiaſticis Miniſterijs dicatorum, ubi juniores Clerici & Religioſæ vitæ, & Clericalis Militiæ, tyrocinium vnà ponerent.

Conjunctas enim fuiſſe olim Religioſam vitam & Clericalem, tradere videtur Euſebius. lib. 1. de Demons Evang. c. VIII. *In Eccleſiâ Dei duo vivendi modi inſtituti ſunt*, inquit, *alter quidem naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens: totus autem prorſus à communi & conſuetâ cunctorum hominum vitâ abhorrens, & ſoli divino cultui, ex immenſo rerum cæleſtium amore addictus. Qui hunc modum amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vitâ ſejuncti, ipſumque duntaxat corpus in terrâ gerentes, corde verò & animo in ipſo cælo degentes, quaſi quidam cælites reliquorum hominum vitam deſpiciunt; quippe qui pro vniverſo genere ſupremo omnium Domino ſacrati ſunt: idque non boum mactatione, non cruore, non nidore vllo; ſed rectis veræ pietatis ſententijs, purgati animi affectione; ad hæc operibus, & verbis, quæ à virtute proficiſcuntur. Quibus rebus Divinitatem ipſam placantes, ſuum & pro ſeipſis, & pro alijs adminiſtrant SACERDOTIVM. Talis eſt in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus. Alter verò remiſſior, atque humanior, modeſto conjugio implicatur, rei familiaris curam aſſumit, militat, agros colit, mercaturam exercet, -------. His ſecundus Pietatis gradus attributus eſt.* Hæc Euſebius.

Ubi deſcriptam in prioribus verbis Clericorum vitam multa ſuadent. Primùm eſt: quia alioqui ad ſecundum Pietatis gradum pertinerent, aut enitus eſsent omiſſi: quæ nemo ſanus credet.

2. Quia dicit eos *pro univerſo hominum genere ſacrari*: quæ reſpiciunt illa Apoſtoli verba Hebr. VI. 1. *Omnis Pontifex, ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum.* 3. quia dicit eos placando Deum *Miniſtrare Sacerdotium*, 1. e. *Sacerdotio fungi.* Quare *Aſcetæ* illi exercebantur ad Sacerdotium, & Aſceteria erant ſeminaria Clericorum. Quod verò in ſolitudine potiſſimum erecta fuerint (licet vrbes eorum educationi aptiores viderì poſsent, vtpote qui ad vitam actuoſam inſtituebantur) id ad ſecuritatem

factum eſt, vt tutiùs adoleſcerent, & vires acquirerent laboribus, animos periculis pares; nec niſi adulti exponerentur, minori ſuo periculo, maiori proximorum emolumento. Simili Providentiâ turbatis hiſce temporibus in locis adverſus Eccleſiæ hoſtes tutis ſeminaria Miſſionarijs erecta ſunt: quos ubi doctrinâ, & Pietate probè inſtructi ſunt, in Hæreticorum, Schiſmaticorumque regioner immittit pia Mater, & Magiſtra, ſancta Romana Eccleſia, nulli labori, nullis ſumptibus parcens, vt eos Eccleſiæ reſtituat, quos Diſcordia ab eâ divulſit.

Duæ in contrarium occurrunt obiectiones: prior quod hymnos vnà canerent Therapeutę, Therapeutrideſque. 1. e. viri & fæminæ, illud vitæ genus amplexi: additque Philo conflatus in vnum ſonum graves virorum, acutas fæminarum voces gratam effeciſſe Symphoniam. Poſterior: quod in idem Refectorium convenirent ad ſumendum cibum. Horum autem neutrum convenit cum Eccleſiæ Diſciplinâ.

Ad primam objectionem reſpondeo: fideles omnes etiamnum promiſcuè laudes Deo canere in Eccleſiâ: quod obſervare poſſunt, qui Pariſijs in Eccleſijs Parochialibus interſunt. In Synodo quidem Lateranenſi ſub Innoc. II. can. XXVII. (Celebrata eſt an. Dom. MCXXXIX.) prohibitum eſt, ne vel Canonici, vel Monachi cum Sanctimonialibus ad Pſallendum in vnum chorum conveniant. Unde ſequi videtur, quod etiam illi ante decretum illud convenirent. Dicitur etiam Coloniæ in Eccleſiâ B. Vrſulæ Canonicos cum Canoniſſis in majoribus feſtis officia ſimul cantare. Non mirum ergo in infantiâ Eccleſiæ id vſurpatum. Quam verò id caſtè, quam ſanctè fieret ab ijs, declarat Philo, accuratus hac in re ſcriptor, eo nomine laudatus, & ab Euſebio, & à Hieronimo.

Ad alteram reſp. cænam illam, quam deſcribit, non fuiſſe convivium varijs dapibus inſtructum; ſed ita frugalem, ita pijs divinæ ſcripturæ explicationibus conditam, vt veterem Chriſtianorum Agapen facilè agnoſcamus, quâ non cænam; ſed diſciplinam cænare viderentur. Nihil illic occurrit Perſonas Deo ſacras dedecens, nihil animum emolliens, nihil voluptatem accendens. Multa innocenter facta illis temporibus à noſtri ſæculi conſuetudine aliena fatebitur, qui legerit epiſtolam LXII. B. Cypriani. Non eſt inſtituti noſtri de Monaſterijs vtriuſque ſexus tractare. Sufficit nobis, quod Synodus Agathenſis an. Dom. DVI. juſſerit Monialium domos à virorum domicilijs ſeparari: & quod propiùs adhuc rem noſtram tangit, Synodus Cabilonenſis an. Dom. DCCCXIII. celebrata vetet Moniales cum viris, ſeu Clericis, ſive Laicis comedere, aut bibere, niſi in Auditorio. Et etiamnum in Germania & Belgio varia ſunt Monialium Monaſteria, in quibus hoſpites cujuſcunque conditionis, in Auditorio cibum & potum ſumunt. Quicquid ſit, nihil in illâ Philonis relatione contineri videtur, à ſanctitate temporum illorum & primitiuâ diſciplinâ aliena.

Datâ

Datâ Eccleſiæ ſub Conſtantino M. pace, factâ Chriſtianis poteſtate Eccleſias ædificandi; Epiſcopi Baſilicas extrui curarunt, in primarijs Civitatibus, ubi reſidebant, eaſque quia ſedes ſuas in illis collocaverant, Cathedrales appellarunt. Proximum fuit Seminaria Clericorum inſtituere: tametſi id privato Epiſcoporum ſtudio, potius quam Eccleſiaſticâ lege factum crediderim. Nulla enim occurrerunt decreta de Seminarijs Concilio Toletano II. antiquiora (Illud autem celebratum eſt an. Dom. DXXXI.) in cujus can. 1. hæc habentur. *De his, quos voluntas Parentum à primis infanciæ annis in Clericatus Officio, vel Monachali poſuit, pariter ſtatuimus obſervandum, vt mox cùm detonſi, vel miniſterio electorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ, à Præpoſito ſibi debeant erudiri.* &c.

Ubi nota 1. Illam domum non tum conſtruendam fuiſſe; ſed pridem conſtructam: (quod confirmat quæ modo dicebamus) nec enim circa domum ipſam quicquam decernitur; ſed tantum de uſu illius, & Tyronibus Clericis illic collocandis.

Nota 2. Domum illam vocatam eſſe *Domum Eccleſiæ.* Adde illam aut fuiſſe ipſam Epiſcopi domum, (quæ poſtea *Palatium Epiſcopale*, *Epiſcopeion*, aut *Epiſcopatus*, dicta eſt) vel ipſi vicinam: quia dicit illos Tyrones *ſub Epiſcopali præſentiâ erudiendos eſſe.*

Notâ 3. eos plerunque peculiarem habuiſſe *Præpoſitum*, à quo docebantur, ab Epiſcopo conſtitutum: *à Præpoſito ſibi*, ait canon.

In Concilio verò Toletano IV. c. XXIII. Statuitur: vt *ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt*, omnes in vno conclaui *atrij commorentur, vt labricæ ætatis annos non in luxuriâ; ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniore, quem & Magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant.*

Canone Arabico L. V. Chorepiſcopis præcipitur, *vt Miniſtros inſtituant, eſque diſtribuant per Eccleſias, & Monaſteria, & prouideant, vt diſcant.* Cæterum cum conſtet illos canones non eſſe concilij Nicæni, cui inſcribuntur, & non conſtet illa decreta concilio, Toletano II. Antiquiora eſſe, ideo manet velut indubitatum mihi, primam eâ de re latam legem Eccleſiaſticam à Toletanâ illâ Synodo editam fuiſſe.

Tandem ſæculo XVI. Hæretica pravitas miras edens ſtrages Fidelium per totum occidentem ab ignorantiam potiſſimùm, & pravos Cleri mores, Epiſcoporum ſolertiam procuravit, ad opportuna remedia indaganda. Inter quæ nullum magis efficax, quam inſtitutio ſeminariorum, de quibus Concilium Rhemenſe tempore Gregorij PP. XIII. & Henrici III. Regis Chriſtianiſſimi celebratum an. Dom. M D LXXXIII. hæc habet: *quemadmodum Agricola, niſi ſerat tempeſtivè, non poteſt metere, ita Eccleſia Dei ex prædictis Sacramentis fructus vberes, per idoneos operarios afferre nequit, niſi ſeminaria juventutis erudiendæ, & moribus in formandæ cauſâ habeat. Ideoque præcipimus*, &c.

Sed clariſſimum eſt Synodi Tridentinæ ſeſs. XXIII. cap. XVIII. de-

cretum de istis Seminarijs : *Cum adolescentium ætas*, inquit, *nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari, propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplinâ Ecclesiasticâ perseveret, sancta Synodus statuit, vt singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & Diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis, & Diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum, in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & in disciplinis Ecclesiasticis instituere teneantur.* &c. Videntur Patres hujus Concilij præ oculis habuisse decretum Toletanæ Synodi secundæ, & ex eo suum formasse, paucis in melius muctatis, v. c. quod nemo ante XII. annum in illa seminaria admitti possit, &c.

Consequenter ad istud decretum tam vtile, tam necessarium, videmus in singulis ferè Diœcesibus erecta Clericis formandis seminaria. Plæræque Diœceses Opulentiores, ultra illa Seminaria in Metropoli fundata, aliud in universitatibus erexerunt. Sed sicut Romana B. Petri sedes aliis omnibus auctoritate, dignitate, opibus supereminet, & *maiores habet Diœceses*, vt habetur in Synodicâ Concilij Arelatensis 1. ad Sylvestrum, imo omnes Diœceses complectitur, ita in hoc omnes munificentiâ superavit. Enimverò vix numerus iniri potest Seminariorum, quæ suis sumptibus ædificavit, alitque, in Fidei ubique ferè periclitantis subsidium. Dicant hoc Angli, quibus Romę vnum, aliud Duaci, duas turres fortissimas à facie Aquilonis erexit. Dicant Germani, qui suum Romæ habent ejusdem S. Sedis beneficentiâ domicilium. Dicant Græci, Maronitæ, alij. Denique nobilissimum Collegium *de Propagandâ fide in omnium Gentium* infidelitatis tenebris occæcatarum illùminationem destinata lux. Nihil hic de Religiosis ordinibus, eujusdem Apostolicæ Sedis auctoritate fundatis dicam ; qui comparari possunt fonti de terrâ ascendenti, universam ejus riganti superficem. Sic Roma Sedes Petri Caput orbis effecta, vna cum Episcopis, totum orbem, per summissos in omnes partes Clericos, veluti spiritus vitales, regit, dirigit, fovet, continet, movet, calefacit, vivificat, defendit, extendit, ornat, animat, &c.

CAPUT XXIX.

Seminaria Antiqua, & nova : & aliquorum Regularium domicilio Seminaria Clericorum esse.

LICET nulla lex Ecclesiastica Toletanis Synodis antiquior Seminaria instituti mandarit, data tamen aliqua fuisse, hystoriæ Ecclesiasticæ monumenta,

menta, ſanctorum Acta, & rei natura cogit agnoſcere. Eorum veſtigia rerum & aliarum, & alienarum ruderibus ſepulta detegere conabimur.

Primum omnium in novâ lege ab ipſo Chriſto inſtitutum, ad ipſomet directum eſt. In illud ex omnibus ei adhærentibus Diſcipulis octoginta quatuor adlegit : *Ex quibus duodecim elegit, quos & Apoſtolos nominavit* : reliquis ſeptuaginta duobus commune *diſcipulorum* nomen adhæſit, non quod reliqui in Chriſtum credentes *Diſcipuli* non eſſent ; ſed quod hos peculiari ſolicitudine inſtitueret, vt poſſent & ipſi alios docere. Meritò hoc dicere poſſumus *tetius Eccleſiæ Seminarium* : cum ex eo prodierint illi, qui totam Eccleſiam fundarunt, eique præfuerunt, idque ex intentione Chriſti. Hos ſeminariſtas iterum inſtituere dignatus eſt poſt Reſurrectionem ſuam *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, tum triumphante in cælis, tum maximè militante in terris, quod maximè neceſſarium erat. Piè credo ſumma quædam legum Eccleſiaſticarum capita, tunc Seminariſtis illis communicata fuiſſe : quæ eſſent partes velut ſubſtantiales, & eſſentiales juris canonici, nullo temporè mutandæ. Puta Hierarchiæ in ſuas partes diſtributio, earum inter ſe ſubordinatio, ubi inæquales eſſent, ubi æquales, coordinatio : ſingularum officia : ritus in Sacramentis adminiſtrandis obſervandi : pericula inſuper ex Gentilium furore, Hæreticorum verſutiâ, mundi illecebris, alijſque id genus, timenda. Jtem minores cauſas ab Epiſcopis quibuſque, aut Concilijs particularibus decidi debere : majores aut ad Concilia plenaria, aut ad ipſius in terris vicarium referendas eſſe. &c. Jtem vita communis Clericorum, cautela ne ſoli cum fæminis converſarentur : cujus violatio B. Joanni Chriſoſtomo exprobrata eſt, à Synodo in quercu, etiam antequam vlla eâ de re lex Eccleſiaſtica lata fuiſſet. Hæc enim omnia ab initio obtinuiſſe videntur, & vix vllam vnquam mutationem ſubierunt.

Chriſtus D. in cælum aſcendens univerſale hoc Seminarium, Apoſtolorum Principis Petri arbitrio regendum reliquit : cujus prima cura fuit in locum Judæ Proditoris alium ſufficere, vt videtur Actor. I. à v. 15. Quæ deinceps in eo geſta ſunt, uſque ad diſperſionem diſcipulorum, poſt B. Stephani triumphum, dequâ cap. VIII. & aliam Apoſtolorum, occiſo per Herodem Jacobo fratre Domini, dequâ cap. XII. ejuſdem operis, in illis Apoſtolorum Actis videri poſſunt.

Seminarium Epheſi inſtitum ſuiſſe, colligo ex illis Apoſtoli verbis II. Tim. II. 2. *Quæ audiſti à me, per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alias docere. Fideles enim illi homines alijs docendis idonei*, & ideo reconditæ illius doctrinæ, quam B. Paulus Timotheum docuerat participes effecti, abſque dubio ad Clericalia munia inſtruebantur : adeoque Seminariſtę erant, & Seminarium ſimul ſumpti conſtituebant. Nec dubitare debemus viros Apoſtolicos habuiſſe ubique aliquos, quos ſimili ratione formabant, ſibi ſucceſſuros : licet aut nulla, aut non niſi obſcura fiat ejus rei mentio, in monu-

in monumentis, quę ſuperſunt. Enimverò Epiſtolæ Jgnatianæ, aliorumque Sanctorum Patrum id ſatis apertè inſinuant, ubi varios Clericorum Epiſcopis, imo & Sacerdotibus minorum gradus recenſent : hos enim omnes ad Sacerdotium inſtitui certum eſt, & libro 1. probatum.

Datâ Eccleſiâ pace nobiliſſimum à B. Auguſtino inſtitutum fuiſſe Seminarium, teſtatur qui illud vidit, & in eo vixit, Poſſidius, lib. de vitâ B. Auguſtini cap. V. *Factus ergo Presbiter*, inquit, *Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cepit ſecundum modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.* Et cap. XI. *Proficiente verò Doctrinâ divinâ ſub Sancto, & cum Sancto Auguſtino in Monaſterio Dei ſervientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari ceperunt. Ac deinde innoteſcente, & clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ Prædicationis veritate, Sanctorumque ſervorum Dei propoſito, continentiâ, & paupertate profundâ, ex Monaſterio, quod per illum memorabilem virum & eſſe, & creſcere ceperat, magno deſiderio peſcere, atque accipere Epiſcopos, & Clericos pax Eccleſiæ atque unitas cepit primò, & poſtea conſecuta eſt. Nam fermè decem quos ipſe novi, Sanctos, ac Venerabiles viros continentes, & Doctiſſimos B. Auguſtinus diverſis Eccleſijs, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterq; & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſijs propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Eccleſijs promotos Fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt.* Hæc Poſſidius.

Quibus verbis tradit non modo Seminarium ab Auguſtino inſtitutum; ſed etiam Seminariorum Seminarium; ex quo & Sacerdotes, & Epiſcopi varijs Eccleſijs præficiendi educti ſunt, qui poſt modum alia Seminaria in Eccleſijs ſuæ curę concreditis fundarunt : adeoque inſtitutos ab Auguſtino Clericos per totam paulatim Africam propagatos fuiſſe.

Vercellis inſtitutum Clericorum in communi viventium Seminarium à B. Euſebio illius civitatis Epiſcopo, teſtis eſt locupletiſſimus Ambroſius ſerm. XV. de Sanctis. *Quia Pontificij adminiſtratione fulgebat*, ait, *plures è diſcipulis Sacerdotij ſui elegit* (ſive reliquit) *hæredes. --- Illud quam admirabile eſt, quod in hac Sanctâ Eccleſiâ eos Monachos inſtituit eſſe, quos Clericos* : atque iiſdem *penetralibus Sacerdotalia officia contineri, quibus & ſingularis caſtimonia conſervatur, vt eſſet in ipſis viris contemptas rerum, & accuratio Levitarum.* Hæc Ambroſius de B. Euſebio Vercellenſi.

Turonis in Galliâ B. Martinus nobile Seminarium erexit, ut ejus Acta teſtantur. Dicitur quidem *Monaſterium*, & in Breviario refertur eum ibi octoginta Monachos inſtituiſſe. Hæc tamen non impediunt, quo minus verùm fuerit Clericorum Seminarium, vt videbimus. Hoc quoque Beatiſſimi Viri inſtitutum latiſſimè propagatum fuiſſe, teſtatur Siricius PP. epiſtolâ ad Himerium Terraconenſem cap. XIII.

B. Gregorius M. Anglorum Apoſtolus, per totam Angliam (quam *Saxoniam tranſmarinam* appellat) Seminaria curavit inſtitui, ad Normam Apoſtolorum

Rolorum, in quibus nullus eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe diceret, aut velut re propriâ uteretur; ſed ut eſſent illis omnia communia. Quę teſtimonia ſequenti libro nobis vſui erunt.

Ut tandem ad noſtra tempora accedamus: viderunt nobiliſſima Pariſijs erecta Seminaria, quicunque Pariſios viderunt, tum eorum, qui nulli Congregationi illigantur, vt in Sancti Sulpitij, Sanctique Nicolai de Cardoneto Eccleſijs: tum etiam qui in vnum corpus ſub peculiari Superiore militant; quales ſunt *Oratorij Patres*, & *Patres Doctrinæ Chriſtianæ*: & per omnes & Catholicorum, & Infidelium regiones late ſparſa *Societas* JESV. Horum domicilia Seminaria ſunt, in quibus ad omnes functiones Eccleſiaſticas formantur viri Apoſtolici, qui ad extremas mundi plagas, nihil itinerum moleſtijs, maris periculis, Perſecutorum immanitate, carcerum pædore, tormentorum acerbitate, morte denique atrociſſimà territi, Evangelij lumen indefeſſo labore circumferunt.

Nec quiſquam indignè jure ferre poteſt Collegia illa Regularium, qui ex vitæ initæ ratione ad proximos juvandos deputantur, *Seminaria* dici *Clericorum*. Talia enim eſſe fatebitur, quiſquis ſepoſitis præjudicijs, vocum non ſonum, ſed ſenſum, atque ſignificationem expenderit. Educantur enim in illis Juvenes Altaris Miniſterio deſtinati, formantur ad actiones Hierarchicas fructuosè peragendas, eorum exercitia tam publica, quam privata, omnia denique ſtudia eò collimant, vt ſe *probabiles exhibeant Deo, operarios inconfuſibiles, rectè tractantes verbum veritatis.* II. Tim. II. 15. Cum autem formati fuerint, cum adoleverint, inde extrahuntur viri Apoſtolici, qui ignotas Antiquis Regiones adeant, efferas gentes manſueſcere doceant, ſuavi Chriſti jugo barbara colla, nullum ferre aſsueta ſubjiciant, vincas Domini plantent, labore colant, ſudore, imò & ſanguine rigent, conciones habeant, Sacramenta miniſtrent, quicquid denique nobiliſſimum Clericorum Miniſterium exigit, abundanter expleant. Et non dicentnr *Seminaria Clericorum!*

Nec qui remotiſſimas regiones, prædicatum Evangelium adeunt, vicinos negligunt. Habent enim ex eodemmet Sodalitio Pueri Pædagogos, Adoleſcentes altiorum ſcientiarum Magiſtros, Scholæ Regentes, ſive Profeſſores, Eccleſiæ concionatores, ſacra Pænitentiæ Tribunalia Confeſſores, Plebs Chriſtiana Catechiſtas, Altaria Sacerdotes, Epiſcopi Miniſtros, Parochi auxiliares copias, Bibliothecæ Libros, libri cæleſtem doctrinam. Imò ipſa quę vulgò vocantur, & verè ſunt *Seminaria Clericorum*, de horum Regularium plenitudine acceperunt: nec parvam enim, nec contemnendam operam ad ea deſignanda, erigenda, dirigenda, contuliſſe quoſdam Regulares, notius eſt, quam vt hic referatur.

Cum ergo tam illuſtria appareant ubique Miniſterij Clericalis Regularium veſtigia, cum *ſigna Apoſtolatus* eorum oſtentent etiam remotiſſimæ gentes, quid ni cum Tridentinâ Synodo *Clericos* eos appellabimus, & quidem

Regulares

Regulares? Eorumque domos, *Seminaria Clericorum*? Tridentina Synodus ſeſſ. XXV. cap. XVI. de Reform. hæc habet: *Per hac*, quæ ſcilicet eo uſque decreta fuerant, *Sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis* JESV *juxta pium eorum inſtitutum à S.S. Apoſtolicâ approbatum, Domino, & ejus Eccleſiæ, inſervire poſſit.* Hæc *Sacroſancta Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè Congregata*, declaravit de vnà ex illis Regularium congregationibus: eam ſcilicet eſſe *Religionem Clericorum*: vnde ſequitur eorum domos domos eſſe clericorum, Collegia, Seminaria eſſe Clericorum: totamque vitam, vitam eſſe clericalem, quamdiu juxta pium ſuum inſtitutum vivunt.

Jndignantur aliqui Clerici Regularibus erigi ejuſmodi Seminaria à ſummo Pontifice pendentia, in civitatibus aliorum Epiſcoporum juriſdictioni ſubjectis: injuriam hac rationi fieri Epiſcopis, Clericiſque alijs cauſantur. Cęterum ſine causâ hęc obijci patet tum ex univerſali Summi Pontificis in totam Eccleſiam poteſtate, quæ totum mundum amplectitur. Tum ex eo quod in aliarum etiam Diœceſum bonum illa Seminaria diriguntur, ſpeciatim illius, ubi inſtituta ſunt: Adeoque debent in ijs inſtitui. Tum denique quia Concilium Tridentinum decreto de Seminarijs erigendis ſupra relato permittit cuique Epiſcopo, Seminarium erigat vel *propè ipſius Eccleſiam, vel in loco convenienti ab Epiſcopo eligendo.* Si autem ſpectemus numerum eorum, quos vel ad Fideles in Fide,& Pietate confirmandos, vel ad Infideles ad Fidem convertendos educat Sancta Romana Eccleſia, videbimus nullam Diœceſim quantumvis magnam, & late patentem, omnibus ijs alendis ſuffecturam, etiamſi tota, laicis ejectis, in ſolos Seminariſtas dividatur. Hinc *locus* Seminarijs à Summo Pontifice erigendis, *conveniens* non invenietur, juxta mentem Tridentinę Synodi, niſi extra ſuam Diœceſim eum quærere liceat.

CAPUT XXX.

Vita Seminiſtarum ex Concilio Aquis Granenſi deſumpta.

LICET antiquiſſimæ fuerint Clericorum in communi viventium congregationes ab ipſo Chriſto Salvatore inchoatæ, à varijs Patribus, potiſſimum autem ab Auguſtino inſtauratæ, licet etiam varij canones ad eorum formandos mores identidem à diverſis concilijs Spiritu ſancto haud dubitæ inſpirante conditi fuerint, non tamen in unum codicem, qui *Regula* dici ſolet compacti fuerunt ante IX. ſæculum. Illa quippè Regula, quę Sancti Auguſtini dicitur, & eſt, non canonicis, non Clericis vllis; ſed Monialibus à Beato viro data eſt: quam poſt modum aliquis paucis non magno judicio mutatis, ad virorum vſum

uſum adaptavit. Tandem an. Dom. DCCCXVI. celebratum eſt Aquis grani ſub Stephano PP. V. & Ludovico Imp. 1. nobile concilium, ad canonicorum mores ex Patribus Concilijſque componendos. In eo canones editi CXXXXV. quorum vltimus omnium præcedentium epilogus eſt. Integrum hic damus, quia ſummatim exprimit quicquid à Clericis Seminariſtis exigebatur.

„ Legalibus inſtitutis, & Evangelicis ſaluberrimis monemur præceptis, „inquit, vt Dominum Deum noſtrum totis præcordijs diligamus, & proxi„mum tanquam nos ipſos, &c. Si igitur ab omnibus fidelibus his ſalutiferis „præceptis totis niſibus eſt favendum, quanto magis ab ijs, qui divinis culti„bus mancipati ſunt, & alijs exemplo virtutum condimentum eſſe debent? „Proinde oportet primò omnium, vt Dominum Deum diligant ex toto corde, „totâ animâ, totâ virtute, & proximos tanquam ſeipſos: & noſſe, quia in „his duobus præceptis univerſa lex pendet, & Prophetæ. Non occidant, „non fratrem ſuum oderint: quia ut ait Apoſtolus *qui fratrem ſuum oderit*, „*homicida eſt*. Non adulterent, non faciant furtum, non concupiſcant rem „alienam, non falſum teſtimonium dicant, & quod ſibi nolint fieri, alteri „non faciant.

„ Non ſint ſuperbiâ tumidi, non detractionibus aſſueti, non ebrietati „ſervientes, non luxuriâ enervati, non iracundia turbidi, non quibuſlibet „vitijs ſubſtrati, non vaniloqui, non invidi, non ſomnolenti, non pigri, non „murmuratores, non ſuſurrones, non vinolenti, non multum edaces.

„ Fraudes & doloſitates caveant, uſuris nequaquam inſerviant. Non „jurent, ne fortè perjurent, malum pro malo non reddant. Cum in ſe aliquid „boni viderint, Deo; & cum malum viderint, ſibi deputent. Diſcordiam „fugiant, & quos diſcordantes invenerint, ad charitatis concordiam revocent, „& juxta Pſalmiſtæ vocem: *Declinent à malo & faciant bonum.* Attendant & „Apoſtolum prohibentem: *Non*, inquit, *in comeſſationibus & ebrietatibus, non „in contentione & emulatione ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Animadver„tant etiam, quod ab ijs vitijs ab Apoſtolo prohibitis, omnium vitiorum ſeges „ermergat: & quod horum morborum mater ſuperbia ſit.

„ Oportet etiam ut animam corpuſque ſuum ab omni inquinamento „carnis, & ſpiritus cuſtodiant, ut juxta Apoſtolum, *integer ſpiritus eorum, & „anima, & corpus ſine querelâ in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur.*

„ Sobriè & juſtè & piè vivant, ſæcularia negocia prorſus abijciant, quia „juxta Apoſtolum: *Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſæcularibus, vt ei „placeat, cui ſe probavit.* Jejunium ament, hoſpites colligant, pauperes re„creent, nudos veſtiant, infirmos viſitent, mortuos ſepeliant, in tribulatione „poſitis opem ferant; dolentem conſolentur, amori Chriſti nihil præponant, „charitatem non derelinquant; Pacem ſi fieri poteſt cum omnibus hominibus „habeant, diem judicij timeant, vitam æternam ſpiritualiter concupiſcant,

„ſpem ſuam Deo committant, proprio Epiſcopo in omnibus ſecundum cano-
„nicam inſtitutionem obtemperent: magiſtros ſuos non temerè reprehen-
„dant: poſtremò in doctrinis ſpiritualibus operam dent, Lectionibus, Pſal-
„mis, Hymnis, Canticis, & cæterorum bonorum operum exercitio jugiter
„incumbant: in Dormitorio, niſi quem infirmitas detinuerit, omnes dor-
„miant: In Refectorio pariter reficiantur: quotidie ad collationem veniant,
„mox ut ſignum datum fuerit, ad Eccleſiam feſtinatè veniant, & horas ca-
„nonicas, non negligenter, ſed cum omni religione pariter celebrent. Eccle-
„ſiam non pompaticè; ſed reverenter ingrediantur, in choro non cum ba-
„culis ſtent; vaniloquijs nequaquam inſiſtant; ſed cum omni devotione, ac
„veneratione divinę ſervitutis opus peragant, ſcientes Angelorum præſentiam
„ſemper illic adeſſe. E clauſtris non niſi per licentiam egrediantur: egreſſi
„irreprehenſibiliter vivant, ut ab ijs, qui foris ſunt, bonum teſtimonium
„habeant, & Religionem, ac Propoſitum ſuum actibus illicitis nequaquam
„maculent; ſed potius omnes, quibus ſe junxerint, ſale ſapientiæ, & bono-
„rum operum exemplis condiant. Contubernia fæminarum nullatenus appe-
„tant, non vanis oculis, aut petulanti tumidoque geſtu, ac diſſolutis renibus
„incedant: non ſpectaculis, non pompis ſæcularibus interſint: non aleæ,
„non quibuſlibet venationibus inſerviant.

„ Apoſtoli quoque inſtructi documento, quo ait, *non in veſte ſpeciosâ*,
„nequaquam precioſis delectentur veſtibus. Caveant ſummopere, ne extra
„clauſtra moras faciant, niſi ut ſibi à Priore conſtitutum fuerit, & opportu-
„nitas temporis dictaverit. Intra clauſtra poſiti, non ocio vacent; ſed aut
„divinis officijs, aut proprijs vtilitatibus, aut certè magiſtrorum juſſionibus
„pareant, ne ocio torpentes, ab Apoſtolo audiant: *qui non vult operari, nec*
„*manducet.* Seniores ſpiritualiter juniores diligant: Juniores ſenioribus obſe-
„quium dignum exhibeant: Doctiores minus doctis nequaquam ſe præfe-
„rant; ſed magis eos cum charitate ædificent: neque ſi qui nobilitate ge-
„neris, aut virtutum donis pollent, cæteris ſe tumidè ſuperextollant.

„ Omnes in Congregatione viciſſim ſibi charitatis officio ſerviant:
„quibus in refectorio comedentibus, & religiosè ſilentium tenentibus, con-
„tinuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, &
„caſtigent; pueros & adoleſcentes negligentes, verborum diſciplinis corri-
„piant: ſinguli, juxta capacitatem ſuam, diverſarum artium erudiantur diſci-
„plinis, ut nullus in Collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium
„ocioſus comedat: tales quippe eſſe, imo totaliter converſari decet omnes,
„qui divinis officijs ſe manciparunt. Quapropter ſtudeant hęc breviter collata,
„ſedulâ meditatione perlegere, & memoriæ commendare: & adjuvante
„divinâ gratiâ juxta vires adjmplere, quo facilius, & liberius majora à Sanctis
„Patribus edita exequi valeant. Vocatione ergo, quâ vocati ſunt, nec ad
„dextram nec ad ſiniſtram declinantes ambulent, quatenus divinis juſſionibus

obtem-

„obtemperantes ad Chriſtum, in cujus ſorte eſſe noſcuntur, *qui via, veritas, &* „*vita eſt*, eo opitulante pervenire mereantur. Amen. Hæc illa ſacra Synodus.

Hîc adeo accuratè deſcriptam habemus non religioſam modo, ſed etiam Regularem, & canonicam vitam, ut nihil clarius dici poſſit. Utinam ipſi Religioſi omnes tam ſanctam vitæ rationem obſervarent. In clauſtro vivere jubentur, inde niſi petitâ & obtentâ à Priore licentiâ non egredi, in eodem refectorio comedere, idque ſubſilentio, Lectioni interea attendere, uno in loco dormire; & id genus alia, cum bonorum & regulariter viventium Religioſorum vitæ ratione quam conſona! Similia prorſus habet Regula canonicis Metenſis Eccleſiæ à Chrodegando illius urbis Epiſcopo data circa hoc ipſum celebrati Concilij Aquis Granenſis tempus: quæ habetur tomo VII. Conciliorum editionis Pariſienſis an. Dom. MDCLXXI.

CAPUT XXXI.

An Clericis permiſſus tranſitus ad alias Eccleſias.

VIGVIT per multa ſæcula in Eccleſiâ illa conſuetudo ſacris canonibus firmata ut quiſque Clericus in ipsâ ſuâ inauguratione alicujus Eccleſiæ obſequio deputaretur, à quâ diſcedere vix permittebatur: idque triplicem ob cauſam. 1. Ne Eccleſia ejus obſequio fraudaretur. 2. Ut ambitioni obviam iretur, & Avaritiæ, cum nemo ferè ad obſcuriorem, aut pauperiorem Eccleſiam tranſiret. 3. Ut continerentur in ordine inquieti ſpiritus, mutationum avidi.

Epiſcopos, alioſque Clericos, in Eccleſijs ijs commiſſis fixerunt dico canones magnæ Synodi Nicænæ. Prior ordine XV. hæc habet: *Propter multam perturbationem, & Seditiones, quę fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa: ita ut de Civitate ad Civitatem non Epiſcopus, non Presbiter, non Diaconus tranſeat. Si quis autem poſt definitionem ſancti & magni Concilij tale quid agere tentaverit, hoc factum prorſus irritum ducatur, & reſtituatur Eccleſiæ, cujus fuit Epiſcopus, aut Presbiter, vel Diaconus ordinatus.*

Poſterior ordine XVI. ita loquitur: *Quicunque temerè, aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam Regulam, diſcedunt ab Eccleſiâ Presbiteri, vel Diaconi, vel quicunque ſub regulâ exiſtunt, hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi; ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas Paræcias revertantur; quod ſi non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audaciter invadere, aut in ſuâ Eccleſiâ ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſſit is, qui Regulæ mancipatur, ordinatio hujuſmodi irrita comprobetur.*

Et Concilium Arelatense 1. cap. XXII. *De Presbiteris*, inquit, *& Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia se transferunt, placuit, ut his locis ministrent, quibus præfixi sunt: qui si relictis locis suis, ad alium locum se transferre voluerint, deponantur.*

Idem decernit Synodus secunda Generalis, quæ vetat Episcopos extra terminos suæ Diæceseos vagari, confundere, & permiscere Ecclesias, sed jubet, ut quique Provinciæ cujusque Episcopi satis habeant suam Provinciam regere. Exemplum adhibet in Asianis, Ponticis & Thracicis Ecclesijs, quas à cujusque Episcopis regi jubet.

Occurrit hic non dissimulanda difficultas: quomodo cum hoc decreto stat illa Patriarchæ C. P. potestas in tres illas Provincias, quas hîc à suis Provinciæ cujusque Episcopis regi summo jure debere decernit? Enimverò ex Actis B. Joannis Chrisostomi aliorumque Patriarcharum C. P. constat eos de varijs causis in tribus illis Provinciis cognovisse, usosque ibi pleno jure Patriarchico. Respondeo: nullo jure Patriarchico in illas tres Provincias usos fuisse Episcopos C. P. ante Concilium Chalcedonense. Quod enim in illas Provincias transierint, de variorum Episcoporum ordinatione cognoverint, vitio creatos deposuerint, alios confirmarint, &c. non fecere jure judicis Ordinarij; sed tantum ut judices arbitri de consensu partium electi, & ab Episcopis Provinciarum illarum inter se contendentibus invitati. Ad quod judicium quilibet alterius vicinæ Provinciæ Episcopus assumi potuisset, auctoritate ejusdem secundi Concilij Generalis, canone tertio.

Deinde Synodus Antiochena can. XXI. *Episcopus ab unâ Parochiâ nequaquam migret in aliam, nec sponte suâ prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesiâ, quam primò sortitus est, nec inde transmigret, secundum pristinum de hac re terminum constitutum.* Verùm vel iste canon nunquam usu receptus est; vel ei contraria consuetudo derogavit: quandoquidem permissas statim videbimus Episcoporum translationes factas legitimâ electione, petente populo, suffragantibus Episcopis, quod canon negare videtur.

Nemo tamen ob ista putet quosque Clericos ita his canonibus Ecclesijs suis affixos fuisse, ut nisi violatis illis amoveri nullo modo potuerint. Enimvero plerique Canones citati translationem permittunt, modò fiat *consentiente Episcopo*, ait canon XVI. Concilij Nicæni: *cum Consilio & voluntate* regionis Episcopi, ait Concilium Antiochenum can. XXII. *Nisi Episcopus suus illum concedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disponit*, ait Concilium Epaunense, c. V. Proinde modo consentirent invicem Episcopi, licita erat transmigratio ejusmodi, & juri canonico conformis. Nec verò Episcopi in dando consensu difficiles se præbere debebant, ubi ipsi Clericis abundabant, alij inopiâ laborabant. Charitas enim tum temporis postulabat, ut vicinis Ecclesijs, & Episcopis opem postulantibus, subvenirent. v. c. an Dom. CCCCI. celebratum

celebratum est in Africâ consilium, in quo legatio ad Anastasium Romanum, & Venerium Mediolanensem decreta est, petitum Clericos, quorum inopiâ Africa laborabat. Quod clarè demonstrat credidisse Episcopos Africæ tales Clericorum translationes licitas esse, ubi consentientibus Episcopis fiebant.

Singularis est ad hoc probandum canon. XXXXV. Synodi tertiæ Carthaginensis: qui hæc habet: *Aurelius Episcopus* (Carthaginensis) *dixit: sermonem meum admittite fratres. Contingit nonnunquam, ut postulemur ab Ecclesijs, quæ Præpositu egent, vel Episcopis, vel Presbiteris: & tamen memor statutorum, id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, atque ei inculcem, quod ejus Clericus à quâlibet Ecclesiâ postuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati sunt, & nequando continget ut reluctentur, cum fuerint à me postulati, quem scitis multarum Ecclesiarum, & ordinandorum causam sustinere. Iustum est ergo ut quemlibet consacerdotum, conveniam cum duobus ex consortio nostro, vel tribus testibus. Si verò indevotus extiterit, quid censet charitas vestra faciendum? Ego enim cunctarum Ecclesiarum dignatione, (vt scitis Fratres) solicitudinem sustineo. Numedius Episcopus dixit: Fuit semper huic sedi hæc licentia, vnde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum. Epigonius Episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem: minus enim præsumit Frater. Et cum te bonum, & clementem omnibus reddis, (habes enim hoc in arbitrio) satis est, ut satisfiat personæ vniuscujusque Episcopi, in primâ tantummodo conventione. Si autem quodlibet huic sedi vindicandum fuerit sibi arbitratus, necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Vnde tibi non potestatem damus; sed etiam assignamus, ut liceat voluntati tuæ, & semper tenere, quem voles, ut præpositos plebibus vel Ecclesijs constituas, qui postulati fuerint, & vnde voles. Postumianus Episcopus dixit: deinde qui unum habuerit, numquid debet illi ipse unus Presbiter auferri? Aurelius Episc. dixit: sed Episcopus unus esse potest, per quam dignatione divinâ Presbiteri multi constitui possunt. Vnus autem Episcopus difficile invenitur constituendus. Quapropter si necessarium Episcopatui quis habeat Presbiterum, & unum, ut dixisti Frater habuerit, etiam ipsum ad promotisnem dare debebit. Postumianus Episc. dixit: Ergo si habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs subvenire. Aurelius Episcopus dixit: sanè quomodo tu Ecclesiæ alterius subveneris, persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.* Hæc ille canon. Ex quo

Patet primò: Aurelium Carthaginensem Episcopum, *cui cura incumbebat, & Ecclesiarum per Africam, & Ordinandorum*, ut ipse dicit, ubi deerat ordinandus alicubi Clericus, solitum cum duobus, aut tribus assistentibus, petere Clericum ab Episcopo, cujus erat.

Patet 2. quod eo modo peteret Episcopi consensum, id potius, ex ejus bonitate, & humanitate profectum fuisse, quam quodnecessarium crederetur officium. Hoc habent Epigonij verba, qui agnoscit eum jure Primatus, quo instructus erat, potestatem habere *tenendi quem vellet*, & plebibus dandi Episcopum debitè electum.

Patet 3.

Patet 3. licet neceſſarius alioqui videretur Epiſcopo Sacerdos, *quod unicus eſſet*, tamen penes Primatem erat illum evocare, & Epiſcopum ordinare : quod faciliùs eſſet alium Clericum Sacerdotio, quam Epiſcopatui aptum invenire : maior enim erat Epiſcopi quam Sacerdotis dignitas, plura illius, quam iſtius in Eccleſiam officia. Unde Epiſcopus plus prodeſſe, ſi bonus, obeſſe, ſi malus, poterat.

Unde ſequi videtur S. S. Apoſtolicę licuiſſe, & etiamnum, licere Clericos alibi natos, alibi educatos promovere. Non minor enim eſt ejus in totum Occidentem auctoritas, ratione Juris Patriarchici, quam Primatis Africæ in Africam. Cum ergo iſti licuerit Clericos undecunque intra Africæ Provincias ei ſubjectas eligere, quos Eccleſijs, eorum ope indigentibus, præficeret, cur id negabitur ſedis Apoſtolicæ Præſuli ? Uſam ſanctam ſedem eo jure, liquet ex eorum numero, qui alibi nati, educati, conſecrati, in illam evecti ſunt. Nulla enimverò ſedes plures alienigenas tulit : Græci, Galli, Hiſpani, Germani, alij, eam impleverunt, vt de minorum Ordinum Clericis taceam, qui Cardinalitiam in eâ dignitatem aſſecuti ſunt, non Patriæ, non Gentis; ſed ſolum meritorum habitâ ratione. Hinc etiam ex quo Conſtantinopolis ſecundę ſedis dignitatem obtinuit, ex ultimo Oriente Joannem Chriſoſtomum, Neſtoriumque ex Antiochiâ, alios haud ita pridem ex Alexandrinâ ſede accerſivit, licet vtraque illa ſedes eſſet Patriarchalis.

Petes : quis eſt propriùs cujuſque Clerici Epiſcopus ? Reſp. ſpectat Clericus ad Epiſcopum 1. ratione Patriæ, 2. ratione conſecrationis. Utraque conjungitur in concilij Carthaginenſis 1. can. V. *Non licet*, ait Privatus Epiſcopus Vegeſelitanus, *Clericum alienum ſuſcipi, ſine litteris Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere : nec Laicum uſurpare ſibi de plebe alienâ, ut eum ordinet, ſine conſcientiâ eius Epiſcopi, de cujus plebe eſt.* Neutrum tamen vinculum erat indiſſolubile : ſufficere nimirum putarunt antiqui, quod aliquis Laicus in loco domicilium haberet, aut illic habitare ſtatueret. Porrò Concilium Milevitanum II. can. XV. ait : *Vbi quis primum legerit vel ſemel in Eccleſiâ, ab aliâ Eccleſiâ non teneatur.* Hinc

B. Hieronimus, ejuſque frater Paulinianus, Stridone in Dalmatiâ nati, in oriente conſecrati ſunt Presbiteri, alter à Paulino Antiocheno, alter ab Epiphanio Cyprio : Ipſe Epiphanius ex Phæniciâ ortus, in Cypro ſacris initiatus eſt : Origenes Ægyptius Hieroſolymis factus eſt Sacerdos : Auguſtinus Tagaſte in Africâ natus, Mediolani baptizatus, Hippone Regio factus Epiſcopus, Pinianum Nobilem Romanum ad Sacerdotium promovit. Martinus Pannonius Turonis in mediâ Galliâ fuit Epiſcopus. Paulinus Burdegalæ baptizatus à Delphino, Barcinone in Hiſpaniâ Terraconenſi Clericus factus à Lampio, Mediolani à B. Ambroſio Sacerdotio initiari voluit. Unde liquet aut nullam aut certè non magnam habitam furſſe rationem de loco originis : adeoque canonem illam V. Synodi Carthaginenſis primę nunquam obtinuiſſe

obtinuiſſe. Et verò magis firmum fuiſſe vinculum ex ordinatione, quam ex origine, demonſtrant laudati canones.

Notatu dignum eſt, quod ubi Paulinus urgente Populo Barcinonenſe Clericus faciendus eſſet, declaravit ſe ita in ſui promotionem conſentire, ut ilii Eccleſiæ non alligaretur; ſed velle ſe libertatem habere diſcedendi, ubi liberet. Simili interpoſitâ cautione factus eſt Mediolani Sacerdos. Quod niſi fruſtra à viro Sanctiſſimo, Doctiſſimoque factum credamus, dicendum illâ declaratione adhibitâ ſervatam ordinato libertatem inde migrandi, nullâ Eccleſiæ, in quâ ordinatio peracta eſſet, injuriâ factâ, quæ nullum jus in clericum nolentem, eamque nolitionem apertè declarantem, vi conſecrationis acquirebat.

Jure novo liberum ferè relinquitur cuique Clerico, ubi libuerit Ordinari niſi conſuetudines obſtent: & tribus titulis acquiritur Epiſcopo jus eum ordinandi. Nempe ratione 1. Originis, 2. Domicilij, & 3. Beneficij. Ut habetur c. *Cum nullus. De Temporibus Ordinationum, in* VI. A Bonifacio PP. VIII. editus eſt iſte canon, qui etiam primus dicitur hujus diſtinctionis Author. Concilium Mons peſſulanum can. II. vetuerat Epiſcopos quencunque tonſurare extra ipſorum Diæceſim natum. Verum iſti decreto derogat ille canon Bonifacij duplici ratione: primò, quia à Majori auctoritate profectus eſt. Secundò quod tempore poſterior eſt: nam concilium Monſpeſſulanum celebratum eſt an. Domini MCCLIX. ſcilicet XXXV. annis antequam Bonifacius factus eſſet Pontifex, qui ſanctam ſedem aſcendit an. Dom. MCCXCIII. exeunte. Accedit & tertia ratio: quia Decretum illud juri canonico inſertum eſt; non verò aliud concilij Monſpeſſulani.

Requirit etiam ius novum in clerico ordinando Titulum, unde is honeſtè vivere poſſit; & triplex aſſignatur: 1. Beneficij, 2. Patrimonij (pro carentibus Beneficio) & 3. Paupertatis, qui Religioſorum eſt. Additur & quartus, Jndultum Apoſtolicum Seminarijs Miſſionariorum conceſſum. Hic quibuſdam novus titulus videtur, quia non ubique in uſu eſt; at non eſt novus; ſed potius antiquiſſimus, ob quem unicè plerique Apoſtolorum tempore conſecrati fuerunt, Ad rem redeo, ſi hæc ſint extra illam.

Author libri de Tranſlationibus ſentire dicitur (librum non vidi) *Migrationes Epiſcoporum* vetitas fuiſſe; *tranſlationes* non ita. Ego neutram credo abſolutè illicitam, ſi juſtas ob cauſas fiat, quæ probentur Superiori Epiſcopi, vel clerici tranſeuntis, ſi Superiorem habuerit. Petrus Apoſtolorum Princeps Antiochiâ Romam migravit: Euſtachius Antiochenus, qui Synodo Nicænæ interfuit, Bæræenſis Epiſcopus fuerat. Grægorius Nazianzenus ſaſſimorum Eccleſiam rexerat, quando C. P. Sedi præfectus eſt. A Synodo Nicænâ 1. amotis ob Arrij hæreſim, Euſebio Nicomediæ, & Theognide Niceno, aliarum Eccleſiarum Epiſcopi ſurrogatiſunt. Alexander in Cappadociâ Epiſcopus Hieroſolimam tranſlatus eſt, & Proclus Cyzico Conſtantinopolim, conſentientibus

Cæleſtino

Cæleſtino Romano, Cyrillo Alexandrino, & Joanne Antiocheno, &c. Hos omnes ſi quis accuſare, aut Ambitionis, aut Avaritiæ, aut violati Juris canonici, damnare audeat, eos univerſus Orbis ſuffragijs, Deus miraculis abſolvet. Enimverò ut ut alij tranſlati dici debeant, quia à Poteſtate ſuâ majori approbatus eſt eorum tranſitus; Petrus certè migraſſe dici debet, cum nullum haberet, à quo tranferretur, ſe majorem. Idem dicendum ſi Pontifex Româ diſcederet, non ſicut cùm venit Avenionem, relicta Romæ ſede ſuâ; ſed ipſam ſedem, ipſam authoritatem Vicariam Chriſti transferendo ſecum, ea *Migratio* eſſet, & quidem licita, ſi juſtas ob cauſas fiat, quod fieri poſſe docet Bellarminus.

Cauſas tamen intervenire, eaſque laudabiles neceſſe erat, Martyrius ob cleri inobedientiam, populique rebellionem ſedem Antiochenam deſeruit. Gregorius Nazianzenus ſaſſimos ob loci paupertatem (ejus victui neceſſaria non ſuppeditabat) & Aeris intemperiem reliquit. Silvanus Epiſcopatu in Thraciâ ſe abdicavit, ob ſævitiam frigoris valetudini ſuæ adverſam. Gregorius cognomento Theologus propter Pacem Epiſcopatu Conſtantinopolitano ceſſit. Ejuſdem Pacis Amore Epiſcopi Catholici in Africâ abdicare ſe certis conditionibus voluerunt. Agapetus verò PP. Anthimum Trapezuntio Conſtantinopolim tranſlatum indignè tulit, tum quia nulla juſta cauſa ſuberat, tum etiam quod eſſet de Hæreſi ſuſpectus.

Sic igitur, ubi rationabilis cauſa ſubeſt, qui Chriſti vices in terrâ gerit, migrare ubi libuerit poteſt: Alij ipſo inferiores, tranſire ab unâ ſede ad aliam non debent, ſine eius conſenſu, cui utraque ſedes paret: verùm eo conſenſu obtento licitè tranſeunt: ſic iſti *transferri* debent; ille *migrare* poteſt.

In calce noto faciliorem nunc eſſe tranſlationem Clericorum ab unâ Eccleſiâ ad aliam, quam erat initio: olim enim per ipſam ordinationem incardinabantur alicui Eccleſiæ, ejuſque obſequio deſtinabantur Clerici, & ea erat Clericorum paucitas, & Eccleſiæ paupertas ut non ſine difficultate, qui ſuccederet inveniretur. Nunc verò in tantâ Clericorum multitudine, & Beneficiorum opulentiâ, nihil damni patitur Eccleſia ex eo quod ab aliquo deſeratur.

Alio etiam nomine jus habent recedendi ab Eccleſiâ, cui deſerviunt, multi Clerici, illi ſcilicet omnes, qui vel titulo Patrimonij, vel Paupertatis, initiantur. Hi enim vi ordinationis nulli ſpeciatim Eccleſiæ deputantur, ſicut etiam qui vigore indulti Apoſtolici promoventur.

Hinc deducitur, non peccare contra jus Eccleſiaſticum Clericos illos ſive Religioſos, ſive ſæculares qui hùc illùc mittuntur à legitimis ſuis Superioribus, quò proximorum ſalus, & majus Dei obſequium vocat. Ad quod oſtendendum totam iſtam diſputationem inſtituimus.

CAPUT XXXII.

CAPUT XXXII.

Habitus Clericorum.

NEMINI dubium esse potest sæviente in Episcopos, clericosque persecutione, nullam eis peculiarem vestem præscribi aut potuisse, aut debuisse, ob periculum inde creandum; sic in Angliâ, Hollandiâque, alijsque regionibus, unde Catholica fides proscripta est, clerici non tenentur ad vestes talares, aliave ordinum suorum insignia in Catholicis regionibus præscripta. Vero simile proinde & prope certum est, communi cum alijs veste usos fuisse viros Apostolicos tribus fere sæculis, ab Ascensione scilicet Christi D. ad datam sub Constantino M. pacem Ecclesiæ. Ita tamen ut modestiæ ratio haberetur. Mulieribus præscribit Apostolorum Princeps I. Pet. III. *Vt non sit eis extrinsecus capillatuora, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est inconspectu Dei locuples.* Similia Paulus I. Tim. II. *mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & sobrietate ornantes se; & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosâ; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Hęc vterque Apostolus mulieribus edixit, ut sexum vanitati deditum, mundi muliebris studiosum, intra modestiæ fines contineret. Similia viris commendata credibile est, similem ob causam, ut modestia externa internæ signum esset, vt ex ipso habitu apparerent mundo mortui, vanitatis hostes, Christo confixi cruci. Consilium Colonienſe an. Dom. MDXXXVI. celebratum illa mulieribus data præcepta clericis adaptat.

Tertullianus peculiari libro se Pallium assumpsiste testatur, depositâ togâ. Unde patet clericis permissum pro libitu utriuslibet usum, licet Pallium plerique ferrent, ut habet Baronius ad an. D. LVIII. tum quia vestis erat simplicior, & longè commodior, tum quia veste illâ, quæ Phylosophorum erat, se veræ sapientiæ studiosos ostendebant: tum quia Judæi eâdem utebantur à quibus pietatem hauserant, Apostoli enim omnes Judęi erant, unde horum vestes assumebant plerique fideles.

Pelliceas fuisse Clericorum vestes verosimile est: quia ab Apostolos Heb. XI. referuntur sancti *circuisse in melotis, in pellibus caprinis*, &c. Deinde Ambrosius lib. de dignit. Sacerdotum cap. IV. quorundam Episcoporum luxum carpens, ait: *Castorinas quærimus, & fericas vestes, & ille se inter Episcopos credit altiorem, qui vestem inducrit clariorem.* Pontius in Passione B. Cypriani, hunc Byrrho usum ostendit. Pro quo, qui fastui studebant, Castorinis usi sunt. Vide Claudiani Epigramma de Byrrho, & castoreo. In sacris Officijs pelliceum amiculum, seu ἀμοφόριον, gestabant, quod Episcopo tribuit

Jsidorus Peluſiota lib. 1. Ep. CXXXVI. vnde nomen impoſitum *ſuperpellicei*, lineæ veſti. ὠμοφοίῳ veſtigium apparet in Almutijs canonicorum, quas nunc brachio geſtant, olim in capite ferebant. cauſa, cur pelliceis veſtibus uterentur, vt ex Tertulliano lib. de Pallio, colligi poteſt, ea fuit, quod eſſent ſimplices, & vulgares, indices etiam ſervitutis: hinc gratæ priſcis chriſtianis, qui opprobrijs pro chriſto ſubijci cupiebant.

De colore veſtium cleri nihil conſtat. Ad teſtandam morum Innocentiam & cordium lætitiam, Baptiſmi lavacro abluti Albas veſtes perocti-duum ferebant: & infanti fonte Baptiſmatis renato veſtis alba etiamnum imponitur. Clemens Alexandrinus apud Baronium Albas veſtes commendat: non tamen talem colorem clericis ſuis injunxit. Hinc non conſtat etiam IV. ſæculo quo colore induerentur clerici. *Caſtaneo atque violaceo* putat Baronius, quo etiamnum in Aulâ Pontificiâ clerici vtuntur. Sed vnde colligemus id cunctis retrò ſæculis uſurpatum fuiſſe? Hieronimus epiſt. ad Nepotianum de vitâ clericorum: *Veſtes pullas æquè devita, ut candidas*, inquit, *ornatus ut ſordes pari modo fugiendi ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Ex quibus conſtat nec iſtos, nec ullum alium colorem ad illud uſque tempus præſcriptum fuiſſe: non iſtos, quia alioqui non auſus fuiſſet ab illis dehortari: non alium, alioquin illum vnicè commendaſſet. Ex eâdem Epiſtolâ patet aliquos clericos jam tum in veſtibus vanitati ſtuduiſſe. *Omnis his cura de veſtibus*, inquit, *ſi benè oleant, ſi pes laxâ pelle non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur; digiti annulis radiant, & neplantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam Clericos.*

Chriſtianorum primi omnium Euſtachiani, ab Euſtachio Sebaſteno Epiſcopo Arrianarum partium fautore, ut teſtantur Socrates & Sozomenius, ſic appellati, certum veſtium genus ad oſtentationem fictæ virtutis, & Juſtitiæ ſuis præſcripſerunt: eoſque deſpiciebant, qui communibus veſtibus vterentur. *Introducunt*, ait Synodus Gangrenſis adverſus eos celebrata, *peregrinos, & inſolitos habitus, ad indumentorum communiter vſitatorum ſublationem.* Hos canone XII. condemnat: *Si quis virorum putaverit continentiæ convenire, ut Pallio utatur, tanquam ex eo Iuſtitiam habiturus; & reprehendat vel judicet alios, qui Birrhis vtuntur, & aliâ veſte communi, quæ in uſu eſt, Anathema ſit.* Hæc illa Synodus. Ubi nec Pallij, nec vllius veſtis uſus damnatur, niſi quatenus ex ſuperbiâ ſumebatur, & quâdam ſuperſtitione, & cum alijs veſtibus vtentium contemptu. Similem errorem Gallias afflaſſe, patet ex epiſt. Cæleſtini 1. ad Provinciarum Viennenſis, & Narbonenſis Epiſcopos an. Dom. CCCCXXVIII. datâ: *Didicimus*, inquit, *quoſdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſervire, quam mentis, vel fidei puritati; Amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe Scripturæ fidem non per Spiritum; ſed per litteram impleturos. Nam ſi ad hoc iſta præſcripta ſunt, ut taliter ſervarentur, cur non fiunt pariter quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus una cum baculo teneantur.* Et infra: *Diſcernendi*

undi à Plebe, vel cæteris, ſumus Doctrinâ; non veſte, mentis puritate, non cultu, ſcilicet corporis. *Vnde hic habitus in Eccleſijs Gallicanis, vt tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? ---- Si incipiamus ſtudere novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus.* Hæc B. Cæleſtinus.

Unde patere videtur, ad illa uſque tempora nullâ lege Eccleſiaſticâ ullum veſtis genus præſcriptum, ullum clericis prohibitum fuiſſe. Vetitus enim tantum fuit ſuperſtitioſus cujuſcunque veſtis uſus, quaſi ea aut ſanctitatem induceret, aut ſcripturæ mentem impleret, ut ſtultè & impiè Euſtathiani, imprudentèr, & ſuperſtitiosè illi clerici Galli putabant.

Ubi nota de veſtibus communibus loqui nos, quibus Clerici domi foriſque utebantur; non verò de ſacris, quarum uſus erat in divinis myſterijs. Has enim jam ab initio peculiares fuiſſe, pro certo habemus, ex Hieronimo lib. XIII. in Ezechielis c. XLIV. *Religio divina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in uſu vitâque communi.*

Ante finem ſæculi VI. interdictę fuerunt clericis aliquæ veſtes ipſorum ſtatum dedecentes. concilium Matiſconenſe 1. (quod celebratum eſt anno Dom. DLXXXII.) can. V. hæc habet: *Nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta, niſi quod Religionem deceat, induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem Clericus aut cum indecente veſte, aut cum armis inventus fuerit, à ſeniore ita coerceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aquâ tantum, & modico pane ſuſtentetur.* Unde liquet jam tum Clericis interdicta fuiſſe arma, & militares veſtes, cujuſmodi *Sagæ* erant. Jmò longè ante clerici non ferebant arma. Unde Euſebius Samoſatenus ſede ſuâ à Valente pulſus, ad tegendam perſonam ſuam, ſumpto militari habitu viſitauit Eccleſias Paſtoribus orbatas, ait Theodoretus lib. IV. Hyſtor. c. XII. (Decretum arma vetans innovatur an. Dom. DCCCXXXXV. in concil. Meldenſi can. XXXVII. & in Moguntino can. XVII.) Patet ulterius veſtem honeſtam, & quæ Religionem deceret ijs preſcriptam eſſe. Jnfert P. Natalis Alexandre P. ad ſeculum VI. pag. 291. *Clericorum Civilem Habitum tunc ex Eccleſiæ diſciplinâ à ſæcularium veſtibus diſtinctum fuiſſe.* Cæterùm id difficultèr probabit ijs, qui ſcivnt non omnes univerſim ſæculares ſaga, armaque geſtaſſe: Cùm una pars Gallis à veſte familiari *Togata* dicta ſit, & Romani rerum Domini *Gens Togata* dicatur à Poëtâ.

Aliquot poſt annis (ſcilicet anno. DLXXXIX.) Narbone celebrata eſt Synodus cujus canon. 1. huc facit: *Nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem; non ad religioſam dignitatem.* Ubi unicus color, Laicis dignitate ſæculari fulgentibus peculiaris, religioſæ modeſtiæ causâ prohibetur clericis. Vanitatem in veſtibus prohibet etiam Synodus VIII. Generalis can. XVI. *Omnis luxus, & corporis ornatus à Sacerdotali Ordine alienus eſt. Epiſcopum ergo, vel Clericum, qui ſe ſplendidis, & inſignibus veſtibus*

exornant, corrigi oportet, sin autem permaneant, supplicio tradi: similiter eos, qui vnguento sunt delibuti. Et B. Fulgentius. *summam diligentiam adhibuit, nequis Clericus ambitiosis vestibus ornaretur*, ait Author ejus vitæ apud Bolandum.

Ante finem tamen illius sæculi VI. discretæ fuerunt clericorum vestes à Laicis, sive id lege Ecclesiasticâ, sive solâ consuetudine introductum fuerit. Gregorius m. lib. III. Regiſtri c. XXIV. *Paulum Clericum, qui despecto habitu suo, ad Laicam reversus vitam, in Africam fugerat, prævidimus in Pœnitentiam dari.* Et lib. VII. epist. XI. *dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerunt, vivunt, nequaquam student sæculum fugere; sed mutare.* Et Synodus in Trullo c. XXVII. *Nullus eorum qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in Civitate degens, neque iter ingrediens; sed vtatur vestibus, quæ ijs qui in Clerum relati sunt, attributa fuerunt. Si quis autem tale quid fecerit, vnâ septimanâ segregetur.*

Tametsi verò hæ vestes non describantur, talares tamen fuisse, ad terram usque, vel propè, defluentes videtur, ad imitationem Christi Domini, qui dilecto Discipulo suo *Podêre* vestitus apparuit. Apoc. I. 13. Videtur formæ, & coloris distinctionem tunc tandem præscriptam fuisse, quando diversi generis Clerici Regulares, sæculareſque eandem ceperunt incolere civitatem, vt ab invicem distinguerentur. Tandem Anathemate percussi, qui suæ Religionis habitum aut mutarent, aut deponerent. Gravès tâmen ob causas in eo dispensatum, ad securitatem scilicet eorum, qui inter Infideles versantur. Jmò aliquando etiam Fideles. Sic C. *Deus, de vitâ & honest. Clericorum* Innocentius III. permittit omnibus Clericis; Monachis, & canonicis inter Livones nuper ad fidem conversos degentibus, ut *unum honestum habitum* gestent, *ne dissimilis habitus apud eos, quibus unum Evangelium prædicant, scandalum suscitet.*

In Concilio Romano sub Zachariâ PP. c. III. præscribitur Diaconis etiam *Tunica Sacerdotalis*: talarem intelligo. Sed apud antiquos Authores *Casula* mentio fit. De B. Cæsario Arelatensi ait ejus discipulus Cyprianus *Ambulans per plateam Civitatis vidit in foro hominem, qui à Dæmonio agebatur. In quem cum attendisset, habens manum sub casulâ, ut à suis non videretur, Crucem contra eum fecit.* Et Acta B. Fulgentij apud Bolandum cap. XVIII. *Casulam preciosam, vel superbi coloris nec ipse habuit, nec Monachos suos habere voluit. Subtus casulam nigello, vel lactineo pallio circumdatus incessit.* Et Regula S. Macarij c. XXVII. Monachum contumacem inducit dicentem: *hîc ego durare non possum; sed accipiam casulam meam, & ibo vbi voluerit Dominus.* Familiaris illa vestis clericorum, atque Monachorum, in re obscurâ, si liceat conjecturis vti, non videtur dissimilis in figurâ illi sacro indumento, quod Græci σάκκον, saccum, vocant, & describitur à Goar pag. 114. Enimverò etiam in Occidente antiquæ casulæ undique clausæ erant: quæ nunc utrinque apertæ, commodiores sunt ad usum, & motum brachiorum.

Addamus aliqua ex Antiquis petita exempla in eorum, quæ dicta sunt, confirmatio-

confirmationem, & vt appareat, quam ſimplicibus veſtibus vſi fuerint olim Epiſcopi ipſi.

Chriſtus D. Mat. XX. duas tunicas, aut calceamenta habere vetat. Quod tametſi ab aliquibus ad litteram intelligatur, quaſi non tantum mutatorias veſtes; ſed etiam duplices quæ ſimul ferrentur inhiberet, ut B. Petrus de Alcantara: tamen mihi videtur Diſcipulos ſuos ijſdem verbis monere voluiſſe, parati eſſent, ad excurſiones fidei diſſeminandæ causâ faciendas: ideoque ne onerarentur rerum haud neceſſariarum Sarcinâ. Baſilius Conſtit. Monaſtic. c. XX. omnes, & monachos & alios admonet veſtes ferre modeſtas, & facile parabiles.

De Auguſtini veſte hæc Poſſidius in ejus vitâ, cap. XXII. *Veſtis eius, & calceamenta, & Lectualia ex moderato, & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerunque vel jactare ſe inſolenter homines ſolerent, vel abijcere, ex utroque non quæ* JESV *Chriſti; ſed quæ ſua ſunt quærentes. At iſte Beatus medium tenebat, neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinans.* Hęc ibi. Obſervauit ergo B. Auguſtinus conſilium alijs à ſe datum: ſordes & pompas vitandas, ab eo, qui Humilitatem amat, ſuperbiam averſatur: quia inquit de ſermone Dom. in monte lib. II. c. XII. *Non in ſolo rerum Corporearum nitore atque pompâ; ſed in ipſis luctuoſis ſordibus eſſe poteſt jactantia, & eò periculoſior quò ſub nomine ſervitutis Dei decipit.*

Deinde ipſemet Auguſtinus ſerm. L. de diverſis, hæc habet ad inſtitutum noſtrum facientia: *Nemo det Birrum, vel lineam tunicam, ſeu aliquid niſi in commune, de communi accipiam mihi ipſi, cum ſciam me commune habere velle, quicquid habeo. Nemo talia offerat, quibus ego ſolus decentius vtar. Offeratur mihi verbi gratia Birrum precioſum, fortè decet Epiſcopum; quamuis non decet Auguſtinum, ideſt, hominem pauperem, de pauperibus natum. ------ Qualem veſtem poteſt habere Presbiter qualem poteſt habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in communi accipio. Siquis meliorem dederit, vendo: ut quando veſtis non poteſt eße communis, precium veſtis ſit commune.*

De Agellio Epiſcopo Zozomenus: *Vixit pecuniarum poſſeſſione liber,* inquit, *atque ipſa vitæ inſtitutio illud planè declarauit: nam vnâ ſolùm vtebatur tunicâ, & ſine calceis ſemper incedebat.*

Severus Sulpitius in vitâ B. Martini c. VII. *Idem conſtantiſſimè perſeuerauit, qui prius fuerat;* inquit, *eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas erat: atque ita plenus Auctoritatis, & Gratiæ implebat Eiſcopi dignitatem, ut tamen propoſitum Monachi virtutemque non deſereret.*

Theodoretus hyſt. Religioſæ cap. IX. de B. Jacobo Niſibitano ait: *Montanam illam habitationem cum mutaſſet, urbanamque non ex animi ſententiâ ſuſcepißet, nec cibum mutauit, nec VESTITVM; ſed mutatis locis, vitâ inſtitutio nullam cepit mutationem.*

Idem cap. V. de Aphthonio monacho ad Epiſcopatum evecto, ait:

Cum

Cum annos amplius quadraginta choro prafuiſſet, ſedem aſcendit Pontificalem, nec pallium mutans Aſceticum, nec tunicam Caprarum è pilis contextam, cibis iiſdem vtens, quibus ante Epiſcopatum vtebatur.

B. Honoratus Maſſilienſis de S. Hilario Arelatenſi ſcribit in ejus vitâ: *Cum primùm ſpeculatoris ſuſcepit officium, in ſeipſo primùm monſtrauit, quemadmodum Congregatio mundum contemneret, corpus deſpiceret, vnius tegmine tunica æſtatis ardorem, & hiemis rigorem contenta tolararet.*

De B. Fulgentio Ferrandus ejus Diaconus in ejus vitâ apud Bolandum cap. XVIII. *Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nullatenus vtebatur*, inquit, *Pelliceo Cingulo tanquam Monachus vtebatur. Sic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium corporalium fugiens, ut nec ipſa calceamenta ſuſcipiens Clericorum, frequenter nudis pedibus ambulabat. ----- Quando temperies aëris invitabat, ſolo pallio intra Monaſterium eſt coopertus. Nec depoſito ſaltem cingulo ſomnum petiuit. In quâ tunicâ dormiebat, in ipsâ ſacrificabat.*

De B. Germano Altiſiodorenſi ſcribit ejus vitæ Author apud Surium ad diem XXXI. Julij: *Ex eâ die, quâ Sacerdotij ſumpſit exordium, ----- nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, vel Salem accepit. Indumentum cuculla, & tunica indiſcretis fuere temporibus. Nam neque hieme acceſſit adjectio, neque æſtate levamen admiſſum eſt. Quod utrumque tamdiu vſui fuit, niſi fortè donatum eſt, donec attritione nimiâ ſolveretur, Cilicio ſemper interius inhærente.*

B. Jnnocentius PP. I. epiſt. II. (quæ eſt ad Victricium Rhotomagenſem) cap. X. decreverat Monachos ad Clericatûs Ordinem aſſumptos, non debere propterea Propoſitum mutare, vel inceptam vitæ regularis rationem deſerere. Quod conſtat etiamnum obſervari ab ijs, qui vel ad Epiſcopatum, vel ad Cardinalatum evehuntur. Hoc tot allata Patrum exempla demonſtrant in uſu fuiſſe, etiam antequam decretum illud extaret, quod proinde dicere poſſumus editum fuiſſe, ad confirmandam communem Eccleſiæ praxim. Unde diſcimus, non ſolum malos mores bonarum legum cauſas extitiſſe; verum etiam aliquando bonos: quia figuntur leges non tantum vt pravas conſuetudines eliminent; ſed & vt bonas, & laudabiles, piaſque confirment. Et hac ratione vt plurimum arbitror conditas eſſe leges illas, quibus Novarum Congregationum Fundatores ſuos Diſcipulos inſtruunt. Enimverò B. Ignatius Societatis JESV Parens diu anceps hæſiſſe dicitur, an vllas eſſet leges ſcripturus: quod confideret, exteriùs ſummam Dei ſapientiam, & bonitatem, interiùs charitatis & amoris legem, quam Spiritus ſanctus in cordibus imprimere ſolet, abundè ſatis futuras ad minimæ Societatis ab ipſo inſtitutæ regimen, & conſervationem in Dei ſancto ſervitio: nec niſi aliorum exemplo, & cohortatione ad Conſtitutiones ſcribendas animum applicuit. Ita R. D. Vincentius de Paul Piæ memoriæ, Sacerdotum Miſſionariorum Fundator, ut ex ejus vitâ conſtat. Ita plerique alij.

CAPUT XXXIII.

CAPUT XXXIII.

Tonſura Clericorum.

TOnſurâ capitis ſummitatem aperiri nemo neſcit : quod cum fiat in circulum, coronæ nomen invenit, quæ utique rotunda eſt. Ferunt eam non tantum Epiſcopi, verum etiam minores Clerici, & qui ſolâ primâ Tonſurâ initiati ſunt : minimam, & anguſtiſſimam iſti, ampliorem qui ad altiores ordines aſcendunt, ut ipsâ coronæ magnitudine Poteſtatis divinitùs acceptæ amplitudinem oſtendant.

Prima Tonſura ordo non eſt, ſed via, pręparatio, diſpoſitio ad ordines. Sicut enim, ait Catechiſmus Tridentinus, homines ad Baptiſmum Exorciſmis, & ad Matrimonium ſponſalibus, ita ad Ordines ſacros tonſo capillo diſponuntur.

Aliquid aut ſimile, aut æquivalens legiſſe me videor in B. Cypriani Epiſt. XXIV. *Feciſſe me ſciatis*, inquit, *Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confeſſorem, quos jam pridem communi conſilio Clero Proximos feceram.* Hæc Cyprianus. Qui enim *Clero Proximi* facti fuerant, à Laicis erant ſegregati, nondum tamen Clerici, ideſt, ſacris Ordinibus initiati; ſed ad ordines ſuſcipiendos crediti idonei, atque diſpoſiti, ſic Prima Tonſura ſegregat, à Laicis; non ullum ordinem confert. Nos hic de illâ primâ non loquimur; ſed de aliâ, quæ ſignum eſt ſuſcepti Ordinis.

Inter Gentiles probroſum fuit radi. Cicero orat. pro Roſcio : Raſura inquit capitis & ſuperciliorum ſignum eſt homines peſſimi & fraudulenti. Domitianus Apollonio Tyanæo offenſus, eum tonderi juſſit, ait Philoſtratus lib. VII. de ejus vitâ. Hanon Ammonitarum Rex Davidis Legatos contra jus gentium opprobrio affecit, rasâ eorum barbâ : & Germanus C. P. ait Petrum ubique prædicantem ignominię cauſa raſum fuiſſe.

Adhibitam tamen religionis ergo raſuram cum ab Ethnicis tum à Judæis certum eſt. Siquidem cultores Iſidis, inter illos; inter Judæos verò Nazaræi in fine Nazareatus capita radebant. Horum ad inſtar inter Chriſtianos aliqui raſi fuerunt. Act. XVIII. 18. *Aquila totonderat ſibi caput*, & Act. XXI. Paulo ſuaſerunt Eccleſiæ Hieroſolimitanæ ſeniores, vt *cum quatuor viris votum habentibus ſanctificaret ſe impenderetque* (efficeret) *vt capita raderent.* Pręſcriptus ille mos Nazaræis numerorum VI. 18. *tum radetur Nazaræus ante fores tabernaculi Cæſariæ conſecrationis ſuæ.* Verum iſtæ cum Nazaræorum raſuræ tum cultorum Iſidis, à Clericorum tonſurâ differunt quod hęc crines ſaltem in circulo permittat, illæ omnibus demeſſis, caput omnino glabrum relinquebant.

Tonſu-

Tonſurarum varia genera apud Antiquos, v. c. S. Petri, S. Pauli & Simonis Magi. Tonſura S. Pauli talis erat, qualis Nazaræorum. De hac Beda lib. IV. Hyſtoriæ Angl. de Theodoro loquens, quem Vitalianus PP. miſerat, ut Eccleſię Cantuarienſi præficeretur: *Subdiaconus ordinatus*, inquit, *quatuor expectauit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram more Orientalium S. Pauli Apoſtoli.*

Ceolfridus apud Bedam lib. II. hyſt. cap. XXIV. hæc ait: *Coronam Simonis Magi, quis non cum ipsâ Magiâ deteſtetur? Quæ aſpectu in frontis ſuperficie corona videtur ſpeciem præferre, ſed ubi ad verticem conſiderando perveneris, decurtatam eam quam te videre putaveras, invenies coronam, ut meritò Simoniacis & non Chriſtianis talem habitum convenire cognoſcas, qui in præſenti quidem vitâ à deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloriæ coronâ; ſed in eâ, quæ hanc ſequitur vitam non ſolum omni ſpe coronæ privati; ſed æternâ inſuper ſunt pœnâ damnati.* Nullibi præterea hujus coronæ, aut ſemi coronæ mentionem inveni. Nec tamen à venerando Patre conficta credo; ſed unde hauſerit, ab alio doceri cupio.

De coronâ S. Petri hæc ait ibidem: *Oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum Clericatus habent, formam quoque Coronæ, quam Dominus in Paſſione ſuâ ſpineam portauit in Capite ſuo quemque por Tonſuram præferre: vt ſe etiam irriſiones, & opprobria, pro illo libenter, ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant.----- Atque etiam vt Coronam vitæ æternæ ſe ſemper expectare proque hujus perceptione, & adverſa ſe mundi, & proſpera contemnere, deſignent.* Hæc illi.

Concilium Aquiſgranenſe lib. 1. cap. 1. ait à Nazaræis fluxiſſe Tonſuræ uſum. Cui ſubſcribo libens, licet non prorſus abijcienda putem, quæ ab alijs dicuntur, à Germano videlicet C. P. quod fiat in imitationem Tonſuræ per irriſionem factæ B. Petro, ut ex illius probro nos gloriemur: ſic Crux, ignominioſiſſimum ſupplicij genus, verſo in Gloriam opprobrio, Regum ornat Diademata. Gregorius Turon. lib. 1. de gloriâ Martyrum c. 28. ait B. Petrum ad humilitatem docendam caput deſuper tonderi inſtituiſſe. Beda ob memoriam ſpineę Coronæ Chriſti D. capiti impoſitæ fieri docet. Et Pontificale Romanum id confirmat, in Collatione Tonſuræ. *Et ſicut*, ait, *ſimilitudinem Coronæ tuæ eos geſtare facimus in Capitibus, &c.*

Contra Tonſuram, obijciunt Hęretici I. ea prohibetur in lege, quaſi Deo diſplicens. Deuter. XIV. 1. *Non vos incidetis, nec facietis Calvitium ſuper mortuo.* Et Levit. XIX 27. *Nec in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Et Hieremię XXXXIX. 32. *Diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam.* Diſplicet ergo Deo Tonſura. Reſp. conſtat non fuiſſe univerſim in lege prohibitam capitis raſuram, quæ Nazarijs etiam imperata fuit, & viſum eſt ſenioribus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, B. Paulum, alioſque quatuor Chriſtianos radendo capita ſua Judæis perſuaſuros, quod *legem obſervarent.* Damnat

itaque

itaque tonſuram, quæ fiebat ad cultum Iſidis Idololatricum. Ex Hæbreo textu alij aliter reſpondent, prohiberi talem raſuram, qualis eſt Turcarum.

Obiciunt 2. Ezechiel XXXXIV. 20. *Capita ſua non radent*, inquit, *neque comam nutrient; ſed tondentes attondent capita ſua.* Reſp. licet, *radere* vetet, *tondere* tamen permittit. Quod nobis ſufficit; cum Bellarminus initio *novaculam* ait non fuiſſe adhibitam; ſed ſolum forfices. Hieron. ad illa verba: *Non debet radi; ſed tonderi, ut cutis tecta maneat.* Item *Perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, & Serapidis, nos eſſe debere, nec rurſum comam demittere quod propriè Luxurioſorum eſt, barbarorumque, & militantium; ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facilè demonſtretur.*

Diſcimus nec Calvitium eſſe novaculâ faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur; ſed in tantum capillos eſſe dimittendos, ut ſit opertum caput. Item: *raſa capita habet ſuperſtitio Gentilis.* Hæc Hieronimus. Cui eatenus aſſentior, ut cum eo dicam nunquam in Eccleſiâ admiſſam omnimodam raſuram, ut nihil crinium relinqueretur.

Sed ut de Tonſurâ Clericali loquamur, Alexandre ſec. IV. par. 1. pag. 349. ſentire dicitur necdum Hieronimi tempore imperatam Tonſuram. Id ego non aſſeram: ingenuè tamen fatebor, conſuetudine videri receptam Tonſuram longè priuſquam ullâ lege ſcriptâ clarâ & indubitatâ. Prima enim quæ occurrit ejuſmodi habetur in Synodo Toletanâ ſecundâ, (quæ celebrata eſt an. Dom. DXXXI.) can. 1. quæ hæc habet: *De his, quos voluntas Parentum à Primis Infantiæ annis in Clericatus officio, vel Monachali poſuit, pariter ſtatuimus, ut mox cum detonſi*, &c. Et eodem tempore Tonſuram Clericatus inſigne fuiſſe colligimus ex Gregorio Turonenſi in lib. de vitis Patrum c. XVII. *Sanctus Nicetius ab ipſo ortus ſui tempore Clericus deſignatus eſt*, inquit: *nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput eius, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis nudum cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab ijſdem Coronam Cleriti fuiſſe deſignatam.* Deinde Synodus in Trullo vetat eum Clericum conſtitui, *qui Sacerdotali Tonſurâ uſus non fuerit.* Videantur etiam Germani C. P. Patriarchæ verba de coronâ Clericali, in Theoriâ myſteriorum.

Ex quibus evidentius oſtendi credo Tonſuræ Clericalis antiquitatem, quam vel ex Synod. IV. Carthaginenſis cap. XXXXIV. vel ex tribus poſtremis capitibus libri de Opere Monachorum, apud Auguſtinum. Enimverò loquuntur & Synodus illa, & Gregorius Turonenſis, atque Germanus C. P. de Tonſurâ non velut de re novâ, nuper imperatâ, ſed velut de antiquitùs obſervatâ. Cumque non pateat ullâ lege Eccleſiaſticâ introductam fuiſſe, ſequitur ab Apoſtolis fluxiſſe, conſuetudine introductam eſſe.

Porrò mihi non ſatis conſtat Monachos olim raſos fuiſſe. Legimus B. Maurum ſuper profundi ſtagni gurgites ambulaſſe, & condiſcipulum ſuum B. Placidum capillis apprehenſum ad littus retraxiſſe. Quod ſi talem habuiſſet

coronam Placidus, qualis est hodie Monachorum, nec adhibito forcipe eum capillis extrahere potuisset Maurus: Nisi quis dicere velit magneticâ virtute sublevantis digitis demersi caput adhæsisse.

An Virgines Deo sacratæ tondere consueverint ab initio, mihi non constat. Augustinus in Regulâ illis datâ (quæ omnium antiquissima videtur) eas crines abscondere jubet; non jubet abscindere. *Capillos ex nullâ parte nudos habeatis*: inquit, *nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Vestales olim tondebantur, earumque crines ad arborem *Lotum* deferebatur, quæ proprea *Capillata* dicta est, ut habet Plinius lib. XVI. hystor. natur. c. XXXXVI. Quod in signum libertatis fieri crediderim, (cùm aliæ fœminæ sub Virorum suorum, vel Parentum potestate essent) unde & Romani, tondebant quos manumittebant. Eustachiani (de quibus supra) mulieres omnes tondebant; & obid in Synodo Gangrensi c. XVII. damnati sunt: quia crines fœminis dati sunt, inquit ea Synodus, *in Velamen Capitis, & in memoriam subjectionis.* Ex quibus colligitur Eustachianos ad superbiam fovendam fœminas totondisse; ideoque fuisse meritò damnatos. Modò tondentur sanctimoniales, ad amputandam Vanitatem, & ad significandam rerum superfluarum abjectionem.

CAPUT XXXIV.

Clericorum studia. Ubi & Universitatum Origo: & Facultatum Auctoritas.

OPtimè censuit Synodus Colonienſis an. Dom. MDXXXXIX. celebrata ab Adolpho, primum, efficacissimumque medium Ecclesiam „ reformandi, esse studiorum instaurationem: quod ea quæ Reformatio, „ & Ecclesiæ necessitas exigit, nemo præstiterit melius, quam scripturarum „ sacrarum, Canonum, & munerum Ecclesiasticorum peritus. Sivè enim „ regere Ecclesias, & docere Populum, siuè hæreticos convincere, & „ Scripturarum aperire mysteria, sivè Sacramenta conficere, eaquè administrare, siuè examinare ex Ordine Ecclesiæ Ministros, sivè visitare Diœ„ ceses, aut Synodos celebrare; vel Iudicia Ecclesiastica exercere oporteat, „ scientiâ opus est: alioquin, ut inquit in Evangelio Christus: *Si cæcus cæ„ cum ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, quod si ad Ecclesiæ reformationem „ tantopere conducit, non minus etiam ad institutionem, & conservationem.

Apostolorum prima cura semper versata est, circa cultum Dei sincerum veramque Pietatem tradendam: quæ Fide, Spe, & Charitate continetur, ut ait Augustinus Enchir. ad Laurent. c. IV. *Omnia, quæ requiris*, inquit, *procul dubio scies, diligentèr sciendo, quid credi, quid sperari debeat, quid amari.*

Hæc

Hæc enim maximè, imò verò sola in Religione sequenda sunt. Huc spectant S. Scripturæ interpretationes, Sacramentorum administrationes, Homiliæ ad populum, Puerorum Catechismi, Scholarum institutiones, leges denique omnes, maximè verò sacræ, & Ecclesiasticæ. B. Apostolus Galatas parturiebat, donec in ijs formatus esset Christus: Hoc est, donec fide crederent, spe prosequerentur, amarent charitate, quæ Christus D. credenda, speranda amanda mandasset. Apostolorum successores Episcopi illos imitati Catechumenos omnes, gregemque Christi universum simili affectu, pari studio ad Pietatem instruxerunt. Quis dubitat eos impensiori curâ, majori diligentiâ Tyrones, germina sanctitatis, oneri suo successuros, dignitatis suæ hæredes efformasse, ad perfectam, omnibusque numeris absolutam sanctitatem, De quorum plenitudine alij recepturi essent: qui futuri erant sal terræ, lumen mundi, Doctores fidei, Ecclesiæ Rectores, ovium Pastores, columnæ Domus Dei?

Enimverò cum singulæ scientiæ sua habeant rudimenta, singulæ artes sua tyrocinia, singuli status suas Probationes: *Ars Artium Regimen Animarum* (ut loquitur B. Gregorius in Pastorali par. 1. cap. I. & ex ipso Sacra Concilia) suas habere debet Probationes, sua Tyrocinia, sua rudimenta. Taliter suos Apostolos instituit Christus D: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Sic Paulus discipulum suum instituit, & ab ipso voluit alios institui: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* II. Tim. II. 2. Quod *sibi attenderent, & Doctrinæ, in illis instarent*, quâ ratione *& seipsos salvos facerent, & Auditores suos* I. Tim. IV.

Studia porrò ista unam esse ex primarijs Seminaristarum occupationibus, & res ipsa loquitur, & canones demonstrant. Juvenes enim in illis Seminarijs collocati sunt, *vt discant*, ait can. LIII. concilij Carthaginensis IV. *Indomo Ecclesiæ sub Episcopali Præsentiâ, à Præposito sibi erudiri debent*, ait can. I. Concilij Toletani II. *Magistrum disciplinæ habeant*, ait Concilium Toletanum IV. can. XXIII. Denique *oportet*, ait Concilium Cabilonense II. an. Dom. DCCCXIII. *Scholas constituere, in quibus & litteraria solertia disciplinæ, & Sacræ Scripturæ documenta discantur, & tales ibi eruditantur, quibus meritò dicatur à Domino*: vos estis sal terræ: *& qui condimentum plebibus esse valeant & quorum doctrinâ non solum diversis hæresibus, verum etiam Antichristi monitis, & ipsi Antichristo resistatur, ut meritò de illis in Laude Ecclesiæ dicatur*: Mille clipei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Hæc de Scholis Generalibus intelligenda sunt.

Cum difficulter inveniri possent tot Clerici, qui in singulis Seminarijs tradendæ divinarum scripturarum explicationi pro dignitate, pares essent, & laborem illum fastidij plenum subire vellent: adeoque pauci cum laude eo officio defungerentur: institui debuerunt in singulis regionibus generalia

ſtudia, tum omnibus Theologiæ ſtudioſis, tum ijs, qui alijs facultatibus operam dare cuperent, quæ ſtudia generalia, ob ſcientiarum in ijs traditarum diverſitatem, UNIVERSITATES dicta ſunt. Talis omnium, niſi fallor, antiquiſſima in Occidente, Eboracenſis ad Oxonienſem in Angliâ tranſlata poſtmodum, cujus alumnus, Alcuinus Flaccus, à Carolo M. vocatus in Galliam, Pariſienſem Univerſitatem fundavit. Ejuſdem Imperatoris Patrocinio duæ aliæ fundatæ ſunt, Patavina, & Ticinenſis. Quas tres ſcholas Concilium Pariſienſe an. Dom. DCCCXXIX. c. VII. petijt à Ludovico & Lothario Impp. conſervari: niſi dicamus eas collapſas, adeoque reparatione, aut novâ inſtitutione indiguiſſe. Hæc ſunt verbâ: *Vt ſchola publica, ſaltem in tribus Imperij locis erigantur, vt labor Patris veſtri, & veſter, per injuriam, quod abſit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto, & magna utilitas, & honor Sanctæ Dei Eccleſiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum; & memoria ſempiterna accreſcet.* Ex eâdem Pariſienſi univerſitate deſumpti, qui Bononienſem in Italiâ, Salmanticenſem in Hiſpaniâ, Colonienſem in Germaniâ, Lovanienſem in Belgio fundarunt. Sic antiquitùs licet varijs in locis Græciæ eſſent aliqua Muſarum diverſoria, tamen illarum ſedes, ac veluti domicilium, atque Templum Athenæ erant. Ad hęc generalia ſtudia jubet concilium Toletanum ſub Benedicto XII. *Clericos aptos & docibiles* deſtinari. Hoc alia concilia tam frequentèr commendant, ut hoſpes plane ſit in ijs, qui in ejuſmodi canones non incurrerit. Curarunt autem ſinguli propemodum Epiſcopi paulò opulentiores, atque gregis ſui ſolicitiores, domicilia Clericis ſuæ Diœceſeos recipiendis idonea in illis conſtrui: quos univerſitates libenter amplexæ ſunt: maximè omnium Pariſienſis, quæ totam Europam vel explicitè vel implicitè complexa eſt, conflatâ ex quatuor nationibus facultate Artium, maximo ſuo cum honore, tum emolumento.

Non tamen in ſolâ Juniorum Clericorum inſtructione conſumitur tota Facultatum Theologiæ, aut juris canonici induſtria. Enimverò ſi quod emergat dubium de propoſitione quâpiam ſpeculativâ, ſi cum fide conſiſtat? Aut de practicâ, an in talibus circumſtantijs lex talis obliget? Doctorum eſt ea dubia ſolvere: & tutâ conſcientiâ licet eorum opinionem ſequi, modo non conſtet erraſſe. Hæ porrò facultatum Theologicarum deciſiones *Scholaſtica*, quoad eos, qui de earum gremio non ſunt, dicuntur; non verò *Iuridica*, quia juriſdictionem non habent, niſi in ſua ſuppoſita. Hinc olim verè dictum: *Cenſuram Pariſienſem non tranſire ſequanam*: quia *ſequanâ* fluvio clauditur Univerſitas. Hinc tenentur qui de facultate aliquâ ſunt, ejus decreta ſequi: qui de eâ non ſunt, poſſunt ea ſequi, dummodo neutris conſtet erraſſe facultatem, decretum, ſive Reſponſum, ex odio, amore, invidiâ, &c. non prodiſſe, nec decreto majoris Auctoritatis adverſari.

Hinc non excuſantur coram Deo, qui damnatam à ſede Apoſtolicâ Janſenij doctrinam tuentur, etiamſi (quod mihi non conſtat) facultas aliqua

Theologica

Theologica illam approbaret. Quia major est auctoritas S. Sedis A. quidpiam definientis, quam cujuslibet facultatis Theologicæ. Peccat ergo facultas quælibet approbando doctrinam à Christi Vicario, Petri successore, Ecclesiæ capite damnatam. Peccant etiam qui relicto Pontifice, & Episcopis, (qui *positi sunt à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, quos qui audit, Deum audit, qui spernit, Deum spernit*) facultatem quantumuis claram, sequuntur.

Nec excusantur à peccato coram Deo, qui iteratis Diplomatis Pontificijs damnatum ab eâdem sanctâ sede captiosissimum juramentum Anglicanum tueri præsumunt, auctoritate alicujus, vel fortè aliquorum Doctorum Parisiensium. Quod enim jactitant aliqui totam facultatem Theologicam Parisiensem, aut totam Sorbonam, illud approbare, evidentèr falsum est : cum res illa nequidem proposita fuerit unquam in menstruis nobilissimæ facultatis congregationibus : multò minus rogatæ legitimè sententiæ, aut conditum decretum. Cum ergo hinc stet clarissima sententia successoris B. Petri, cui inædificatur Ecclesia, contra quam Portæ Inferi non prævalebunt : inde obscuræ quorundam Doctornm Parisiensium responsiones, qui vix audent nomina sua apertè profiteri ; quorum auctoritas nullo S. Scripturæ testimonio nititur, quis dubitat cui parti sit adhærendum ? Certè major est cujuslibet Episcopi aliquid decernentis auctoritas, quam totius Sorbonæ : cum Episcoporum auctoritas jure divino nitatur : Sorbonę auctoritas in Anglos, nequidem humano, seu Ecclesiastico, sive civili.

Non nego consultas aliquando sacras Facultates Theologicas, etiam à Summis Pontificibus ; sed & à Concilijs Generalibus. Agnosco Concilium Constantiense Facultates Theologicas Oxenienſem, & Parisiensem, in causâ Wicleffi, Tridentinum verò istam & Colonienſem, in causâ Lutheri, consuluisse. Non tamen propterea irrefragabilis est earum auctoritas. Consuluerunt enimverò eadem concilia, maximè Tridentinum. Theologos particulares, qui eidem intererant, qui propterea jus suffragij decisiui fortè nec deliberatiui in eo non habuerunt. Sic Reges peritos in quâque arte consulunt : quibus auditis, statuunt ipsi quod libuerit. Hujus luculentum exemplum habemus in decreto Innocentij X. contra quinque Jansenij Propositiones : consuluit ipse selectos ex varijs Ordinibus Theologos, eorum sententias expendit : Sed decretum edidit ab eorum scitis, haud parùm diversum, (si quę fides habenda sit vulgatis eorum suffragijs) quale scilicet Spiritus sanctus ferventissimis precibus, jejunijs, supplicationibus publicis exoratus, ei inspirauit. Hæc obiter de Vniversitatibus.

Ad promovenda amplius studia, Episcopis imperatum, ut in singulis Ecclesijs Cathedralibus Magistrum *Scholasticum* instituant, assignatâ ei rei primâ vacaturâ Præbendâ, ut videre est in Concilij Lateranensis sub Innocentio III. can. XI. & Tridentino Sess. XXII. cap. XVIII. de Reform.

Quantâ porrò solicitudine Regularium Congregationes Clericorum ;

ista

ſtudia promoveant, quamque laborent ſuos alumnos non in pietate tantum, verum etiam in doctrina eximios reddere, patet, exeo quod finito Tyrocinio (inquo jaciendis Religioſę vitæ fundamentis, ſolidæ Pietati, uni Deo vacant) eos ſtudiorum inire curricula jubent, & deſtinatum eis tempus ſtrenuè impendere. Et reſpondet labori fructus.

CAPUT XXXV.

Clericorum opera manualia.

EORVM tantum clericorum, aliorumque ſciolorum causâ quæſtionem iſtam inſtituo, qui cum feriari velint ipſi, (quaſi in ipſis ſolis non peccaſſet Adamus) manualibus operibus Religioſos univerſim omnes, etiam ſacris Ordinibus initiatos, mancipandos contendunt, tanquam ad ſtivam, ad ligonem vocati eſſent non ad Eccleſiaſtica miniſteria. De Religioſis, quid ſentiendum iſtâ in re alius fortè erit dicendi locus. De ſolis in præſenti clericis ago: & ex antiquis canonibus, & primitiuæ, puriſſimæque Eccleſiæ praxi deducere conabor, laborem manuum à ſtatu Clericorum haud alienum eſſe. Enimverò

Sententia & ex S. Scripturâ, & ex Concilijs & Patribus deducta Clericis commendat, aut etiam imperat laborem manualem, ex S. Scripturâ habemus Apoſtolorum Petri & Pauli exempla, de S. Petro refertur Joannis XXI. eum iviſſe piſcatum, varijs etiam Apoſtolis alijs comitatum: per totam noctem laboraſſe: ſequenti die Chriſtum Dominum in littore apparuiſſe, & adeo non improbaſſe laborem, ut laborantes direxerit. B. Petrus ergo cum varijs Apoſtolis laborauit. Chriſtus D. id in ijs approbauit. Gregorius homilia XXIV. in Evangelia idem approbat: *Piſcator*, inquit, *ante converſionem fuit, poſt converſionem ad piſcationem rediit.* Et addit ea negocia, quæ ſine peccato tranſigi poſſunt, poſt converſionem licitè repeti; ſecus de illis, *quæ ad peccatum implicant.* Cenſet ergo B. Gregorius M. non pugnare cum ſtatu Clericorum opera manualia, illa ſcilicet quæ citra peccatum exerceri poſſunt: idque exemplo Principis Apoſtolorum probat.

De B. Paulo hæc habentur Act. XVIII. *Inveniens quendam Iudæum nomine Aquidam & Priſcillam vxorem eius, ----- acceſſit ad eos; & quia ejuſdem erat Artis, manebat apud eos, & operabatur. Erant autem ſcenofactoriæ Artis.* Hæc ſacer textus. Unde conſtat 1. B. Apoſtolum noviſſe manuale artificium.

Conſtat 2. ſe adjunxiſſe peritis in illâ arte: idque, ut conſtat 3. non velut ocioſum ſpectatorem; ſed ut vna cum illis laboraret: *Manebat apud eos*, inquit, *& operabatur.* Deinde ipſe de ſe ait: I. Cor. 12. *Laboramus operantes manibus*

manibus noſtris. Et Act. XX. *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis; quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Hæc ſunt ejus verba ad Aſiæ Epiſcopos, cum ijs ultimum valediceret, eos amplius non viſurus: quo altiùs in eorum animos deſcenderent, tenacius inhærerent. Nec ad captandam integritatis gloriolam, & oſtendendum animum à turpi lucro alienum hoc facit; ſed ut ſuo exemplo eos ad ſimilem vivendi modum provocaret. *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.*

Idem II. Theſſalonic. III. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo; ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, nequem veſtrum gravaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed ut nos metipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Hæc Apoſtolus, quibus verbis & ſe laboraſſe teſtatur, & id feciſſe, ut exemplo ſuo laborandum eſſe doceret. Velle ſe ut nemo gratis panem manducaret; ſed quiſque aut laboraret, aut non ederet. *Operabatur* Prædicans, ait B. Chriſoſtomus: *Erubeſcamus nos, qui etiam abſque Prædicatione vivimus ociosè.* Hoc Apoſtoli exemplo ocioſos Monachos ad laborem excitat Auguſtinus lib. de opere Monachorum cap. XIX. Idem ad Clericos excitandos tantundem virium habet.

B. Hieronimus epiſt. ad Ruſticum cap. V. *Facito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum.* Et poſt pauca: *In deſiderijs eſt omnis Ocioſus.* quod citatur à concilio Aquisgranenſi c. XVI.

Non negamus huic Apoſtolo datam, æque ac alijs, à Chriſto D. poteſtatem *vivendi de Evangelio.* Jmò hanc illi, & omnibus omnino Clericis vindicabimus paulò poſt: ſed ſolùm contendimus laborem non interdictum Clericis, tanquam eſſet infra eorum dignitatem: quin potius è contra eum illis ab Apoſtolis commendatum exemplo, & verbo, tanquam res apprimè condecens illos; ut ocium vitent, carnis tentationes declinent, alijs minus ſint oneroſi, quietè vivant, &c.

Accedunt conciliorum Auctoritates; notiſſima Synodus Carthaginenſis IV. can. LI. *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.*

Et can. LII. *Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo vel agricultura, abſque officij ſui detrimento præparet.* Et ne cauſarentur eorum aliqui, *non meliùs, ſicut multi putant; ſed languidiùs educati* (verba ſunt Auguſtini libro ſæpe laudato de opere Monachorum, cap. XXI.) ſe laborare non poſſe, aut non didiciſſe: Additur

Can. LIII. *Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & litteras diſcant.* Celebratum eſt iſtud concilium an. CCCXCVIII. ei interfuit & ſubſcripſit Auguſtinus. Videantur quæ habet Baronius. ad illum annum

annum, & ad an. Dom. LII. ſicut etiam Epiphanius hæreſi LXXX. quæ eſt Meſſalianorum, item Bellarminus lib. II. de Monachis c. XXXXII.

Concilium Aquisgranenſe an. Dom. DCCCXVI. c. CXLV. hæc habet ad rem præſentem facientia: *Intra clauſtra poſiti* (de canonicis loquitur) *non ocio vacent; ſed aut divinis officijs, aut proprijs vtilitatibus, aut certè Magiſtrorum juſſionibus pareant: ne ocio torpentes ab Apoſtolo audiant: qui non volunt operari, nec manducent.* Nec quenquam turbet vox *Clauſtrum*, quaſi Religioſorum domicilium ſignificet. Enimverò in clauſtris vixiſſe canonicos omnes infra docebimus; & hic ſpeciatim *Clauſtrum* intelligi canonicorum Domicilium, ex toto concilio laudato manifeſtè patet.

Circa idem tempus Chrodegangus, vel Chrodegandus, Ep. Metenſis Regulam canonicis ſuis dedit, in cujus cap. IX. Hęc habet: *Ocioſitas inimica eſt anima: propterea decernimus, vt ad iuſſionem Epiſcopi, vel Archidiaconi, ſeu Primicerij, vel qui ab ipſis ordinantur, Clerus de Capitulo, ad opera, ubi ijs injungitur, exeant, cum bono animo abſque murmuratione obedientiam ſuam expleant: & quando communem operam non eſt neceſſe facere, poſtea unuſquiſque, quod opus habet, faciat.*

Eodem ferè tempore altera Regula canonicis data à quodam Anonimo, ex concilij Aquisgranenſis decretis, & Chrodegangi Regulâ Conſarcinata: cap. XIX. ait: *Surgentes à capitulo vadant, aut ſimul, aut ſeparatim, ad opus ſibi injunctum ----- cuſtodientes ſilentium ----- nihil aliud loquentes, niſi fortè de ipsâ arte neceße fuerit dicere, ------.*

Longè ante B. Fulgentius Ruſpenſis in Africâ Epiſcopus, (vt ait eius Diſcipulus, in ipſius vitâ 1. Januar. apud Bolandum) *ſummam diligentiam prabuit, ne quis Clericus ambitioſis veſtibus ornaretur, ac negocijs ſæcularibus occupatus, ab officio Eccleſiaſtico diutius vagaretur: jubens omnes non longè ab Eccleſiâ domus habere, manibus proprijs hortum colere, Pſallendique ſuavitèr aut pronunciandi curam maximam habere.*

Diſciplina iſta adjungendi divinæ legis ſtudio quodpiam exercitium manuale à Rabinis ad noſtros fluxit. Communis & receptiſſima erat inter eos lex, ut manuale artificium diſcerent, quo victum quærerent. Hinc R. Gamaliel in doctrinâ Fratrum, quæ inſcribitur *Haod*, id vehementèr commendat, affirmans qui id prætermiſerint, procliviores ad peccandum futuros. Nobiliſſimi Rabbini artes etiam Mechanicas exercuiſſe leguntur. v. c. R. Iochanna, ſutoriam: R. Juda, piſtoriam: alij alias. Videtur autem B. Paulus artem ſcenofactoriam, una cum ſacrâ lege ſecus pedes Gamalielis didiciſſe, quam deinde datâ occaſione exercuit. Barnabam ſimili peritiâ imbutum credimus: quia duos iſtos labore manuum ſibi neceſſaria procuraſſe legimus I. Cor. IX. 6. *An ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem non operandi?* Ita legit Auguſtinus, I. de opere Monachorum: quod græco textui conforme eſt: ἢ μόνος ἐγὼ, καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; Iſti quippe

quippe duo consuetudinem laudabilem, quam dedicerant juvenes, non deseruerunt senes: ut tempus diurnum mentalia inter exercitia, corporaliaque partirentur: ut studiorum tædium manualis labor discuteret, laboris fatigationem studiorum ociâ levarent: sic gratâ vicissitudine recreatus animus, nec ocio langueſceret, nec labore frangeretur. Hoc de alijs discipulis non legimus: quorum plerique minus fælicitèr educati, huic laborum vicissitudini non erant assueti, nec ejus commoda experientiâ propriâ didicerant.

CAPUT XXXVI.

Licuisse Clericis sine labore manuali vivere.

QUanquam B. Apostolus suo sibi labore victum vestitumque acquisierit, semetipsum formam alijs dederit, quam imitarentur: edixerit nec manducare debere, qui non laborarent; sed partum alieno sudore victum, ignavorum fucorum instar consumerent: non tamen sequitur ullâ lege divinâ teneri clericos ad Evangelium gratis dissiminandum, adeoque eos peccare, qui vel ultrò oblatis utuntur, vel ut necessaria sibi suppeditentur exigunt. Cum Christus D. Apostolos gratia miraculorum instructos ad prædicandam Evangelium mitteret, dixit illis: *gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo.* Simoniam excludit, cum miracula precio fieri vetat. Deinde minimè necessariam rerum temporalium solicitudinem amputat, necessaria tantum requirenda docet, quæ etiam labori deberentur, ultima periodus exegeticos latius exponitur à B. Lucâ: *In eadem,* inquit *domo*, in quâ scilicet Hospitium elegeritis, *manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede suâ,* victus debetur à Catechumenis viris Apostolicis, & ab his acceptari potest.

Licet autem Apostolus eo jure non fuerit usus; sed suo opificio se sustentarit, illud tamen jus sibi clarè asserit, *1. cor. IX. Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi*, quâ scilicet Christus discipulos suos instruxit. *Aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Sive, *non operandi*, ut est in Græco.

Hoc deinde varijs rationibus probat: Prima est à Pari, ut loquuntur sophistæ: *Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Secunda ratio est ex lege: *An Lex hoc non dicit?* inquit: *scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis boni trituranti: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe,*

Qui arat arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Tertia eſt: *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Quarta ratio: *ſi alij*, ſcilicet Apoſtoli, *Poteſtatis veſtra participes ſunt, quare non potiùs nos?* qui nimirum plus alijs laboravimus. *Sed non uſi ſumus hac poteſtate; ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.* Defuit igitur Apoſtolo voluntas, non defuit poteſtas, exigendi quæ ad vitam neceſſaria forent.

Additur & quinta ratio ex paritate Levitarum: *neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? Et qui altari deſerviunt, cum altari participant?* unde ſequitur ſexta, & omnium efficaciſſima ratio: *Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

His rationibus Apoſtoli petitis ex Jure Divino non ſcripto, ſive naturæ, antiquo, novoque, item exemplis ſacris & prophanis, & ipſius Chriſti D. mandato, patet licuiſſe cuilibet Evangelij Præconi, Altaris miniſtro, in vineâ laboranti, ſibi neceſſaria ab ijs deſumere ad quorum curandam ſalutem Deo cooperabatur. Ut quamvis Paulus eâ libertate uſus non fuerit, juſtiſſimas ob cauſas; vere tamen ei licebat, ſicut & alijs, de Evangelio vivere, de altari participare, de vineâ bibere, de lacte gregis veſci, lanâ veſtiri, ſtipendia recipere militiæ: manducare denique, quæ apponerentur, ubi hoſpitabatur.

Nec prorſus iners in Apoſtolo fuit ea Poteſtas, aut inutilis, quaſi nunquam redacta in actum, nullus fuiſſet ejus uſus. Enimverò licet non ſemper; aliquando tamen ultrò oblata à fidelibus dona non repudiavit. Teſtatur enim ipſemet à Philippenſibus ſe aliquid accepiſſe. Philip. IV. 15. *Scitis*, inquit, *quod in Principio Evangelij, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.* Philippenſes proinde Apoſtolo & præſenti dona dederunt, & abſenti ſubmiſerunt. Eundem Romam uſque donis proſecuti ſunt. Unde additur: *Graviſus ſum in Domino vehementèr, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire.* Et infrà: *Habeo autem omnia: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundum divitias ſuas, in gloriâ, in Chriſto Ieſu.* Quantâ illorum beneficentiam benevolentiâ, gratique animi ſignificatione compenſat!

Idipſum æquè clarè indicat II. cor. XI. 8. *Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium, ad miniſterium veſtrum; & cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt Fratres, qui venerunt ex Macedoniâ.* Videtur enim labor etiam aſſiduus, diſputationibus, peregrinationibus, concionibuſque interciſus; ad neceſſaria comparanda non ſufficiſſe: unde licet juſtas ob cauſas nihil à Corinthijs accipere vellet, aliunde

tamen

tamen, sed potissimùm Philippis transmissa honoraria non remisit, non repudiavit; sed sibi retinuit, in suum convertit usum, etiam dum Corinthi degeret quo Corinthijs minus esset gravis.

Non arbitror, ubi tam claræ sunt S. Scripturæ voces, tam aperta Sancti Spiritus oracula, tam expressum, appositumque Apostoli exemplum opus esse quicquam superadderem Ecclesiæ legis eam agnoscere potestatem, illi soli negare possunt, qui negant Ecclesiæ sanctitatem.

Sola difficultas superest, an ad ullos terminos restricta sit illa potestas, puta meræ necessitatis: An scilicet liceret Apostolis Apostolicisque viris aliquid vltra merè necessaria recipere? Christus D. Apostolos aliosque Discipulos suos *de Crastino anxios esse* vetuit, Mat. VI. 34. Permisit tamen, ut si quid præsenti diei superfluum ultrò offerretur, id in crastinum servaretur. Nunquam legimus repulsam passos, qui venditis bonis suis, eorum pretia, quantumlibet magna apud Apostolos deposuerunt, Actorum IV. & V. Licet ea ipso, quo offerebantur, die consuminon possent. Hinc licitè prisci Clerici ultroneâ Regum, divitumque donatione oblata latifundia acceptarunt, & ad posterorum usum servarunt: & contraria sententia error est Wicleffi, in Synodo Constantiensi damnatus.

CAPUT XXXVII.

De officio Ecclesiastico, Breviario præcipuè.

VArijs, planèque diversis libris continetur totum officium Ecclesiasticum; *Missali*, nempe, *Rituali*, *Pontificali*, & *Breviario*. *Missale* ritus continet offerendi novæ legis incruentum sacrificium. *Rituale* modum præscribit administrandi sacramenta, quæ à Parochis, alijsque sacerdotibus idoneâ ad id auctoritate instructis administrantur. Item varia sacramentalia, puerperæ benedictionem, mortuorum sepulturam, exorcismos varios, &c. *Pontificale*, Sacramenta & Sacramentalia Episcopalia conferendi ritum præscribit. Item qualiter Imperatores, Regesque inaugurantur, consecrantur Abbates, Abbatissæ, milites; Item benedictiones Ecclesiarum, Altarium, Vasorum, Vestiumque Sacrarum. *Breviarium* denique docet nos Dei Majestatem adorare, laudare Potentiam, misericordiam implorare, beneficia petere, pio acceptis gratias agere; Item ad piam vitam instituit divinarum scripturarum præceptis, Beatorum exemplis, monitisque. Dicitur *Breviarium*, vel quia prolixioris officij Ecclesiastici Epitome est, vel quia rerum in sacrâ scripturâ, in Beatorum gestis, in sanctorum Patrum scriptis, selectiorum quoddam voluti compendium est. De hoc præcipuè, aut etiam unicè agi-

mus in præsenti : tametsi quæ dicturi sumus, alijs etiam libris suo modo adaptari possint.

Ubi duo constant. 1. Interdictum esse cunctis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchisque, imò & Synodis quibuscunque particularibus, novum officium Divinum instituere, aut Romanum à Pio V. & Urbano VIII. recognitum mutare. Hoc patet ex Bullis, *Quod à nobis*, &, *Divinam*, quæ Breviarijs præfiguntur. *Abolemus*, inquit in priori Pius PP. V. *Quæcunque alia Breviaria, vel antiquiora, vel quocunque Privilegio munita*, exceptis ijs, quæ vel primò fuerunt ab Apostolicâ sede approbata, vel diuturno plusquam ducentorum annorum usu confirmata. ------ *Omni itaque alio usu quibuslibet interdicto, hoc nostrum Breviarium --- in omnibus universi orbis Ecclesijs præcipimus observari* &c. Idem repetitur ab Urbano PP VIII. in Bullâ *Divinam*.

2. Nullam legem aut Divinam, aut Ecclesiasticam Pio V. antiquiorem prohibuisse, quominus Diversorum Locorum Episcopi Officium pro Ecclesiasticis ipsorum ditioni subjectis concinnarent. Non tamen, quod ab initio non potuerint summi Pontificis sibi Officiorum dispositionem reservare, sed quod noluerint uti eâ potestate. Patet quod dicimus, 1. Quia legis ejusmodi nulla vspiam fit mentio. 2. Quia decretum à S. Rituum Congregatione factum, & vna cum Breviarijs impressum, prohibitionem illam à solâ Pij PP. V. Bullâ repetit. *Sacra Ritnum Congregatio*, inquit, *declaravit & decrevit, non potuisse post Bullam Pij V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, ---- addere Calendarijs &c.* Censet ergo ante Decretum illud potuisse locorum Ordinarios ea facere. 3. Quia testatur eadem Pij V. Bulla non solum à Francisco Quignonio S. R. E. Cardinali, verùm etiam à singulis Episcopis pro suis Diœcesibus Breviaria confecta fuisse. Quod licet de cætero fieri vetet, ad vitandam in publicis Ecclesiæ Precibus difformitatem, & ipsa Breviaria, nisi ducentorum annorum usu confirmata, prohibeat; tamen illicitè factum fuisse, ante decretum illud suum, nunquam declarat. Hęc sufficere videntur ad faciendam fidem, ijs qui contrariâ opinione prœoccupati non sunt : eadem tamen fusiùs ostendentur, ut Veritas non paucis, alioqui doctis, Recentioribus ignota, illis etiam innotescat.

Dicendum videtur 1. Ecclesiam Romanam ex aliarum Ecclesiarum officijs Ecclesiasticis suum auxisse, atque locupletasse. Enimverò Festa Conceptionis B. V. Deiparæ, habuit ex Angliâ, Rogationum ex Ecclesiâ Viennensi in Galliâ, Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ex Cisterciensi B. Odillonis Abbatis familiâ, Venerabilis Eucharistię ex Ecclesiâ Collegiatâ B. Martini Leodii : & ex eâdem Ecclesiâ Leodiensi Officium de Beatâ in Sabbatho ; quamvis non desint, qui hoc à B. Petro Damiani profectum arbitrantur. Usus canendi Symbolum vel Nicænum, vel C. P. in Lyturgijs, ex Ecclesijs Hispanicis, quæ illud exemplo Ecclesiarum Orientalium, ad Peti-

ad Petitionem Reccaredi Regis admiſerant, ut habetur in Concilio Toletano III. can. II. Imò qui dixerit aliqua ex Gentilium cultu in uſum Eccleſiæ tradu&ta fuiſſe, Authorem habebit omni exceptione, imò & laude majorem, Purpuratum Annalium Parentem ad annos Domini XXXXIV. & LVIII. quod confirmari poteſt ex Gregorio Niſſeno in Vitâ B. Gregorij Thaumaturgi, B. Auguſtino epiſt. ad Januarium, CXVIII. & ex Alijs, qui de ritibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt.

Unde colligitur quantum diſtet inter ſpiritum Calviniſticum, qui Recentiores hæreticos animat, & Spiritum ſanctum, quo Priſci Patres S. S. A. Præſides regebantur. Hic docuit cultum uudecunque acceptis bonis ritibus locupletare; ille omnem ferè cultum abijcere: Hic etiam in malis perſonis, quod bonum erat agnoſcebat; ille etiam bona in Perſonis minus gratis damnat: hic omnibus omnia fiebat, ut omnes ſibi conciliaret; ille nihil imitari vult, ut omnes abigat: hic ſpiritus eſt concordiæ; ille ſpiritus contradictionis: Pacem, unionem, amicitiam ſpirat iſte; ille diſcordiam, diſſenſiones, Schiſmata ſerit. Jſte verò certiſſimè eſt ipſe Spiritus ſanctus: quis ergo eſt ſpiritus Calviniſticus?

Dicendum videtur 2. Aliquarum, potiſſimùm Orientalium, Eccleſiarum Officia Eccleſiaſtica prius concinnata fuiſſe quam Romanum. Hoc enim *conſtitutum fuiſſe præſertim à Gelaſio, & Gregorio primis*, teſtis eſt Pius PP. V. in Bullâ, *Quod à nobis*, ſuprâ laudatâ: quorum prior exeunte ſæculo V. vixit poſterior ſæculum etiam VII. vidit: quare Officium Romanum non fuit omnibus numeris perfectum, ante ſæculum VI. aut etiam VII. At verò longè antiquiora ſunt Orientalium Eccleſiarum Officia. Enimverò ex Concilij Laodicenſis canonibus XVII. & XVIII. patet jam tum (ſcilicet an. Dom. CCCXX. vel CCCXXI.) in Phrigiâ Pacatianâ compoſitum fuiſſe divinum Officium: præſcribitur enim modus quo recitari debebat. Unde conſtat antea extitiſſe. Deinde B. Baſilius in Regulis fuſius diſputatis reſp. XXXVII. adeo clarè recenſet ſingulas horas, in quas Officium Eccleſiaſticum dividitur, (exceptis duntaxat laudibus) vt ſubinde dubitarim an interpolatum fuerit illud opus. Quare ſæculo IV. Cappadoces Clerici officium jam conſtitutum habebant. Idem de Eccleſijs Africanis, colligitur ex Synodo tertiâ Carthaginenſi, quæ can. XXIII. prohibet quicquam Eccleſiaſticis Officijs addi, quod non eſſet ab *Inſtructioribus Fratribus* approbatum. Et can. XXXXVII. vetat quidquam ſub *nomine divinarum ſcripturarum in Eccleſiâ legi, præter Scripturas Canonicas*. Ex quibus Patet 1. Africanas Eccleſias jam tum habuiſſe conſtitutum Officium. Patet 2. Illud Officium fuiſſe ab Epiſcopis Africanis compoſitum.

Patet 3. nihil privatâ devotione ſuperaddi potuiſſe, non ſolum à Laicis; verum etiam à Sacerdotibus, ſine Inſtructiorum Fratrum, ſive Epiſcoporum Doctiorum, atque Pientiorum, approbatione: quos ad id ipſum à Sanctâ Synodo illâ nominatos fuiſſe credo, tametſi nomina non extent. Et

Synodus

Et Synodus Laodicena A. CCCXX. celebrata, Can. LIX. jubet solos libros Canonicos legi in Ecclesiâ: & vetat Psalmos ab Idiotis (Laicos intelligo) compositos. Videant Novitatum avidi Angli, quâ ratione cum istis Canonibus conciliare poterunt studium suum singulare, ne quid gravius dicam, quo conflatum à Laico linguâ vernaculâ officium suis Discipulis ita commendant, vt eos ab vsu officiorum B. Deiparæ, Sanctorumquè aliorum, illo etiam quod pro Defunctis dicitur avertant: Rejectis Psalmis Pœnitentialibus, Lytanijs B. V. atquè vt dicitur, omnium Sanctorum, quatenus illos oramus, vt pro nobis orent. Officium quidem pro defunctis habet, sed à publico longè diversum, vt potè quod ad medium Animarum statum ab Albio excogitatum adaptat: qui quantum à Purgatorio quod reliqui Fideles, ejus veneno intacti credunt, diversum sit, norunt qui librum Albij legerunt; *De medio Animarum statu.* Hoc quidem, quo gratiores essent Albij Sectatoribus illæ preces: & vitatæ Sanctorum invocationes, ne quid esset teneras Protestantium aures offendens: an satis probabili studio, viderint alij. Mihi satis esse videntur laudati Canones, Laodicenus, & Africanus. Si enim ex ijs illicitum est quidpiam officio superaddere, aut ejus vllam partem mutare, privato studio, quid erit totum abijcere, ab Ecclesiâ commendatum, vt locus fiat alteri à solo Laico composito, nullâ legitimâ autoritate, nullâ idoneâ commmendatione munito.

Authoris vita libro præfigitur, omisso nomine, quæ sicuti Lesbia Regula quibus libet rebus, ita illa quibuslibet ferè personis aptari potest. A pietate laudatur, de quâ nullam illi vnquam litem mouebo: solum observo duobus indicijs illam niti, valdè infidis: Alterum, quod in Galliâ, alibiquè peregrinatus fuerit: quod quam infirmum sit ad probandam Sanctitatem argumentum, norunt illi, qui in pio de *Imitatione Christi* libello legerunt: *qui multum peregrinantur, rarò sanctificantur.* Aliud verò, quod morti vicinus dixerit: *malle se mori, quam noctem præcedenti similem pati.* Quę verba potius Lutheri Discipulum, futuræ Beatitatis solâ in Christum fide securum sonant, quam verum Christianum Christo cruci confixum, de Salute suâ pavidum, de se nihil præsumentem: qui novit Gloriæ Coronam & gratis dari, & hujus vitæ meritis reddi: qui meminit quod *momentaneum, & leve est tribulationis, immensum Gloriæ pondus operari*: qui scit *Virtutem in Infirmitate perfici.* Hinc vnus Pater: *Hic verè, hic seca, vt in æternum parcas.* Alter: *Auge Domine pœnitentiam, auge & dolorem. &c.* Cum ergo constet istas voces à Spiritu Sancto manasse, veram & piam Christiani dispositionem exprimere, dum morbi vim, velut Dei donum intuetur, dolorum acerbitatem velut saluberrimam medicinam acceptat, dum totum se Paternæ Dei Providentiæ permittit, & ejus voluntati suam submittit simpliciter, num censebitur Sanctus, idquè eximiè, ille quisquis fuerit ob dispositiones prorsus contrarias? sed hæc obiter, occasione Canonum Ecclesiæ

Ecclesiæ Antiquæ dicta sint. Redeo ad rem nostram.

Dicendum 3. diiam quando concinnatum fuit Officium Romanum, non ideo ablata statim alijs Ecclesijs libertas vel illud amplectendi, vel aliud instituendi. Agnosco jus ad imponendum tale Officium; sed contendo non vsos fuisse juro illo summos Pontifices. Quod innuunt S. R. E. Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum, dum obligationem vtendi Officio Romano, à Pij V. Bullâ deducunt. Imo adeo Officium Romanum non imposuerunt Ecclesijs aliud habentibus, vt nec Anglicanæ recens ad fidem conversę nullum habenti, illud imposuerint. Singularis ad hoc probandum est Responsio B. Gregorij ad III. interrogationem Augustini; *Mihi placet*, inquit *vt sive in Sanctâ Romanâ, sive in Gallicanâ, sive in qualibet Ecclesiâ aliquid inveniſti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, solicite eligas, & in Anglorum Ecclesiâ, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipuâ infundas. Non enim pro locis res; sed pro rebus bonis loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige: & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes, in consuetudinem depone.* Responsio ista melius intelligitur, intellectâ quæstione, quæ talis est: *Cur cum vna sit Fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ? & altera consuetudo Missarum est in Romanâ Ecclesiâ, atque altera in Galliarum Ecclesijs tenetur.* Hæc Augustinus. Quæstio proinde solum est de Diversitate Consuetudinum in Sacris Missæ Sacrificijs offerendis. Eadem porro ratio erat de Breviarijs, in quibus similis erat diversitas ob eandem rationem, quia quęque Ecclesia suum ordinabat: Licet ea minus observaretur à transeuntibus, quia minori cum solemnitate recitabatur: nec ita rigidè imperabatur cunctis, Officij recitationi interesse.

Par diversitas vbivis locorum observabilis non ita pridem eâdem evidentiâ probat singulas Ecclesias talem habuisse potestatem in Officia sua Ecclesiastica. Quanta inter Græcorum Euchologion, & Occidentalis Ecclesię Officia diversitas? quam differunt Gallica, ab Hispanis, vtraque ab Anglicis? notissima fuerunt *Mazarabicum* in Hispaniâ, & quod *ad vsum Sarum* dictum est in Angliâ. Hoc à B. Osmundo Salisburiensi Episcopo compositum, ad Religionis vsquè Reformationem floruit in Angliâ, quando Clerus Anglicanus in exteris Regionibus educatus, vbi Romanum erat in vsu hoc retinuit, aliud intercidere passus est. *Mozarabicum* à B. Isidoro Hispalensi jussu Concilij Tolerani IV. compositum est pro Hispanis sub Arabum ditione constitutis, qui *Mixtarabes* dicti, vt ab ijs distinguerentur, qui Cantabriæ Montibus libertatem suam servarunt repulso Maurorum jugo. Hujus examen à Joanne PP. X. an. Dom. DCCCCXVIII. commissum est Joannello ejus Legato: qui illud in statu, quo prius reliquit, cum nihil in eo reprehensione dignum occurrisset. Verum in Arragoniâ à Sancio R. ejus nominis IV. *Romanus Ordo*, abrogato *Mozarabico* Ecclesiasticis Arragonibus injunctus est. Et Gregorius PP. VII. litteris ad Alphonsum, &

alterum

alterum Sancium Reges datis illud ex Caſtellæ Regum ditionibus ejici curavit, vt ait Baronius ad an Dom. M LXXIV. non deſunt tamen in Hiſpaniâ Eccleſiæ Lyturgiâ Mozarabicâ etiamnum vtentes.

Dices: hoc Gregorij VII. Decretum eſt longè antiquius Pio V. Ergo Officium Eccleſiaſticum Romanum longè ante Papæ Pij V. tempora injunctum fuit. Reſpondeo Decretum illud Gregorij VII. non eſt datum omnibus omnino Eccleſijs; ſed ſolis Hiſpanicis. Vnde aliæ Eccleſiæ plenâ libertate de Officijs ſujs diſpoſuerunt, etiam poſt Gregorij VII. tempora. Synodus enim Senonenſis, an. Dom. MDXXVIII. Cap. XXI. de Refor. hæc habet. *Diaceſani ſtatim poſt diſſolutum Concilium, diligenter viſitabunt Breviaria. ------ Et qua deprehenderint in illis ſuperflua, aut non ſatis pro Eccleſiæ Dignitate convenientia, ipſi continuo tollent, & reſecabunt, & qua viderint neceſſaria adjicient.* Hæc illa Synodus: & ſimilia paſſim habentur in alijs Synodis Germanicis illius Sæculi XVI.

Vbi nota Decretum illud Gregorianum confirmare quod diximus, ſummum ſcilicet Pontificem habuiſſe poteſtatem injungendi alijs Eccleſijs Breviarium, quando ei in Domino placuiſſet. Dicit quidem ſuum Decretum niti Decretis Synodorum Hiſpanicarum. (ſcilicet Braccarenſis I. can. IV. vbi hæc habentur: *Placuit vt eodem ordine Miſſa celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum*: tamen illud Concilium nunquam vſu confirmatum fuiſſe, patet ex eo quod paulò poſt Concilium Toletanum IV. à Can. IX. vſquè ad XVII. incluſivè, varia decernit circa Officia Eccleſiaſtica, quæ nunquam decernere opus fuiſſet, aut potuiſſet, ſi Ordo Romanus Româ allatus vbiquè per Hiſpanias obtinuiſſet.

CAPUT XXXVIII.

Breviarium Monachorum.

OFficij, quod in Oriente canebatur, ratio, clariſſimè traditur à Caſſiano lib. I. de Inſtit. Renuncian. cujus Capite I. refert nullam ſtatam formam, nullum Pſalmorum numerum intio præfixum fuiſſe. *Multos comperimus, ait, per alias Regiones pro mentis ſuæ capacitate ----- ſuper hac re diverſos Typos, ac Regulas ſibimet conſtituiſſe. Quidam enim vicenos Pſalmos, & hos ipſos Antiphonarum protelatos melodiis, & adjunctione quarumdam modulationum debere dici ſingulis noctibus cenſuerunt: alij hunc modum etiam excedere tentaverunt: nonnulli novem, atque in hunc modum diverſis in locis, diverſum Canonem agnovimus inſtitutum, totque propemodum Typos, ac Regulas vidimus*

vſurpata

ſurpata, quot etiam monaſteria, cellaſque conſpeximus. (Ex quibus evidens eſt nullam ſtatam orandi formam, publicâ Eccleſiæ lege præſcriptam fuiſſe: imò nec Regulâ Monaſticâ.) *Sunt quibus in ipſis diurnis orationum officijs, id eſt tertiâ, ſextâ, nonâque id viſum eſt, ut ſecundùm horarum modum, in quibus hæc Domino redduntur obſequia, Pſalmorum etiam & Orationum numerum putarent coaquandum, nonnullis placuit ſenarium numerum ſingulis conventibus deputari.*

Tanta diverſitas in re tam piâ confuſionem pariebat. Deinde & incommodum erat, & indecorum rem tam ſanctam cujuſlibet arbitrio permitti. Inde enim accidebat, ut alij ex indiſcreto zelo, & imprudenti fervore nimium, alij ex tepiditate nimis parum interponerent. Hinc ſequenti capite, nempe III. Refert in ſtatam orandi formam conſenſiſſe monachos per Ægyptum omnes; qui Abbatem huic rei invigilaturum cuique monaſterio præfici curarunt. Deinde cap. IV. proſequitur: *Per univerſam Ægyptum & Thebaidem duodenarius Pſalmorum numerus tam veſpertinis, quam in nocturnis ſolemnitatibus cuſtoditur, ita dumtaxat, ut poſt hunc numerum duæ lectiones, veteris ſcilicet, & Novi Teſtamenti ſingulæ ſubſequantur. Qui modus antiquitus conſtitutus idcircò per tot ſæcula penes cuncta illarum Provinciarum monaſteria intemeratus nunc uſque perdurat, quia non humanâ adinventione ſtatutus à ſenioribus affirmatur; ſed cælitus Angeli magiſterio Patribus fuiſſe delectus.*

Deinde c. V. refert conveniſſe Patres, ſive Seniores Monachos, vigente adhuc Chriſtianiſmi fervore, deliberatum de menſurâ Precum atque Pſalmorum, cum alij pro ſuâ Virtute & Devotione triginta Pſalmos cantari vellent, alij quinquaginta, alij adhuc plures, accedente Veſperarum tempore, vnus ſurrexit Pſalmos cantaturus, reliquis, vt mox erat, ſedentibus, & audientibus: Quicum duodecim Pſalmos abſolviſſet, & poſt vltimum adjeciſſet *Alleluia*, repentè ex omnium oculis evanuit. Vnde creditum eſt Angelum fuiſſe, divinitus miſſum, qui litem propoſitam dirimeret. Quare numerus ille duodenarius inter Egyptios Monachos in Officio Divino ſacer habitus eſt. Idem in Breviario Romano numerus duodenarius retinetur in diebus Ferialibus ad Matutinum: quamquam qui Officium illud concinnarunt vnum in diſponendis Pſalmis præ oculis habuiſſe videntur, vt integrum Pſalterium qualibet hebdomade cantaretur.

Holſtenius in Codice Regularium, P. Le Cointe in Annalibus Francorum, alijque ſummatim Priſcorum vbique Monachorum, Monialiumque vivendi ritum exponunt. Quę ad Officia Eccleſiaſtica ſpectant, & huc facere videntur, ex ijs decerpam.

B. Cæſarius ex Monacholirinenſi factus Arelatenſis Epiſcopus, & Viris, & Fæminis Religioſam Vitam Profeſſis Regulam dedit. In eâ, quæ Virorum eſt, Divini ordinem Officij præſcribit varijs Anni temporibus accomodatum. In Vigilijs dierum Dominicarum, ſex *Miſſas* (Lectiones intellige) fieri jubet:

& primam quidem de Christi Resurrectione, quam stantes Monachi audiant. A Mense Octobri ad Pascha duos singulis diebus Nocturnos, & tres Missas sive Lectiones indicit, ita recitandas, *vt ab vnâ Missâ, ad aliam, legat Frater folia tria, & Orate. Legat alia tria, & levet se.* Quâ sanctione tria præcipiuntur: vt Lector sedens legat: vt in fine cujusque Lectionis adhibeatur Oratio, sive Meditatio, cui finem imponebat Præses, jubens iterum legi: & vt in fine levarent se, id est surgerent.

Natalis refert B. Aurelianum Arelatensem Episcopum Monachis ibi constitutis Regulam dedisse, quâ accurratè & prolixè Officij seriem per totum annum præscribit: sed qualis ea esset non refert.

B. Ferreolus Vtecienſis Episcopus Monasterio Ferreolacensi à se sic dicto jussit, vt singulis hebdomadis Psalterium integrum ordine recitarent: Officium Divinum diebus festivis in Ecclesiâ, alijs in Oratorio secreto persolverent. Neminem ad Monasterium Litterarum rudem admitti voluit, aut qui non Psalterium memoriter teneret, quod voluit ab ijs etiam recitari, qui ad pascenda pecora destinarentur.

B. Columbanus quo longiores essent noctes, Monachis suis majorem Psalmorum numerum injunxit. In Hieme, noctibus Dominicæ, & Sabbathi ad Vigilias, & Matutinum consequenter Psalmos septuaginta quinque recitari voluit. Reliquis diebus mediâ nocte duodecim Psalmos, deinde ad Matutinum sive Laudes, viginti quatuor.

B. Benedictus sancivit etiam à suis Monachis salterium integrum singulis hebdomadis absolvi.

Denique B. Fructuosus Abbas Complutensis ad Episcopatum Bracarensem à Concilio toletano X. promotus, circa Divinum Officium ista statuit: Ante mediam noctem Psalmos duodecim per Choros recitent. Deinde parum pausantes mediæ noctis persolvant Officium: in quo Responsoria quatuor ternorum Psalmorum divisione canantur. Post mediam noctem in Hieme sedentibus alijs vnum in medio legere jubet, & Abbatem vel Præpositum lecta simplicioribus exponere. (Quæ Lectio Æstivo tempore, eodem ritu fiebat post Vesperas.) Deinde duodecim Psalmis recitatis, in Cubiculum quisque suum redibat. Post brevem quietem, recitatis tribus Psalmis, cum Laude & Benedictione suâ Matutinum Sacrificium celebrabant. Matutinis Laudibus persolutis ad consuetum Meditationis locum pergebant: vbi Psalmis tribus recitatis, & Oratione finitâ meditentur ad ortum Solis. Sabbathorum & Dominicarum nocturnis Officijs sex Missas, (Lectiones) adjici voluit sicut etiam in Vigilijs. Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam, privatas Orationes præmittendas, tres nimirum Psalmos recitandos. Primam noctis horam sex Orationibus celebrandam, ac deinde decem Psalmorum concentu in Ecclesiâ consummandam. Tum Fratres sibi mutuò valedicere, &c.

Ubi

Ubi clariſſimè Horas omnes, quę etiamnum in vſu ſunt in Eccleſiâ explicat: licet inter Matutinum (quod nocturnum Officium vocat) & Laudes Matutinas majorem differentiam aſſignet, quam nos ſtatuamus: quandoquidem non duæ horæ apud nos; ſed vna cenſetur, licet in Vigiliâ Nativitatis interjecto mediæ noctis Sacro ab invicem divellantur.

Ex his & multò pluribus id genus quæ paſſim occurrunt patet I. Ordinandi Officij Divini curam cujuſque Monaſterij Fundatori relictam fuiſſe. Nec vllus vnquam Epiſcopus aut alius quiſpiam de injuriâ ſibi factâ conqueſtus eſt, quaſi illi Monachorum Jnſtitutores rem alieni juris invaſiſſent.

Patet 2. vocem *Miſſa* ſignificaſſe tum temporis quamcumqnè Lectionem Sacræ Scripturæ, in ſinaxi factam, ſivè ex veteri, ſivè ex novo Teſtamento fieret. Quod non credo extra Gallias & Hiſpanias factum.

Patet 3. Vnde ortæ fuerint *Homiliæ*: ſi quidem illæ familiares Sacræ Scripturæ expoſitiones cuique Miſſæ, ſivè Lectioni ſubjectæ vocabantur *Homilliæ*. Ex quibus illę quę Romani Breviarij Concinnatoribus Illuſtriores viſæ ſunt, & ad mores formandos aptiores, in Sacri Evangelij Capita Breviarijs inſerta, etiam retento Homiliæ nomine, ijſdem in Breviarijs adjectæ ſunt. Alię vero Lectiones, quæ in ſecundo Nocturno Dominicarum ponuntur expoſitionem continent vel eorum, quæ in primo Nocturno lecta ſunt: vel Sacri temporis rationem tradunt.

Lectiones adhibitæ in ſecundo Nocturno quando de Sancto quopiam fit Officium, deſumuntur ex eorum Actis plerumque, aliquando ex ſermone cuiuſpiam Sancti de ijs habito. Nota tamen, quod Gelaſij tempore in Eccleſiæ Romanæ Officio nihil ex Actis Martyrum legebatur; contra morem vbique præterea obtinentem. Cujus rei rationem ipſemet reddit. Curioſus Lector illum adire non gravabitur.

CAPUT XXXIX.

Aliqua de Leiturgijs.

QUalis eſt naturæ in ſuis operibus progreſſio, vt à minimis incipiat, & rem, quam inſtituit primò parvam deſignet, tum paulatim augere, ornare, perficere pergit donec ad debitum ei ſtatum perducat: talis eſt etiam rationis in ſuis, vt primum rem artificioſam à ſe intentam in Idæâ delineet: Hanc deindè parvam edat, additione augeat, mutatione poliat, donec Ideæ conceptæ reſpondeat, aut etiam ſi fieri poteſt melior evadat. Sic Oratores deſignatam à ſe Orationem vnico Syllogiſmo perbrevi initio

comprehendunt, cujus deinde ſingulaspartes novâ adjectâ materiâ augent, Rationibus firmant, exemplis illuſtrant, Tropis ornant, voces ſingulas poliunt, atque concinnant, vt licet re ipsâ eadem ſit oratio, ſic aucta, cum primo illo Syllogiſmo; tamen alia eſſe ferè videatur, nec magis in eâ dignoſci poſſint prima illius elementa, & ab adjectis ſecerni, quam in homine adulto primigeneæ partes ab acquiſitis per nutritionem diſtingui, & manu deſignari.

Simile quid in Liturgijs conficiendis accidiſſe pro certo habemus, (Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. id expreſsè confirmat de Liturgia B. Jacobi) earum ſcilicet primordia parua fuiſſe, quæ deinceps aucta fuerint, plurium ſtudio ad eas ornandas concurrente, donec ad ſtatum excreſcerent, Eccleſiarum vſui aptè convenientem. Unde conſtare vix poteſt quænam illarum partes fuerint ab initio, & ſemper perſeverarint; niſi quod certum eſt, eas omnes ſemper, & vbique in Paſſionis Chriſti Domini memoriam factas eſſe, fuiſſeque incruentam Sacrificij in Cruce oblati repræſentationem. Semper itaque fuit in earum quâlibet Panis & Vini Conſecratio: eorumque diſtributio. Item Beatorum in Cœlo invocatio, fidelium Defunctorum Commemoratio, Sacrificiorum antiquorum mentio. Et verò quæcunque extant antiquæ Leiturgiæ, quantumvis in alijs differant, in his conveniunt.

Cenſet Gavantus Comment. In Rubricas Miſſalis par. II. tit. X. Non alias habuiſſe partes Lyturgiam Apoſtolorum, quam *Conſecrationem*, & *Orationem Dominicam*, Jdque videtur hauſiſſe ex B. Gregorio lib. VII. Epiſt. LXIII. vbi nec verbum habet huc faciens; ſed alia LXIV. rationem reddens earum mutationum, quæ factæ fuerant in Leiturgiâ Romanâ, dum *Conſuetudines aut veteres repararet, aut novas, & vtiles conſtitueret*, hoc eſt ritus Sacros concinnaret, ait: *Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, vt ad ipſam ſolummodo Orationem Oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde inconveniens mihi viſum eſt, vt precem, quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem taceremus.* Hæc B. Gregorius. Quæſtio erat cur Oratio Dominica præſcriberetur, ſingulis diebus dicenda. Hanc nonniſi die Dominico recitari ab aliquibus in Hiſpaniâ, ſcimus ex Concilio Toletano IV. can. IX. ſed decreuit B. Gregorius (& poſt eum Concilium iſtud) eam ſingulis diebus recitandam, quia Apoſtoli illam à Chriſto D. didiciſſent, & *ad eam ſolummodo*, ſive non ſine eâ, conſecraſſent. Hoc ſolùm dicit: & id ſolum eius inſtituto favebat: quod enim alias preces vel adderent Apoſtoli, vel non adderent, perinde ipſi erat, Adeoque nec aſſerit, neque negat, alias preces adhibitas fuiſſe.

Quod ad Authores Lyturgiarum ſpectat, conſtat maximè propriam, atque eſſentialem earum partem à Chriſto D. in vltimâ cæna determinatam fuiſſe, cum divinum illud ſacrificium inſtituit: plura poſt reſurrectionem ab eodem conſtituta credo, dum per dies quadraginta diſcipulis apparuit, & de regno

regno Dei locutus est.

Hæc ab Apostolis obſervata nefas est dubitare. Et eaſdem illas partes eſſentiales in omnibus Lyturgijs tum Græcis, tum Latinis obſervare eſt. Jdem de eſſentijs reliquorum Sacramentorum ſentio, in quibus vniverſæ Eccleſiæ concordes fuerunt. Sed peculiares ritus, (ſive ceremoniæ) Epiſcoporum arbitrio permiſſi ſunt, ut pro cujuſque gentis genio, ſibi ſuos quique formarent quod inſinuare videtur pro ceremonijs Lyturgicis Apoſtolus, 1. Cor. XI. *Cætera cum venero diſponam.* Confirmant quod aſſero Lyturgiæ diverſæ tum modernæ, tum maximè antiquæ, v. c. quę B. Petri, Jacobi, Marci, &c. dictæ ſunt; ſive genuinæ ſint, ſive Pſeudo epigraphę: quatenus Eccleſia earum Authoribus violati, aut invaſi juris divini, nunquam dicam impegit. Cenſuit ergo eos nihil tentaſſe ipſis illicitum. Hinc Conc. Carthag. IV. vetat quicquam ſuperaddi in conſultis *Inſtructioribus Fratribus*, quaſi diceret, id ijs conſultis, & conſentientibus licuiſſe. Enimverò connaturale videtur, vt qui legatione funguntur, modum diſponant ſua negocia proponendi, intra limites à Deo præſcriptos. Sunt autem Epiſcopi legati ad Deum à Plebe, vt vidimus c. VII.

Licet autem omnes, & ſinguli Epiſcopi (ante decretum Pij PP. V.) poteſtatem habuerint Lyturgiam ordinandi, non omnes tamen eâ uſi ſunt. Difficillima eſt illa Provincia, & verè *magna*, imo maximæ, *mentis opus*: quod non ſolum Doctrinam vberem; ſed & Pietatem eximiam requirit, quam verbis exprimat, & geſtibus, ad ſimiles in audientium animis affectus pios excitandos. Tales Baſilius, & Chriſoſtomus in Oriente; Iſidorus in Hiſpaniâ, & Author Liturgiæ *ad vſum ſarum*. Hinc non rarò majores Eccleſiæ à minoribus varia mutuò acceperunt, quæ Lyturgijs deinde ſuis inſeruerunt, aliquando etiam Lyturgias integras, ſalvâ Metropolitæ dignitate. Sic Cantuarienſis Eccleſia à Sarisburienſi; Toletana ab Hiſpalenſi Lyturgias integras acceperunt: & Eccleſia Romana omnium Mater ac Magiſtra, ex variarum Eccleſiarum Lyturgiis flores cælo gratiſſimos decerpſit, ex ijſque ſertum compoſuit, quod per Pium V. omnibus Eccleſijs commendavit. Quia verò non tantę molis eſt inventis pijs pium quidpium addere, quam totum invenire, ideò plures inventi, qui Lyturgias ſacras, additione, diminutione, mutatione variarent, quam qui novas componerent: licet vtrumque ſolis Epiſcopis permitteretur, eſſetque paris auctoritatis opus. Hinc vix invenitur Lyturgia (quantævis eſſet auctoritatis illius concinnator) talis, qualem iſte reliquit. Privata Pietas ſucceſſoris, publica gregis aut neceſſitas, aut vtilitas, aliquid addi poſtulat. Si in bona temporalia ſæviant bella, ſi Fidei, Pietative inſidietur Hęreſis, ſi corpora vaſtet Peſtis, novis malis nova remedia quærunt, ope divinâ precibus nuper compoſitis imploratâ. Hoc donec cuique Epiſcopo permiſſum aliquid in Lyturgiâ novare, quod vitari vix poterat: Jam illis omnibus penitus eſt interdictum, vt vidimus.

Dices

Dices: non manere eandem Lyturgiam, vbi multas ſubijt mutationes. Reſp: mutationem illam in Accidentalibus tantum verſari, adeoque non mutare identitatem in ſubſtantiâ. Sic idem Homo olim parvus, nunc magnus, jam candidis, jam pullis veſtibus induitur. Eadem oratio etiamſi mutentur aliquę periodi: eadem Baſilica, licet nova in eâ erigantur altaria, aperiantur feneſtræ, fodiantur portæ, appendantur Jmagines.

Aliter ſenſiſſe vîdeo Recentiorem aliquem qui BB. Petro, Jacobo, Matthæo, Marcoque inſcriptas Lyturgias abjudicat, eo quod in ijs aliqua inveniantur, quæ poſteriora ſæcula redolent. v. c. B. Virgo dicitur *Deipara*, Sancti invocantur, qui nondum nati erant Apoſtolorum tempore. &c. Cæterum argumentum inefficax eſſe, quæ diximus oſtendunt. Certè pari ratione dicere poſſemus Symbolum, quod in Lyturgiâ Romanâ recitamus, nec Nicenum eſſe, propter articulos poſtremos: Nec Conſtantinopolitanum, propter vocem *Filioque* longè poſt celebratam illam Synodum, ei ſuperadditam. Quod tamen & paſſim, & verè dicitur *Symbolum Nicenum*.

Arguitur: ſimili ratione ferimus judicium de alijs SS. Patrum operibus, quæ cenſemus illorum non eſſe, ſi quid in ijs deprehendatur, quod ab ijs dici non potuit. Fateor. Ergo eodem criterio de Lyturgiarum Authoribus judicabimus. Nego conſequentiam. Petitur diſcrimen ex ipsâ natura ſcriptorum. Lyturgiæ componuntur ab Epiſcopis vt tales ſunt; non vt ſunt privati Doctores: vbi ſunt compoſitæ, & in vſum receptę ſunt Publici juris. Et quia eſt Cathedra vna, Authoritas vna, Dignitas, Juriſdictio, Legatio in Epiſcopis invicem ſuccedentibus vna (diverſitas enim Perſonarum eſt Materialis vnde; verè dictum à Synodo IV. Generali *Petrum per Leonem locutum eſſe*: & à Synodo VII. eundem locutum per Agathonem) ideo moralitèr cenſentur vnus Epiſcopus C. P. Joannes Chriſoſtomus, & Ignatius: vnus Epiſcopus Romanus Petrus, Gregorius, & Jnnocentius XI. Hinc fit Lyturgiam à B. Chriſoſtomo compoſitam, ab Jgnatio (qui alter ipſe erat, ipſe Dignitate, alter Perſonâ) mutari potuiſſe. At verò alia opera ejuſdem S. Patris in jus ſucceſſoris non tranſeunt: quia partus ſunt ingenij, non Dignitatis, Doctrinæ, non Juriſdictionis: ſtudij privati, non publicæ authoritatis. Quare Authore mortuo nemo jus habet, illa mutandi, de illis diſponendi: niſi quid aut fidei, aut bonis moribus adverſum contineant. Hoc confirmatur à Poſteriori: conſtat enim longè majores ſubiuiſſe mutationes illa Patrum opera, quæ officia Eccleſiaſtica ſpectant & in communem vſum recepta ſunt, quam alia eorundem Authorum. Videantur in antiquis, & non correctis Breviarijs, Hymni ex Ambroſio, Prudentio, alijſque tranſcripti in Breviarium: conferantur cum alijs non receptis in officium, recepti longe corruptiores invenientur. Unde tum Pius PP. V. tum Vrbanus PP. VIII. Breviarium emaculaturi, illud cum locis, vnde & Hymni, & lectiones deſumpti eſſent contulerunt.

Hinc magno judicio Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. in Jacobo; *Extat etiam*

etiam Lyturgia S. Iacobo attributa, quæ à Posterioribus ita locupletata est, vt non sit facilè diudicare, qua pars hujus Lyturgia S. Iacobum habet Authorem. Non totam B. Jacobo Lyturgiam eripit; sed partes aliquas.

Hinc ubi de mente cujuspiam agitur, qui & Lyturgiam, & alia composuit, non ita certò mihi probabitur ex Lyturgiâ, quam ex alijs illius operibus, easdem res tractantibus: quia minus certum est nihil ab alio quopiam illius successore Lyturgiæ super additum, quam alijs scriptis. Hoc obiter asserui in meâ Litterarum Georgij Pseudo Episcopi Wintonienſis Revisione sec. XI.

CAPUT XL.

De Choro: & Cantu Ecclesiastico.

AB initio Fideles *Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus*, Dei Laudes celebrasse, ex Apostolo didicimus Colos. III. 19. Tametsi fortè dubitari possit, an elatâ, & modulatâ voce canerentur, propter adjecta verba: *In gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo.* Quod enim in corde transigitur, nec aures ferit, nec aerem verberat. Quod etiam Matthæi XXVI. & Marc. XIV. dicitur Christus *Hymno dicto exijsse*, ita similitèr intelligi potest, vt recitatus fuerit ab illis hymnus; licet non decantatus. Et 1. Cor. XIV. 15. *Psallam Spiritu, Psallam & mente.* Item Hieronimus lib. II. contra Ruffinum, cap. VII. *Psalmos jugi meditatione decanto.* Hinc voces Cantandi, Psallendique non necessariò modulatum sonum; sed affectus animę significare posse videntur: qui si pij sunt, si divinis legibus conformes, si intensi, pleni, constantes, omni melodiâ suavius divinas aures demulcent. An autem eâ ratione exponi possint, quæ Plinius ad Traianum refert, de Christianorum cætibus antelucanis, in quibus Deo Christoque Hymnos canebant, viderint alij.

Certum est Ascetas antiquos circa Alexandriam Laudes Deo clarâ voce cecinisse: id enim disertè tradit Philo, cujus verba supra laudavimus. Non tamen occurrit testimonium irrefragabile Chori tunc temporis instituti. Quin & illud videtur certum, etiam datâ Ecclesijs pace, non placuisse viris pijs fractos, mollesque vocum inflexus. Unde Athanasius *tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, vt pronuncianti, legentique propior esset ejus Pronunciatio, quam cantanti*; ait Augustinus lib. XI. Confess. c. XXX.

Nec, ubique moris fuisse videtur, vt vel omnes fideles, vel omnes etiam Clerici concinerent in Synaxibus: licet Philo Judeus id alicubi factum tradat. *Cantores*, enim, vel *Psalmista*, peculiare genus hominum, ad id destinabantur, non solemni vllâ consecratione; sed solâ vel Episcopi, vel etiam Presbiterì deputatione, atque jussione, dicentis: *Vide, vt quod ore cantas, corde credas, &*

quod

quod corde credis, operibus comprobes. Concil. Carthag. IV. c. X. Affirmat Baronius istos Episcoporum *Cursores* fuisse, sicut & Acoluthi, & Hypodiaconi, eorumque Epistolas veredariorum instar detulisse. Agnosco quidem eos id oneris subivisse, (imo & Diaconos) non tamen mihi persuadeo id vel vnicum, vel etiam præcipuum eorum officium fuisse. Ipsorum enim erat, vt ex nomine patet, Cantica, Psalmos & Hymnos in Ecclesiâ legere, vel cantare, è Superiori loco (pulpito) vnde audiri à Plebe possent. In Synodo Laodicenâ c. XV. hæc habentur: *Non oportet præter eos qui Cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in Pulpitum conscendere, & in Ecclesijs psallere.* Ex quo decreto patet & istorum fuisse cantare: & pulpitum eorum proprium locum fuisse; & nemini Laico permissum illis in locis tunc in Ecclesiâ canere. In Ægypto & Thebaide similis viguit consuetudo, teste Cassiano. lib. II. de institut. Renunci, c. XI. vbi cum dixisset in Synaxi duodecim Psalmos ab vno recitari, cæteris tacitè audientibus; ait vbi plures erant Cantaturi; eos sibi mutuò succedere; vt vbi duo Cantores essent, singulis sex Psalmi assignarentur: vbi tres, quisque quatuor: vbi quatuor canebant, singuli tres recitarent. Sic igitur omnia *voce solâ* peragebantur.

Enimverò ea vocis vnitas ad finem per Psalmorum recitationem quæsitum, admodum vtilis erat. Pluralitas vocum continentium, eorumque necessaria subinde confusio, rerum intelligentię plurimum nocet: quia moraliter impossibile est vocem à pluribus ita distinctè proferri, vt sonus articulatus singulorum audientium aures ita feriat, vt intelligatur; cum vna vox si sonorus sit, facilè distinctèque percipiatur. Debebant autem illi Monachi, Cantorem mente subsequi: vt dum iste ore, illi corde Deo cantarent, cantata mente retractantes, & veluti ruminantes.

Musicæ, vbi piæ sunt Symphoniæ, devotionem juvant. B. Cæcilia *Cantantibus Organis in Corde suo Domino cantabat*, ait Ecclesia. Ejus admirabiles effectus refert Augustinus IX. Confess. cap. VI. *Quantum flevi in Hymnis, & Canticis tuis*, inquit, *suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acritèr. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in Cor meum, & ex eâ æstuabat affectus Pietatis, & fluebant lachrimæ, & benè mihi erat cum eis.* Deinde cap. X. refert quâ occasione circa illa tempora, *genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare cepisset Mediolanensis Ecclesia, magno studio Fratrum concinentium vocibus, & cordibus*, (Nec enim in toto Occidente, nec in Ecclesiâ Alexandrinâ, imò nec in Græcâ, viguerat eatenus ea consuetudo) quod scilicet pia plebs, ob imminens Ambrosio Episcopo suo periculum, ab impiâ Justinâ Valentiniani Imp. Matre Arrianâ, cum ipso mori parata in Ecclesiâ cum ipso excubaret. *Tunc enim Hymni, & Psalmi, vt canerentur secundum morem Orientalium partium* (Antiochiæ) *ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam, & pene omnibus gregibus tuis, per cætera orbis imitantibus.* Hæc B. Augustinus.

Ex quibus

Ex quibus habemus I. Eccleſiam Mediolanenſem omnium Occidentalium primam morem illum uſurpaſſe canendi Pſalmos, Hymnoſque.

Habemus 2. eam imitatam hac in re conſuetudinem Orientalium Eccleſiarum, Antiochenæ ſcilicet, exquâ B. Chryſoſtomus morem eundem Conſtantinopolim tranſtulit, factus ejus Epiſcopus, ut tradit Georgius Alexandrinus in ejus vitâ apud Photium in Bibliothecâ cap. XC. Et Suidas verbo, χόρος id confirmat: vbi refert Flavianum ſub Conſtantino Juniore inſtituiſſe vt Cantores in duas partes diſtributi Davidicos Pſalmos canerent: quem morem totus orbis deinde ſecutus eſt. Hæc Suidas, & Theodoretus lib. II. Hiſt. cap. XXIV. id confirmat

Habemus 3. introductum Mediolanum illum morem cum ad levandum moræ in Eccleſiâ incommodæ tædium, tum ad exhilarandos eos, qui ob periculum imminens, abſentiam à Domo ſuâ, rei familiaris negligentiam, mæſti erant. Ad hæc enim aptior erat omnium vnà canentium ſymphonia, quam ſobria vnius è Pulpito recitantis, vel legentis vox uniformis, & æqualis. Nec tamen arbitror indefinenter cantaſſe ſimul omnes, (quod æque moleſtum fuiſſet, ac ipſa habitatio in Eccleſiâ) ſed per intervalla, ut voce ſolâ aliquid recitaretur ad inſtructionem; deinde ad hilaritatem aut multi, aut omnes unà concinerent: quemadmodum in ſacris ſolemnioribus modò fit ubique per totum Occidentem.

B. Joannes Chryſoſtomus, quo vel vanas vel impias cantilenas eliminaret, multis ſæpe Pſalmorum uſum commendavit, etiam Artificibus. Hom. XXI. ad Populum Antiochenum: *Artifex manualis es*, inquit, *ſedens pſalle: ſi non vis ore pſallere, hoc facias mente. Magnus Comes Pſalmus.* Et Hom. XIX. in Epiſ. ad Epheſ. *Vis lætari? vis diem conſumere? Ego tibi potum dabo ſpiritualem. Ebrietas enim etiam claram noſtræ linguæ vocem excidit, & balbutire facit, oculoſque & omnia ſimpliciter evertit. Pſallere diſcas, & videbis rei jucunditatem: Implentur enim Spiritu ſancto, qui Pſallunt: quemadmodum ſpiritu immundo, qui Satanicas cantiones modulantur. Quid eſt quod dicit, in cordibus Domino? Hoc ſcilicet, cum intellectu attendentes: qui enim non attendunt, temerè pſallunt, verba tantum proferentes, corde alibi aberrante.* Et homil. IX. in epiſt. ad Coloſſenſes: *quoniam ſcripturæ laboris, & moleſtiæ plurimùm habent*, inquit, *non ad hiſtorias legendas inducit* Apoſtolus; *ſed ad Pſalmos: vt & animum paritèr cantando oblectes, & labores fallas. ----- Nunc verò ſatanicas cantationes, ac ſaltationes præferunt pueri veſtri, quemadmodum Coci, & Obſonatores, & Choræarum ductores; Pſalmum autem nemo novit ullum: quin & res iſta turpis eſſe videtur, ludicra & ridicula: hinc mala cuncta vigent. ----- Fons quidam eſt Doctrinæ. Doce puerum tuum Pſalmos illos canere Philoſophiâ plenos. ----- Pſalmi complectuntur omnia. Rurſus hymni nihil habent humani.* Denique in explicatione Pſalmi CVII. affirmat eos, qui Pſalmos ritè canunt, cum Angelis Choreas ducere, & quaſi cum eis de Dei Laudibus, & amore contendere.

Hæc abundè probant utilem esse Psalmorum modulationem ; eamque propterea indiscriminatim omnibus fuisse commendatam à B. Chrysostomo etiam Laicis. Non tamen probant institutos in Ecclesiâ Choros, sive Clericos convenire debuisse simul ad Divinum Officium Cantu recitandum. Duas ob causas credo per aliquot sæcula non fuisse obligatos Clericos ad pensum precum ita persolvendum. Prima, quia durante persecutione convenire non poterant sine summo periculo, ergo non convenerunt. Secunda etiam datâ Ecclesiæ pace, ob paucitatem Clericorum Chorum frequentare, non poterant : unde unus aut alter in quâque Ecclesiâ cantor, sive Lector instituebatur, qui ubi convenerant Fideles ijs ex divinâ scripturâ prælegebant aliquid, quod ad eorum instructionem explicabatur à Prælato. Quod patet ex Tractatibus B. Augustini in Joannem, alijsque.

Postea, multiplicatis jam, quantum satis esset Clericis, Damasus constituit, ut officia divina ab ijs noctu diuque canerentur, alternatim. Vt autem id fieri posset, Psalmos Romam transmitti curavit à B. Hieronimo juxta septuaginta versionem accuratè emendatos, modum eos cantandi in meliorem formam redegit, comptioribus adhibitis modulationibus. Gregorius I. instituit cantum, qui dicitur ab ipso Gregorianus : quem retinent in substantiâ monachi, & choro addicti ordines mendicantes, & Sacerdotes dum sacrum solemne faciunt. Organa, tubas, citharas, & cantum ipsum ex variatis vocibus vnam symphoniam, sensibus haud ingratam efficientibus, à severitate majorum & gravi, pio, virilique cantu antiquorum aliena, quæ in pleraſque Ecclesias Collegiatas admissa sunt, mediorum aut posteriorum sæculorum mollicies introduxit, gementibus bonis, reclamantibus multis, & inter istos ut audio Lindano in Panopliâ, Concilium Turonense III. can. VII. hæc habet : *ab omnibus, quæcunque ad aurium & ad occulorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus musicorum, alijsque non nullis rebus sentiri potest) Dei Sacerdotes abstinere debent : quia per aurium oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscœnorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, cæterisque Sacerdotibus effugienda prædicare debent.* Hæc illa Synodus an. Dom. DCCCXIII. celebrata, quo tempore non videntur, quæ hic damnantur in Ecclesiam introducta : videtur enim loqui de Sacerdotibus ea sectantibus extra Ecclesiam, in domibus privatis: quod si ea non toleranda visa sunt intra privatos parietes, quantò minus ea toleraſſet in Ecclesiâ ?

Concilium denique Senonense an. XXVIII. præcedentis sæculi XVI. cap. XVII. decreti Morum. *Præcipimus*, inquit, *vt in Ecclesiâ sint musici cantus distincti, ac discreti, moventes cor ad devotionem compunctionemque. ------- Neque enim, inquit Hieronimus in Tragœdiarum modum, guttur & fauces medicamine sunt Lenienda, ne dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam ut Cantor Minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus*

delectat

delectat, ita laſcivus animus dum laſcivioribus delectatur modis, eos ſæpe audiens, emollitur, & frangitur. Curent ergo Sacerdotes & Clerici, ſic ſuos tantus inſtituere, ut modeſtâ, honeſtâque pſallendi gravitate, placidâque & gratâ modulatione, ſic audientium aures deliniant, ut provocent, excitentque ad devotionem, compunctionemque; non ad laſciviam, cordiſve aut animi titillationem. Hæc illa Synodus, quæ cantus ejuſmodi non prohibet omnino; ſed corrigendos eſſe docet. Nec eos cenſeo condemnandos eſſe, tametſi à priſcis, & virilibus Chriſtianorum moribus aliquantum alienos: cum Davidis exemplo ſe tueri poſſint eorum Patroni: David enim Muſica inſtrumenta induxit, quæ ad illud uſque tempus, inaudita fuerant in Tabernaculo teſtimonij.

Inter commoda ex *Choro* inſtituto provenientia, illud non poſtremum eſt, quod *ocium* excludat, quodque ad Laudes Deo cantandas Clericos convenire faciat, ſæpius de die, & bonam hujus partem in pio, honeſto, laudabili, & optimi ad populum exempli exercitio tranſigere. Vidimus cap XXX. ex Concilio Aquiſgranenſi vetitum Clericis *Ocio vacare in Clauſtris; ſed aut officijs divinis aut &c. vacare.* Hæc ergo ad vitandum ocium inſtituta fuerunt. Simile quid hauriri videtur ex Actis B. Fulgentij alibi citatis. Hinc quandiu tam pauci erant Clerici, ut ad proximorum ſalutem procurandam toti occuparentur, chorus inſtitutus non eſt. Ubi multi Clerici, & ij non admodum occupati, ut in Eccleſijs Collegiatis, & frequentibus Regularium Cænobijs, inſtitui debuit, & magno decoro peragitur. Ubi vero vel pauci admodum ſunt Clerici, vel ſi multi, tamen aut omnes, aut plerique taliter alijs negocijs eorum vocationi proprijs, Divino obſequio vel æque, vel etiam magis, utilibus occupantur, Chorus commodè inſtitui non poteſt, nec verò debet, ne graviora, & ad ſalutem proximi, ad Dei gloriam promovendam aptiora ſtudia negligantur, aut indecorè cantetur Officium, ut fieri neceſſe eſt, ubi tam pauci penſum illud perſolvunt. Hinc Muſarum ſedes, Doctorum Lycæa, celeberrima toto orbe Collegia, *Sorbonicum* Pariſijs, & *Gregorianum* Valiſoleti, licet illud Clericorum ſæcularium ſit, hoc Ordinis Prædicatorum, utrique ex toto vitæ genere choro addicti, choro non vacant. Similem ob cauſam in Societate Jesv chorus inſtitutus non eſt. Chori vero defectum Juniores diſcendo, docendove, majores natu concionando, confeſſiones excipiendo, ægros inviſendo, & carcerum, noſocomiorumque curam habendo delatum denique ad exteras regiones Evangelij lumen diſcurrendo, cum fœnore compenſant. Nec enimverò vel ex ignaviâ chori laborem declinant, qui longè majores domi foriſque ſubeunt: nec ex ſuperbiâ velut infra ſe poſitum onus dedignantur, cum Angelorum officium eſſe agnoſcant laudes Deo canere: Unde *novem Angelorum Chori* nominantur: & Beatorum eſſe ſciunt, per totam Æternitatem in *Choro* Deum laudare, ad quorum Conſortium toto corde adſpirant; ſed tantum, quod alij labores illis impoſiti ſint cum *Choro* incompatibiles: quibus ſimul & *Choro* frequentando impares ſunt.

Hæc si benè observarent aliqui, non adeo ob *Chori* defectum tragicè declamarent in Societatem. Stantibus enim alijs ejus in publicum officijs charitatis, *Choro* vacare non potest, nisi bilocentur eius Sacerdotes. Neque dicas aliquos in Societate inveniri, qui nihil admodum agant. Enim verò si qui tales sunt, & valde pauci sunt, & affectis plerumque viribus, atque vtramque ob causam Officio honestè canendo impares censentur. Deinde quis modus efficiendi, vt canere discant senes Capulares, vergente ad mortem ætate, viribus destituti, cui Juvenes, & integris adhuc viribus non assueverunt? Certè nullus in Societate à studijs, aut studiorum exercitio, curâ proximi, quiescere permittitur, nisi talis sit, cui in alijs Ordinibus *Choro* destinatis, à Chori laboribus Missio donaretur ob infirmitates.

Saltem hoc ex dictis habemus, non ita essentialiter Clero annexum esse *Chori* onus, ut aut non omninò, aut non perfectè Clerici sint, qui *Chorum* non habent. Alioquin nulli per varia sæcula in Ecclesiâ fuissent perfecti Clerici, sæviente scilicet persecutione: nec ulli Missionarij Apostolici Clerici essent saltem perfecti: nec denique tales essent Eximij Domini ac Magistri nostri Sacræ Theologiæ Doctores, & socij Sorbonici, in eo celeberrimo Collegio viventes. Quæ cum dici non debeant, sequitur ob ejus defectum negari non debere societatem Jesu, Congregationem esse *Clericorum Regularium* (quo titulo eam designavit ipsa sacro Sancta Tridentina Synodus) maximè cùm reliqua Clericorum obeat ministeria, Clero magis essentialia, quàm sit ipse *Chorus*. Notatu dignissimum est B. Gregorij decretum, (quod habetur, *In Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, d.* XCII.) *Constituo*, inquit, *vt in hac sede sacri Altaris Ministri cantare non debeant, solumque Evangelicæ Lectionis Officium inter Missarum solemnia exolvant: Psalmos verò, ac reliquas lectiones, censeo per Subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores Ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit.* Hæc B. Gregorius. Num Diaconos, & Sacerdotes è Cleri albo expunxit, Choro certè eliminavit.

Credo (ut paucis rem, ut à me concipitur expediam) unum cantorem adhibitum, quamdiu reliqui attentè audierunt: ubi desijt illa devotio, adhibitos cantores, etiam Laicos: non tamen, nisi seriùs Sacerdotes, aut Diaconos.

LIBER

LIBER TERTIUS.

CLERICI VOTA.

PRÆFATIO.

VIdimus in primo libro Cleri dignitatem, Regiâ, Imperatoriâ, quâlibet denique humanâ majorem: Angelicæ æmulam, imò aliquibus in rebus etiam ſuperiorem. Nec enim Angeli aut peccata remittunt, aut adorandum Chriſti Corpus Sacro ore conficiunt, aut tremendum novæ legis ſacrificium offerunt, aut *Sacerdotes* ſunt *ſecundum ordinem Melchiſedech*, aut Chriſti Perſonam repræſentant, ſuntque velut ipſe Chriſtus. De quibus libro 1.

Deinde libro 2. explicare conati ſumus per quæ Pietatis exercitia ad tam nobilis officij parem uſum diſponerentur: quibus gradibus ad tam excelſum thronum conſcenderent. Ita tamen ut tota ferè noſtra conſideratio circa externa verſaretur: nimirum circa loca in quibus educarentur, perſonas illuc admittendas, veſtes, quibus amicirentur, ſtudia, chorum, & id genus alia: quæ licet magna in ſe, & ad formandos Eccleſiæ miniſtros momenti verè maximi; levia tamen videri poſſunt, ſi cum alijs, animam ipſam afficientibus conferantur, qualia ſunt vota, ſi quæ emiſerunt, & opera ad quæ præſtandà voto tenebantur. Quæ præſenti libro explicamus.

Nova videbor dicere ijs, quibus omnia valde antiqua & à præſentis ſæculi uſu remota nova ſunt: Ingrata etiam aliquibus, qui nolint antiquæ faciem Eccleſiæ alijs, quam præſentis, lineamentis deſcribi: qui priſcorum Clericorum, adeoque ipſorum Apoſtolorum, veſtes, conſuetudines, actiones, à ſuis, quaſi eadem eſſent, æſtimari volunt: qui Apoſtolicorum virorum pios mores tenebris ſepeliri, & penitus ignotos eſſe malunt, quàm eos in ſe exprimere, aut ſciri diverſos eſſe. Vanitati favet, Ambitionem nutrit, typhum auget, quòd credantur Apoſtoli peculium habuiſſe, opes congregaſſe, jus dixiſſe, tribunalia erexiſſe, &c. Placet etiam, quod qui Religioſi vocantur, extra Cleri Cancellos ejecti, Monachorum antiquis agminibus accenſiti, puris

puris putis Laïcis immiſti, infimo Clericorum Ordini ſubſternantur, & ipſi Abbates Oſtiarijs ſubſint: Ijs, qui ſic affecti ſunt, non mirum ſi diſpliceat antiquam Clericorum Apoſtolicorum faciem, ut fuit, exhiberi: unde fortè patebit, eos qui Monachorum nomine contemptim appellantur, & cum faſtidio ex eleganti ſacerdotum ſæcularium cætu repelluntur, verè Apoſtolicam vitam imitari, dum Clerici non ita prope accedunt, qui Apoſtolicos ut in gradu, ita & in moribus imitari ſe dicunt.

Sed quia in veritate, magnorum hominum præſidio deſtitutâ, parum eſt Præſidij, adverſus eos, qui perſonas ſpectant; non veritatem, ubi iſta diſplicet, aut non favet, eam, quam propugnamus, ipſo in limine talium ſuffragio fulcire viſum eſt, ut ſi qui adverſentur, ſciant non nobiſcum tantum, aut cum aliquibus Religioſis; verum etiam cum alijs è ſæculari Clero in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutis, certandum eſſe. Petrus enim Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis libro *in Depravatorem ſuorum operum.* pag. 546. ait Religioſos *impreſſioribus veſtigijs Apoſtolorum regulis inhærere*: Concil. Tolet. ait eos, qui è Clero ad Religionem tranſire volunt, *meliorem vitam appetere.* Deinde Concilium Rhemenſe, *de Religioſis & eorum Monaſterijs* agens, ait: *Monachorum inter Clericos humilitate præſtantium inſtitutum quam proximè ad Apoſtolorum tempora accedens, libenter amplexus eſt, quiſquis, ut Baſilius loquitur, cæleſtis vitæ cupiditate flagravit, & Evangelicæ perfectionis ſtudioſus extitit negociator.* Hæc illa Synodus. Plura producentur infrà.

Sub iſto clipeo deliteſcimus, nihil dicturi, quod non ab iſtis dictum ſit: eo repellemus, ſi quæ jaciantur, cenſurarum ſpicula.

Verùm enimverò nulla apparet ratio, cur ullius boni viri offenſam formidem, dum rudi penicillo recens nati, & per aliquot ſæcula ſubſecuta adulti Cleri deſcribo imaginem, tametſi non nihil à præſentis vultu diverſam. Reges ampliſſima inſtar urbium palatia incolentes, æquo animo ferunt Caſæ Romuli mentionem inijci: Iſraeliticus populus pluribus auctus victorijs, regno nobiliſſimo conſtituto, libenter legit Paſtoriciam ſui capitis vitam: Heroes etiam poſt certamina, victorias, triumphos, incunabula ſua & infantiæ crepundia videre non dedignantur. Laudem meriti ſunt, qui civitatum antiquarum nomina, ſitum, acta, mores, leges ab oblivione vindicarunt, licet in ijs non pauca occurrant à præſentium inſtituto non aliena tantum, ſed & diverſa, & adverſa. Quidni idem in præſenti ſperare licebit? Nec etenim, qui antiquæ Capuæ aſſignat aliam ſedem, ab eâ quam Moderna occupat id facere cenſetur, ut nova everſis Templis ſuis, domibus diſſipatis antiquam adeat: Nec qui homines olim glandibus veſci ſolitos affirmat, nondum invento Tritici uſu, id facere creditur, ut modò repudiato Tritico, Glandes edamus: Nec qui antiquas in obſcuris Bibliothecarum angulis deliteſcentes leges eruit, eas que lucem emittit, id eâ intentione facere cenſetur, ut refixis novis, quæ fortè præſenti rerum ſtatui aptiores ſunt,

ſunt, antiquæ reſtaurentur. Servari volunt homines novas leges : cognoſci patiuntur antiquas. Sic itaque vivat Clerus ſæcularis juxta novos canones, floreat, dominetur; ſed non ægrè ferat oſtendi, quos olim obſervârit. Antiquorum vota, ſi quæ fortè emiſerunt, cum illis unà mortua ſunt, niſi ſi quæ fortè etiamnum ab Eccleſiâ exiguntur : nec ideo in ea inquirimus, ut revocentur in uſum; ſed ut in cognitionem ; ut ſciantur, non utſerventur, ad quæ ſervanda teneri neminem ultro fateor, niſi qui emiſerit.

Proinde ſi quid humanitùs evenerit, ſi à ſcopo Canonum, à mente Doctorum, ab Antiquorum uſu deflexero, venialis error videbitur, nemini noxius, quia non voluntarius : quem corrigere paratus ſum, ubi meliora, certioraque apparuerint : & gratias habebo maximas oſtendenti veriora.

CAPUT XLI.

Votorum initium, & obligatio.

PRomiſſionis, Fideique religio æquè antiqua eſt, ac commercium inter homines, quod, niſi ea ſubſiſtat, diſſolvitur. Votorum obligatio tum nata eſt, ubi homines vel ſeſe univerſim, vel ſecundum aliquos actus Divino obſequio mancipare ceperunt. Utriuſque obſervantia eſt de lege naturæ : quia *finis omnis controverſiæ* inter homines, *ad confirmationem, eſt Iuramentum.* Heb. VI. 16. Firmat enim voluntatis inconſtantiam, tollit dubia, fidem aſtruit. Ante legem ſcriptam Eſau Primogeniti Jura in Jacob tranſtulit, ceſſione Juramento firmatâ, Geneſeos XXV. 33. Idem Jacob ad impetrandam Divinam opem, in itinere, ad Dei ſe perpetuum obſequium, & ſolvendas Decimas voto obſtrinxit. Gen. XXVIII. 20. In lege votorum obſervantia ſancitur Levit. XXVII. nobiliſſima Nazaræorum oblatio atque conſecratio recenſetur num. VI. quos Deus varijs gratijs, doniſque honeſtavit : quorum pium inſtitutum ad Evangelij uſque tempora duraſſe conſtat ex Act. XXI. 23. unde patet eorum conſecrationem non niſi cum Synagogâ ſepultam eſſe. Hæc patent ex S. Scripturâ.

Pugnant tamen hæretici moderni libertatem Evangelicam non modò legalium onus; ſed etiam votorum omnium obligationem ſuſtuliſſe. Sic qui divinam Fidem introductis erroribus ei contrarijs expulerant, Humanam in ſuper eliminare velle videntur, negando nos ad ea, quæ promiſimus, Deo præſtanda teneri. Ut minimè mirum ſit nullam ſupereſſe Fidem, ubi iſta dogmata obtinent. Contra hos

Aſſerimus vota Deo licitè fieri, facta religioſè ſervanda eſſe, etiam in novâ lege. Duplici id S. Scripturæ teſtimonio probo. Prius habetur Luc. I. 34. *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco ?* Ex quibus B. Virginis

ginis verbis colligunt & Patres & Theologi, eam votum emisisse Castitatis. Etenim inepta fuisset ejus dubitatio, si solùm negasset se incognitam, & non ulteriùs assereret non cognoscendam ab ullo viro. Sicut inepta esset alterius oratio, quæ cum nuptui traditur, negaret se prolem habituram, quia virgo esset. Cuivis enim responsio occurreret: tametsi sis talis; non tamen eris semper. Excludunt ergo B. Virginis verba etiam futuram virginitatis jacturam: adeoque votum important, quod cum sine sacrilegio violari non poterat, ipsa turbata est, auditâ Filij prænunciatione. Et Angelus metum discussit, ostendendo salvam ei, integramque mansuram virginitatis gloriam, etiamsi filium habitura esset, qui scilicet non vi hominis; sed sancti spiritus ope formandus in eâ esset: adeoque votum ejus non violatum iri. Vovit ergo B. Virgo: votum agnovit, & servandum docuit Angelus.

Posterius desumptum est ex 1. Tim. II. & 12. *Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, tum nubere volunt, habentes damnationem hanc, quia primam fidem irritam fecerunt*: Quæ ergo in viduarum albo inscribebantur eo tempore, vovebant continentiam: & illius voti reæ erant, quod violando damnari merebantur, quia sine sacrilegio ad secundas nuptias transire non poterant, remisso viduitatis voto. Ad quæ verba Chrisostomus hom. XV. in 1. Tim. post initium: ait: πίστιν, τὴν συνθήκην λέγει, τὴν ἀλήθειαν, ὡσεὶ ἔλεγεν, ἐψεύσαντο αὐτὸν, ἠθέτησαν, παρέβησαν τὰς συνθήκας. *Fidem pactum appellat: mentitæ sunt contra veritatem Promissorum, Pactum seu fœdera violaverunt, & irritaverunt.*

Accedant duo Patres, sed qui multorum instar haberi merentur. Basilius in Regulis fus. c. XIV. *Qui seipsum semel Deo dicavit, hic si ad aliud vitæ genus transverit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecraverat subterfuratus est. Rationi consentaneum est, ut ejusmodi hominibus nullo modo aperiantur Fratrum Ianuæ.* Hæc ibi.

Augustinus in Psal. XCIX. *In illâ vitâ communi Fratrum, quæ est in monasterio, sunt magni viri & sancti, cum lectione illis res est, nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat: omnes se diligunt. Hos laudat, qui nescit, quid interius agatur, qui nescit quomodo vento intrante naves etiam in portu colliduntur. Intrat, quasi securitatem sperans, neminem quem tolleret habiturus: invenit ibi fratres malos, & paucorum hominum molestiâ irritatus, dum non perseveraverit implere, quod* VOVIT, *fit desertor tam sancti Propositi, & reus VOTI non redditi.* Hæc Augustinus. *Vovebant* ergo Augustini tempore, qui in monasterium admittebantur, & qui exibant, qui ab instituto resiliebant, *Voti* non observati, non redditi, manebant rei. Et serm. 1. de communi vitâ Clericorum: *qui societatem vitæ iam susceptam deserit*, inquit, *à voto suo cadit, & à professione sanctâ cadit.: observet Deum Iudicem, non me. ----- ----- Ego scio quantum malum sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vovete (inquit ille,) & reddite Domino: &, melius est non vovere, quam vovere, & non reddere.* Hæc Augustinus

Auguſtinus ibi: licet enim iſte ſermo ab aliorum elegantiâ non parum abſit, verè tamen Auguſtini eſſe tradit Eraſmus præfat. in Arnobium, & alibi, videatur ejuſdem Auguſtini Epiſt. CXCIX. ad Ecdiciam, ubi apertè docet, & vota ſuo tempore facta fuiſſe, & illa approbat. ſicut etiam Ep. 45. p. med.

Ratione denique probatur: quia tenemur lege naturæ promiſſionem cuicunque factam ſervare. Quare ubicunque fuerit natura humana, etiam ſub Evangelio, tenebitur promiſſa præſtare: & qui ſecus facit, fidem humanam de medio tollit. Si verò proximo dare debemus, quę promiſimus, quę Deo promittimus ei ſervanda ſunt. Enimverò ſtultum eſt dicere, quod hominibus fidem obſtrictam liberare debeamus; non autem Deo.

Objcient hæretici. Ad impoſſibile nemo tenetur, ait Regula Juris: ſed quæ voventur impoſſibilia ſunt: v. c. continentia. Reſp. ſi ſtrictè ſit impoſſibile, quod vovetur, nempe volandi, vel mare totum ebibendi, nullum eſt votum ab initio: ſi verò latè ſumatur, pro re difficili (quod ſæpe occurrit in Auguſtino) non tollit obligationem voti; ſed ad media per quæ difficultas minuatur, & tollatur, obligat, Quod ſi quis ſit, cui ſit impoſſibile ſervare votum; non ob ignaviam, quæ *fingit laborem in præcepto*; ſed ob indolem illius ſervandi penitus incapacem, ſupereſt, voti reus petat à voto ſolvi: & tali non gravatè conceditur voti Relaxatio, vel ſaltem commutatio in aliud bonum opus, ipſi poſſibile. v. c. vovit aliquis Peregrinationem Hieroſolimitanam: & priuſquam exoluit, incidit in diuturnum, & periculoſum morbum. Item vovit aliquis quotannis tantum pecuniæ pauperibus diſtribuere: & ipſe pauper efficitur. Facile conceditur ejuſmodi Votorum mutatio in aliud opus bonum.

Si petas. Cujus juris ſit obligatio Voti. Reſpondebo divini naturalis. Quicquid enim eſt ſtrictè Juris naturę, eſt & Authoris, vel conditoris naturæ. Eſt autem iſta obligatio ſtrictè Juris naturæ, ut vidimus.

CAPUT XLII.

Clerici aliqua vovere poſſunt.

ITA facilis, ita obvia, ita clara eſt veritas, quam hic aſſerimus, ut mirari liceat eam cuiquam latere potuiſſe. Unde nec fuiſſet à me inſtituta quęſtio iſta, niſi eam aut ignorare penitus aliquos, aut quod proximum eſt, non agnoſcere, imò & repudiare viderem. Adeo quippe libertate quidlibet dicendi abutuntur aliqui infeliciſſimis hiſce temporibus, ut nihil adeo vel in fide ſanctum, vel in hyſtorijs exploratum, vel in ratiocinatione ſolidum, quod

non ab aliquo in dubium revocetur, non scientiâ, sed ignorantiâ, non potentiâ, sed impotentiâ rationis, omnia confundente.

Personas itaque Cleri albo inscriptas, vota emittere, nec propterea minus de Clero censeri, simpliciter asserimus; & efficacitèr probamus. Possunt enim Clerici penes se statuere, actus aliquos bonos, Deo gratos, statui suo convenientes, elicere singulis diebus: possunt propositum illud suum factâ Deo Promissione firmare, & ad pœnam peccati se obligare, casu quo non faciant, quæ ita promiserunt. At Promissio talis votum est, ex S. Thomâ 2. 2. Q. LXXXVIII. voto igitur se adstringere possunt.

Deinde: omnis actus Religionis, vt est virtus respiciens cultum Dei, Clero non repugnantem, potest à Clericis exerceri, utpote qui destinantur ad cultum Dei. Sed Votum est talis actus Religionis, quatenus respicit actus cleri statui convenientes: tales ergo actus voveri possunt à clerico, v. c. Episcopi & Parochi, selectiora cleri membra, ex vi status sui tenentur ad gregem suum verbo, & Sacramentorum administratione pascendum: ad eundemque regendum in spiritualibus: Debent Viduas & Orphanos protegere, pauperum inopiam pro virili sublevare, communes, denique Fidelium esse Patres. Cur non poterunt isti Deo vovere ista se strenuè facturos, vel omnia, vel aliqua? Talis autem Promissio votum est.

Quid quod non solum vovere possunt; verum etiam de facto votum emittunt. Summi Pontifices, cum inaugurantur, vovent se conciliorum generalium decreta servaturos, suæque Sedis Apost. jura servaturos. S. R. E. Cardinales Eminentissimi ubi Conclave intrant, ad eligendum Christi Vicarium, ad aliqua voto se adstringunt, casu quo in se sors illa cadat. Episcopi duplici voto tenentur, altero erga Pontificem, erga Regem, in cujus ditionibus degunt, altero. Et Prioris quidem exemplar, habetur in Pontificali Romano, & apud *Petrum de Marca*. Posterius prohibitum fuit à concilio Pictavensi an. Dom. MCIX. verùm eâ prohibitione insuper habitâ præstatur ab Episcopis per totam Galliam. Hujus forma non ita passim nota est: Unde data quibusdam Anglis occasio falsò dicendi hoc in substantiâ convenire cum Juramento Fidelitatis Anglicano. Quod figmentum, ut abigamus, visum est illud hic inserere, prout habetur in libro *statum Gallia præsentem* exhibente, (*l'Estat de la France*) tom. priori pag. XX. vbi hæc habentur:

Ie jure le tres-Saint, & sacré Nom de Dieu, Sire, *& promets à vostre Majesté, que je luy seray tant que je vivray fidele sujet, & serviteur, que je procureray son service, & le bien de son Estat de tout mon pouvoir. Que je ne me trouveray en aucun conseil, dessein, ni entreprise, au prejudice d'iceux, & s'il en vient quelque chose à ma connoissance je le feray sçavoir à vostre Majesté. Ainsi me soit Dieu en aide, & ces Saints Evangiles.*

Latinè sic: *Iuro Sanctissimum Dei nomen, Serenissime Princeps, & Majestati tuæ promitto, quod quamdiu vixero, ero tibi fidelis subditus, & servus: quod procurabo*

pro

pro viribili obsequium tuum, & bonum ditionum tuarum: quod non interero vlli consilio, conspirationi, aut molimini in eorum prejudicium. Et quod si quid ejusmodi in meam noticiam venerit, id Majestati tuæ significabo. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia. Hæc ibi.

Ubi ex solâ lectione patet longè diversum esse hoc juramentum, ab altero Anglicano. Nulla quippe fit hic mentio, 1. de Potestate Pontificis in Reges. Nec 2. de ipso Pontifice. Nec 3. damnatur vlla doctrina tanquam hæretica. Quæ in juramento Anglicano utramque paginam implent. Ad rem redeo.

Cum ergo duplici illo voto firmetur Officium Episcoporum erga duas superiores Potestates, Pontificiam, & Regiam: quid ni poterunt ijdem reliqua ipsorum officia, erga sponsam suam, clerum, plebem, consanguineos, pauperes, Domesticos, voto confirmare? Confirmatur, quia Theodori Cantuarensis Pænitentiali Parisijs edito subjunguntur à pag. 471. ad pag. 501. ex monumentis antiquis Ecclesiasticæ disciplinæ varia juramenta, à clericis omnis generis præstita.

Deinde nulli sacris ordinibus initiantur, qui non emittant prius Fidei Professionem, & eam jure jurando confirment. Ergo Promissiones illæ non pugnant cum sacris Ordinibus.

Ad hæc: non negabunt opinor ij, in quos agimus, juvenes in Seminarijs Pontificijs educatos, ad missiones destinatos, esse Clericos, nihil cum esse Clerici pugnans, ab ijs exigi, aut præstari communi lege: quandoquidem qui contra sentiunt, in ijs fuerunt Seminarijs educati, & in gratiam eorum, qui ibi educantur, clericorum nomen Religiosis detractum, illis solis adscribunt. At illi Pontificij Alumni, non minus, quam Religiosi, votis tenentur. Vovent enim se Sacros ordines suscepturos, illa loca adituros, in quorum subsidium educantur, ibi propagandæ fidei incubituros: Religionem non ingressuros, &c.

Deinde, videbimus, Deo dante, etiamnum peculiari voto Castitatis (fortè & obedientiæ) teneri Clericos sacris initiatos; idque in ipsâ Ordinum susceptione. Vota ergo cum clero non pugnant.

Adde quod nihil est in Religionibus ad Clericos formandos destinatis Clero adversum: stultissimum enim esset à viris ad Clerum destinatis, aliquid exigi Clericatum destruens: & penè blasphemum est, tale quidpiam de statu ab Ecclesiâ approbato suspicari: cum Spiritus sancti inspiratione constituantur, & varijs donis ab eodem acceptis confirmentur. At in Religionibus illis vota emittuntur; imo per tria vota, quæ vocantur Religionis *essentialia*, Juvenes futuri Clerici in Religionem admittuntur.

Velut indubitatum itaque supponendum deinceps erit: Clerum votis obligari posse. Hoc S. Scripturæ conformè est, hoc probat ratio, hoc confirmat Ecclesiæ praxis, hoc unanimis omnium consensus ratum habet.

Neque refert, quod aliqua vota Religioſorum eſſe dicuntur, à quibus ſæcularis Clerus liber eſt; licet enim illa de facto non emittat, emiſit tamen olim: & alia de facto emittere tenetur. Nec enim Cleri ſæcularis libertas conſiſtit in immunitate ab omni jugo, aut obligatione; ſed ab ijs duntaxat obſervantijs, ad quas peculiari ratione Religioſi tenentur. Enimverò contraria ſententia talem Clero libertatem aſſerere videtur, qualem Chriſtianis omnibus ſub ſpecioſo *libertatis Evangelicæ* titulo, magno utrivſque Reipublicæ malo tribuunt Hęretici moderni: quaſi aut Chriſtiani, aut clerici, eſſent verè *Filij Belial, ideſt, abſque jugo.* Ut loquitur S. Scriptura.

Supereſt alia difficultas: an omnia indiſcriminatim à Clerico ſæculari voveri poſſint? Huic ut reſpondeam, ſuppono notiſſimam Theologorum doctrinam, nihil cadere ſub votum, niſi quod bonum ſit. Unde ut de voto judicetur, conſideranda res ei ſubjecta. Si res ſit bona, votum pium eſt: ſi mala, impium: ſi ancipitis ad bonum, vel malum naturæ, votum erit temerarium. Ædificare templum Domino, bonum erat, uti & Davidis de eo votum, de quo Pſal. CXXXI. licet Deus eam rem alteri reſervarat: Fuit Impium & abominandum Achabi votum occidendi Elizęum IV. Reg. VI. 31. Temerarium fuit votum Iephte, Judic. XI. 30. ſacrificandi quod primum occurriſſet ei domum revertenti: quia incertum erat, an ei quid Deo gratum occurreret. Temerè etiam vovit Herodes ſe ſaltatrici daturum, quod peteret. Mat. XIV. 7. & impietatis fuit hoc votum ſervare, ubi conſtitit illicita peti. Sic Auguſtinus: *Inter Laſcivias, & delicias convivantium temerè juratur, & impiè quod juratum, impletur.* Servari non debuiſſet iſtud votum.

Adde rem, quæ vovetur, non tantum debere eſſe bonam in ſe; ſed etiam compoſſibilem cum alijs voventis officijs. v. c. Præeſt aliquis civitati hoſtium inſultibus obnoxiæ: malè faceret longinquam peregrinationem vovendo. Carthuſiano ſolitudo, & ſilentium indicitur: ei non licet vovere, circa Platęas diſcurrere, ut pauperes ſublevet. Vir conjugatus familiam labore ſuo alens, malè faceret, ſi diu noctuque in cubiculi angulo rerum cæleſtium contemplationi vacaret: ideoque nec id vovebit. Hęc quidem de ſe bona ſunt; ſed non ei, qui ad diverſa præſtanda tenetur.

Ut ergo votum ſit Actio prudens, duo conſiderari debent: 1. An ſit de ſe Res bona? 2. An conveniat cum alijs voventis officijs? Ubi primum, non occurrit, à nemine res illa voveri debet: ubi ſecundum, voveri non debet ab hoc homine.

Hinc patet quęſtionis propoſitæ ſolutio. Aliqua enim vniverſim cum toto Clericali ſtatu pugnat, v. c. Arma ferre, mercaturam exercere, &c. quæ clerico interdicta ſunt à SS. Canonibus, imò etiam ab Apoſtolo: *Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit.* II. Tim. II. 4. Hinc à nullo clerico voveri debent.

Alia bona cum clero ſunt univerſim compoſſibilia; non cum quolibet in parti-

in particulari. Solitudo, atque perpetuum silentium, ut uni Deo vacemus, bona sunt; sed non conveniunt Episcopo, aut Parocho. Similiter, indefessus labor ad procurandam animarum salutem bonus est: sed non Carthusiano. Voveat Carthusianus silentium, quantum Deus inspiraverit. Voveat & Episcopus vigilantiam pastoralem, & zelum animarum: quia hæc vota cum vtriusque convenit statu, illumque perficit: quæ si aliter fierent, confunderentur status, & officia.

Hinc sequitur, essentialia Religiosorum vota à Clericis quibuslibet emitti posse. Nec enim illa vota, cum ullo cujuscunque Clerici statu pugnant, singulos ornant: sive enim soli vivant, sive cum alijs conversentur, Castitas, Obedientia, & Paupertas cum utrisque conveniunt, utrosque juvant ad Perfectionem.

Cum ergo constet Clericos aliqua vovere posse: videndum an Religiosorum vota ab ijs emissa fuerint.

CAPUT XLIII.

Obedientia Christi.

QUicunque novit Christum Jesum incarne venisse, ut faceret, & doceret, non tantum verbo Perfectionem ostenderet; sed eam in se perfectissimè exprimeret, dubitare non poterit, quin perfectissimè fuerit obediens. Cum ut Gregorius ait: *Obedientia sola virtus sit, quæ virtutes cateras menti inserit, insertasque custodit.* Ex superbiâ, & inobedientiâ primus homo cecidit; humilitate, propriæ voluntatis ab negatione, Obedientiâ, resurgit. Imò tota natura humana per unius hominis inobedientiam perijt, per alterius obedientiam in integrum restituta est. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Rom. V. 19.

Tota sacratissima Christi D. Vita nihil quam perpetuum fuit Obedientiæ exercitium. Heb. X. *Ingrediens mundum dicit: Holocaustum, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tum dixi: ecce venio ---- ut faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens, quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi: ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.* Hæc B. Apostolus, asserens gratiorem Deo esse unam obedientiæ virtutem, cunctis veteris legis Sacrificijs: cum Deus illa omnia repudiarit, ut huic uni locum faceret.

Natus est in stabulo, Deo Patre ita disponente, & volente, voluntate beneplaciti. Circumcisus est octavo Die, Deo Patre volente, voluntate signi.

Fugit

Fugit in Ægyptum, Deo Patre id per Angelum imperante, nec inde reversus Patriam revisit, donec id per Angelum fuisset imperatum. Factus duodennis, relictis Parentibus in Hierusalem inter ignotos hæsit, quia *in his, quæ Patris sui erant, oportebat eum esse*, hoc est, quia Patris voluntas id ab eo postulabat. Cum ijsdem Parentibus suis paternam in domum reversus, per octodecim annos delituit, *& erat subditus illis.* Luc. II. Hujus obedientiæ omninò stupendæ miraculum mentes etiam alacres stupore defigit, accersamus ad ejus qualem qualem explicationem, Divinam Patrum eloquentiam, in balburiei nostræ subsidium: plenâ illius cognitione Beatis in Cælo relictâ, qui inde beantur.

Bernardus serm. I. super *Missus est. Erat subditus illis. Quis? Quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariæ; sed & Ioseph. Vtrinque stupor, utrinque miraculum! Et quod fœminæ Deus obtemperet, humilitas sine exemplo: Et quod fœmina principetur Deo; sublimitas sine socio. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tute exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu gestiens dominari hominibus tuo te præponis Auctori? Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo.*

In quibus subditus erat? In humillimis vitæ officijs, parentibus pauperibus, & ex infimâ hominum sorte. Audiamus Basilium c. IV. constit. Monastic. *In primâ ætate subditus Parentibus omnem laborem corporalem mansuetè & obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent iusti quidem, ac pij, verùm pauperes, & rebus necessarijs non abundantes, &c. meritò laboribus corporis assiduis dediti erant, per hos necessarias res sibi ipsis acquirentes.* JESVS *autem hic subditus, ut ait scriptura, omnino etiam simul perferendo labores, obedientiam declarabat. Itaque discamus filij obedientes esse Parentibus.* Hæc Basilius. Videantur Origenes, hom. XX. in Lucam, Ambrosius, Beda, alijque.

Labores illos & magnos, & humiles, & tædio plenos, non deseruit, donec alia Pater mandata imposuisset: nec continuum Octodecim annorum silentium, abrupit, nisi Patre jubente voce de cælo lapsâ: *Ipsum audite*: quæ significant, & alios ipsum audire debere, & ipsum alijs loqui. Quam assiduus quam sedulus postea in faciendâ semente, ut nec tempus ad necessaria ferè vitæ sibi reservasse videretur! *Nec tempus ad manducandum haberet*, ait sacer hystoricus. Et cum sudore diffluens, fame, sitique prope confectus, & *ex itinere fatigatus*, ut corpus exhaustum penè modico cibo reficeret, ab Apostolis invitaretur, Obedientiâ se sustentari testatus est; *Meus cibus est, ut faciam voluntatem, Patris*, inquit.

Tandem vitam in perpetuâ obedientiâ, transactam, Obedientia solvit. *Sicut mandatum dedit ei Pater, sic fecit.* Joan. XIV. 31. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. II. 8. Et adeo perfecta fuit ista Obedientia, ut Patris voluntatem licet mundo intolerabilem, carni duram, naturæ humanæ difficillimam, planèque contrariam tamen suam faceret. *Oblatus est enim* (ait Propheta Isayas cap. LII. 7. *quia ipse voluit.* Nec enim ab homi-

nibus

nibus occidi potuisset Deus Majestatis, *qui clavem habebat mortis, & Inferni*, nisi voluisset. *Ego pono animam meam*, ait Joan. X. *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Quam ergo verbis docuit obedientiam, sancivit exemplo: & cuncta erga superiores quoslibet officia submissionis in se perfectissimè delineavit.

CAPUT LXIV.

Promiserunt, & Promittunt Clerici Obedientiam.

PROMITTERE Clericos de facto obedientiam suo Episcopo, patet ex Pontificali Romano, in Ordinatione Presbiteri. Si sit enim Episcopus consecrati ordinarius, petit: *Promittis mihi, & successoribus meis reverentiam, & obedientiam?* si verò non sit ordinarius, petit: *Promittis Pontifici ordinario tuo pro tempore existenti reverentiam, & obedientiam?* Et utrique quæstioni respondet initiatus: *Promitto.* Ista Promissio Deo facta in actione solemnissimâ, *Reverentiæ, & Obedientiæ*, Voto simile quid est; & quidem *solemni*, quia in facie Ecclesiæ, facta in ipso Divino Missæ Sacrificio, præsente Venerabili, &c. licet fortè strictè votum non sit, defectu voluntatis, sic obligandi sub pœnâ peccati gravis.

Hinc infero: eos etiam priscis temporibus promisisse similiter obedientiam. Nec enim recens introducta est Obedientiæ Promissio, utpote cujus initium non ostenditur: nec enimverò designari potest tempus, quando primùm petita fuerit, & quodcunque assignetur, facilè erit ostendere, tunc eam non fuisse novam; sed antea obtinuisse. Quâ ratione contra Modernos Hæreticos ostendimus Fidei dogmata ex Apostolis manasse.

Objicitur 1. Synodus Cabilonensis II. celebrata an. Dom. DCCCXIII. can. XIII. Juramentum hoc asserit non ab omnibus Episcopis exigi, sed tantum ab aliquibus: illudque damnare videtur, tanquam *periculosum*. Hæc sunt illius canonis verba: *Dictum est de quibusdam fratribus, quod qui eos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sunt, & contra Canones non sunt facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos Ordinat, & Ecclesiæ in quâ ordinantur: quod juramentum, quia periculosum est, omnes unâ inhibendum statuimus.* Respondeo: hoc juramentum verè *periculosum esse* quia difficillimum est, unumquemque judicare *dignum esse Sacerdotio*: Et quod *Canones non sit violaturus*. Agnosco præterea illud non fuisse commune per totam Ecclesiam, sed particulare quibusdam Ecclesijs; cum quo stat quod Clerici Episcopis suis promiserint obedientiam, cum hoc numquam omissum fuerit, licet de alijs articulis nulla occurrat mentio, nisi in illo Canone.

Objicitur

Objicitur 2. Clerici non obſervant iſtud juramentum, quod indicium eſt, non dari. Probatur antecedens: quia nec Religioſi obſervant, qui per Privilegia ſua Ordinariorum auctoritati eximuntur. Idem de Canonicis, qui ut plurimùm ſimilia habent Privilegia. Deinde particulares Clerici modum excogitant imperium declinandi, ubi quid grave, & ingratum imperatur. Reſp. 1. boni Clerici Epiſcopis ſuis parent, quorum poteſtati legitimè ſubjecti ſunt: ſi qui mali parere recuſent, in obedientiæ ſuæ rationem Deo reddent. Quod tamen non oſtendit eos ad obediendum non teneri. Sic Clericorum malorum, & plebis Chriſtianæ depravati mores, Dei legibus contrarij, non probant eos à legibus Dei liberos eſſe.

Reſp. 2. Privilegia illa, ſive exemptiones ab Epiſcoporum Juriſdictione, probant eos, quibus conceſſæ ſunt, ijs ſecluſis, Epiſcoporum auctoritati ſubjectos eſſe (ad quid enim aut peterentur, aut comederentur, niſi jus eſſet Epiſcopo, abſque illis foret, ab ijs obedientiam exigere?) adeoque confirmant, quæ diximus. Deinde, qui eximuntur per Privilegia Epiſcoporum auctoritati, remanent ſub immediatâ ſummi Pontificis auctoritate. Adeoque nulli ſunt in Eccleſiâ Clerici Acephali, nulli non alicui Epiſcopo ſubjecti, tametſi multi juſtas, uti ſuppono, ob cauſas, ab hujus, vel illius Epiſcopi juriſdictione eximantur.

Fundatum eſt iſtud Epiſcoporum jus ad exigendam hanc à Clericis Promiſſionem in illis Chriſti D. verbis: Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.* Quæ verba Cyprianus fusè explicat epiſt. LV. ad Cornelium, & ſententiam ijs expreſſam allatis alijs tum ex veteri, tum eſt novo Teſtamento locis confirmat. Deinde concludit: *Cum hæc tanta, ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus Sacerdotalis* (Epiſcopalem intelligit) *auctoritas, & poteſtas de Divinâ dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut natæ ſunt Schiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Hæc Cyprianus.

Eadem Epiſcoporum Poteſtas traditur Heb. XIII. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Si enim hi obedire debent, *Præpoſiti* imperare poſſunt. Idem ſupponunt illa Apoſtoli verba 1. Tim. V. 19. *Adverſus Præsbiterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.* Niſi enim Epiſcopus Presbiteri Judex eſſet, formam inſtituendi in eum judicij numquam præſcripſiſſet Epiſcopo. Hinc putant aliqui conſuetis Apoſtoli benedictionibus, *Gratia & Pax* additam in Epiſtolis ad Timotheum, *Miſericordia*: ut ipsâ ſalutatione admoneretur, poteſtate illa judiciali moderatè uti.

B. Ignatius nihil frequentius in Epiſtolis inculcat, quam Obedientiam Epiſcopis debitam. Epiſtolâ ad Smirnæos: *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut* Jesvs Christus

Christus Patrem. ---- *Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum quæ conveniunt in in Ecclesiam.* ----- *Non licitum est. Sine Episcopo, neque baptizare, neque Agapen facere.* ---- *Honorans Episcopum, à Deo honoratus est.* Et alia tam multa, ut oporteret totas ferè exscribere epistolas Ignatianas, si vellemus omnia eum in finem scripta proferre. Et ei συνχρὸν& Policarpus epistolâ ad Philippenses apud Eusebium lib. III. hyst. cap. XXXVI. *Deprecor omnes vos obedientiæ operam dare, & meditari Patientiam, quam vidistis in Ignatio, &c.*

Sacri Canones debitam Episcopis obedientiam sanciunt. can. XL. Apostolorum: *Presbiteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere præsumant: nam Domini Populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum his redditurus est rationem.* Alludit ad verba Apostoli citata. ex Heb. XIII. In secundâ parte: prior verò pars ex Ignatio desumpta est: sicut & canon XIX. Concilij Arelatensis 1. *Presbiteri sine conscientiâ Episcoporum nihil faciant.* Concilium Laodicenum can. XLII. Vetat Altaris ministros quoslibet Episcopi injussu peregrè proficisci. Si ad media sæcula accedamus: Concilium Vernis sub Pipino ann. Dom. DCCLVI. can. II. *Metropolitano cæteri Episcopi obediant.* can. III. *Vnusquisque Episcoporum potestatem habeat, in suâ Parochiâ tam de Clero, quam de Regularibus, & sæcularibus,* & can. VIII. *Vt omnes Presbiteri, qui in Parochiâ sunt, sub potestate Episcopi esse debeant.* Vide etiam Concilij Francofordiensis an. DCCXCIV. celebrati canones VIII. & XXXVIII. Concilij Regio Ticini an. DCCCL. celebrati can. XVIII. & concilij Wormacienſis an. DCCCLXVIII. celebrati can. XIX.

Objicitur: si tam liquido jure fundetur Episcoporum in Clericos omnes autoritas, quâ ratione licitæ sunt exemptiones? Resp. 1. conceduntur volentibus, & consentientibus Episcopis. *Volenti* autem *non fit injuria*, ait Regula juris. Resp. 2. licet eodem divino jure nitatur Summi Pontificis, & Episcoporum auctoritas, dispares tamen esse inter se; & auctoritatem istorum alteri subordinatam esse: quod eæ rationes probant, quæ Primatum Pontificium à Deo manasse probant. Sic in quibusdam Religiosis ordinibus & Provincialium, & Superiorum localium auctoritas ab uno capite Generali Præposito fluunt, licet illis isti subijciantur. In regimine civili ab eodem Imperatore constituuntur & Præfecti Prætorio, & Provinciarum Præsides, & Civitatum Prætores, dispari tamen potestate: & volunt Imperatores aliquos à se constitutos alijs subesse. Sic Christus D. *fecit ut essent duodecim, quos & Apostolos nominauit*, instituit etiam septuaginta duos, & singulis potestatem spiritualem donauit; non vniusmodi tamen singulis. *Posuit* enim, ut ex Apostolo vidimus *Spiritus Sanctus in Ecclesia, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & & Doctores*, omnes idem Spiritus posuit: non tamen sine subordinatione: & Prophetis Spiritus Sanctus secreta revelat: & tamen *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* Sic igitur Pontifices ob istam in totam Ecclesiam, & ipsos jeus Pastores, Potentiam, quam universa Ecclesia agnoscit, in ejusdem Ec-

ſiæ bonum, ſibi quoſdam reſeruat Ordinariorum juriſdictioni exemptos. Hæc de Obedientiâ Clericorum. Ad caſtitatem tranſimus.

CAPUT XLV.

Clericorum majorum Caſtitas.

UNIVERSÆ ferè gentes conſpirant ad aſſerendam Sacerdotum Caſtitatem, ſaltem dum miniſtrant: adeoque id communis veluti populorum vox, & conſenſus, publicumque naturæ ipſius teſtimonium videri poteſt: tametſi molles Hæretici moderni ſuas aures obturent, ne ſonoras naturæ voces incontinentiam ſuam publicio convicio verberantes, audiant. Enimverò ubi Flamines, Augures, Pontifices, Sacrifici, Popæ, alij, qui ſingulari ſtudio continentiam non colerent, & quantum ſe Deo propiores ſuæ dignitatis faſtigio crederent, tantum à prophanis moribus, & intemperanti populorum luxuriâ odio, & inſectatione libidinum non ſegregarentur?

Adeo manifeſta extant hujus puritatis à Sacerdotibus omnis generis Loci, & Ætatis, ambitæ exempla, ut vix opus ſit ea producere. Cybeleos Sacerdotes fontem præciderunt libidinis, & noxijs herbarum ſuccis, maſculas vires expugnarunt, ut veneno, & Chirurgis continentiam aſſequerentur, quam à Deo virtutibus aſſequi deſperabant. Matronæ, Theſmophorijs ſacris operam daturæ, lectis prius incumbebant, vitices foliis ſtratis, cui vim ineſſe creditur, libidinoſum ignem extinguendi. Apud Athenienſes Hierophantæ ſorbitione cicutæ cupidinis æſtum temperarunt. Sacerdotes Ægyptij mortalium abſtinentiſſimi crebris jejunijs, & caſtigatiſſimo victu luxuriæ ſtimulos obtuderunt. Quibus artibus ſuam olim continentiam alerent Veſtales incompertum eſt: certum tamen Romanos illam in eis tanti feciſſe, ac ſi eſſet Imperij Palladium, urbis æternæ Præſidium, & Deus Malorum Averruncus. Unde ſi quæ violati Propoſiti rea reperta eſſet, id Prodigium habitum eſt, piacularibus Sacrificijs procurandum, ad avertendos infauſti ominis diros effectus: Severiſſima pœna in corruptas indicta (vivæ defodiebantur) & ampliſſimis præmijs honoribuſque maximis donata caſtitas: quam ideo *ſtipendiariam, & vili mercedulâ emptam* appellat Ambroſius Epiſtola contra Symmachum.

In lege Moſaicâ omnimoda continentia Sacerdotibus imponi non poterat, ob alligatum uni ſtirpi Leviticæ Sacerdotium. Cum ad altare tamen accederent in ordine vicis ſuæ miniſtraturi, procul à conjugibus habitabant. Imò totus populus legem acceptur us à conjugum ſuarum uſu abſtinere triduò juſſus eſt. Exodi XIX. 15. Idem imperatum, ubi majora feſta, celebriora ſacrificia inſtarent.

Ad

Ad legem Gratiæ veniamus. Ejus Lator Christus D. *Deus Benedictus in sæcula* è Virgine Matre natus, virgo perpetuò mansit. Imò tam perspicuam omnibus esse voluit suam continentiam, ut cum nullum præter incontinentiam crimen ei non exprobrarint ejus maligni hostes, hanc ei objicere nunquam sunt ausi, ne manifestâ criminationis iniquitate confunderentur. Fortè ideo non permisit ipse tale sibi crimen à Pharisæis objici, ut suos non eo crimine tantum; verum etiam ejus omni suspicione liberos esse debere doceret: Ne quis de eo suspectus Christi de eo accusati exemplo se defenderet. Baptista Christi Præcursor inter natos mulierum maximus, virgo itidem fuit. Apostolos aut Virgines elegit, (qualis Joannes dilectus discipulus,) vel viduos, ut Petrus, vel qui de cætero conjugio non uterentur. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum: *Habuerunt uxores Apostoli*, inquit, *sed quas eo tempore duxerant, quo Evangelium nesciebant. Qui assumpti postea ad Apostolatum, reliquerunt Officium Conjugale.* Ex Evangelio hoc desumpsit; Nam Luc. XIV. 26. Inter Personas, à Christi Discipulis deserendas, *Vxor* nominatur.

Exemplum habet ista Castitas in Abel primo Justo, primo Martyre: in Prophetis quibusdam, in Joanne Prophetis majore, in Angelis humanâ naturâ excelsioribus, in Deiparâ Virgine super Choros Angelorum exaltatâ, in Christo D. creaturarum Primogenito. Sic & in Deo naturæ Authore, & in Christo Gratiæ fonte, summa extitit Puritas, quam æmulentur oportet inde fluentes rivuli, Ecclesiastici potissimum.

Nec castitas tantum præsens Sacerdotibus novæ legis necessaria est, verum etiam præterita: ut si non sint Virgines, saltem sint Monogami. Nec ulla major, solemnior, antiquior, Irregularitas, quam Digamiæ. De quâ Scriptura 1. Tim. III. & Titi 1. Quæ Irregularitas etiam ante Baptisma contracta, nequidem Baptismate tollitur, quod omnia crimina delet: ut videre est apud Jnnocentium I. Epistolâ II. ad Victricium Rothomagensem, cap. IV. & VI. Nec tantum Matrimonium duplex; sed etiam simplex cum viduâ, aut corruptâ, Sacerdotalem castitatem polluit: Imò cum propriâ vxore corruptâ concubitus, ut docent omnes Theologi cum Angelico Doctore. Et quod magis mirandum, copula quævis extra unicum Conjugium fornicaria, multis retrò sæculis clericali sanctitati repugnauit.

Sic igitur certum est castitatem à novę legis Sacerdotibus requiri. Unde benè Petrus Blenensis Serm. XXXXII. *Principes terrarum uxores suas Eunuchis ad custodiendum solent tradere. Sic & Dominus sponsam suam Eunuchis tradidit custodiendam Eunuchos per gratiam, & virtutem hic intelligimus, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Et longè ante eum Siricius epist. 1. ad Himerium Terraconensem: *Dominus IESVS Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus formâ, castitatis voluit fulgore radiare.* Et jubet Sacerdotes non continentes deponi.

CAPUT XLVI.

Majores Clerici, etiam conjugati, ad continentiam Iure Eccleſiaſtico tenentur.

ANTIQUISSIMO jure Eccleſiaſtico tenentur ad caſtitatem Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi. Ita Catholici. Græci quidem ex conſuetudine non adeo antiquâ, ut videbimus, Clericis etiam majoribus (Epiſcopis duntaxat exceptis) matrimonij ante conſecrationem initi permittunt uſum. Hoc in ijs tollerat Eccleſia Romana; enimvero qui in ejus gentis Seminarijs Romę educantur, ubi tempus initiationis ſuę inſtat, ſi libeat, poſſunt inire matrimonium. Ubi tamen inaugurati ſunt, non eis permittitur contrahere. Soli Hæretici moderni permittunt Clericis etiam maximis, etiam Epiſcopis, non ſemel tantum; ſed quoties libuerit vxores ducere. Contraquos

Prima concluſio: nunquam permiſſum fuit clericis majoribus, ut plures vxores haberent etiam conſequentèr. Hoc patet ex antiquiſſimâ Irregularitate ex Digamiâ, dequâ ſupra. Enimverò dum Apoſtolus non niſi *vnius vxoris virum* in clerum aſſumi velit, repulit eum qui plures habuerit etiam ſucceſſiuè. Dicunt equidem Hæretici repelli eos, qui plures uxores ſimul habent; non qui ſucceſſiuè. Sed contra: nam Poligamia ſimultanea Romano jure civili prohibebatur etiam Laicis: facinoroſi habebantur tales, & ſeverè puniebantur. Vix autem credi poteſt Apoſtolum eos tantum à Clero removiſſe, quos leges civiles à convictu civium removebant. Deinde Apoſtolus antea dixerat *irreprehenſibiles*, & *ſine crimine* eſſe debere, qui ordinandi eſſent, quibus verbis excluſerat illam Poligamiam ſimultaneam, quę civili gladio caſtigabatur. Confirmatur, nulla Synodus, nullus Pater talitèr illa verba expoſuit: ſignum ergo eſt illam expoſitionem novitiam eſſe, alienam à mente Apoſtoli, & Eccleſiæ ſenſu, nec alium in finem excogitatam, quam ut homines veneri deditiſſimi, extincto conſcientię ſenſu, fræna concupiſcentiæ laxarent.

Secunda concluſio: olim ubique Clericis ejuſmodi prohibitus fuit matrimonij prius initi uſus', Prob. ex concilio Nicæno can. III. *Interdixit*, inquit, *per omnia magna Synodus non Epiſcopo, non Presbitero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiant.* Hæc ſancta Synodus. Nulla de vxoribus expreſſa mentio, quod implicitè continerentur in illis verbis, *quæ ſuſpicionem omnem effugiant*: nulla enim ſuſpicioni magis obnoxia, quam conjux.

Cuſtellus

Juſtellus vir quidem eruditus ; ſed Calvinianæ fidei, ideoque ſuſpenſo gradu, cautè legendus, aut omninò non legendus, *in codice Canonum* pag. CXXXIX. contendit per *ſubintroductas mulieres*, intelligi non vxores, neque concubinas ; ſed *tertij generis mulieres, quas ſecum Clerici non ſobolis, aut libidinis gratiâ ; ſed pietatis ſtudio, aut certè pratextu, fovebant.* Idque probat ex quodam Chriſoſtomi fragmento, quod Rhenanus ejuſdem ſurfuris homo citat. Sed licet demus eas tertij generis fœminas à B. Chriſoſtomo vocatas fuiſſe συνεισακτας, unde probabit eas ſolas à Concilio Nicæno deſignari illa voce ; & non etiam ſecundi, & primi generis, nempe vxores, & concubinas ? De mente enim concilij agitur, quam B. Chriſoſtomus in illo ſermone, ſeu vero, ſive Pſeudepigrapho, non examinat. Nec dicit uſpiam decretum contra *ſubintroductas mulieres*, de illis ſolis intelligendum eſſe, *quæ non ſobolis, nec libidinis gratiâ ; ſed Pietatis ſtudio, aut certè Pietatis pratextu, foverentur.* Quaſi non uxores modò, verum etiam concubinas permiſiſſet concilium : quod ſine dubio non ingratum eſſet caſtitatis hoſtibus, cælibatus inimicis, Veneris mancipijs.

Cæterùm longè aliam fuiſſe concilij mentem didicimus ex Baſilio epiſt. CXCVIII. ad Paregorium Presbiterum ſeptuagenarium, qui conjugem ſuam in domum ſuam admiſerat *nec ſobolis gratiâ*, quod ejus ætatis homo ſtultè ſibi propoſuiſſet, nec libidinis, ut ipſe profitebatur ; ſed ad miniſterium tantum. Hunc tamen graviter objurgat Baſilius ob violatum Nicenum canonem. Deinde concludit : *Eijce eam ex ædibus tuis, & trade eam in Monaſterium ; ſit illa cum virginibus, tu inter viros miniſtra. Lege* CANONEM *à Sanctis Patribus noſtris in Nicanâ Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit, ne quis mulierem ſubintroductam haberet*, Ecce conjugem eiici jubet, idque à Nicenâ Synodo fuiſſe mandatum illis verbis. Hoc Urſinus Presbiter religiosè obſervauit, de quo Gregorius lib. IV. Dialog. cap. XI. dicit : *Hic ex tempore ordinationis ſuæ Presbiteram ſuam* (conjugem intellige) *ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere nunquam ſinebat.* Et ſubinde refert, quod cum quadrageſimo ordinationis ſuæ anno diſcumberet moribundus, aut ut videbatur mortuus, cum uxor aurem ſuam illius naribus admoviſſet, exploratum, num adhuc ſpiraret ; ille collectis ut potuit viribus dixit : *Diſcede mulier, adhuc igniculus vivit, amoue paleam.*

Ex quo conſtat 1. eos, qui Sacerdotio initiarentur uxores ſuas deſerere debuiſſe.

Conſtat 2. non fuiſſe permiſſum eas domum reducere, etiamſi vtriuſque ætas ingraveſcens, & planè capularis, conjugalis actus ſuſpiciorum omnem amoliretur. Talis quippe erat ſenex ille Paregorius, ſeptuagenarius, verum ſilicernium : quem tamen à cohabitatione cum uxore Baſilius vehementi reprehenſione deterruit, ob decretum Concilij Nicæni.

Concinunt alia concilia. Eliberitanum can. XXXIII. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis, poſitis in miniſterio, abſtinere*

abſtinere ſe à Conjugibus, & non generare filios: quod quicunque fecerit, honore Clericatus exterminetur. Quid Clarius vel fingi potuit?

Concil. Carthaginenſe II. (aliqui verè poſtremum inter Carthaginenſia Concilia fuiſſe dicunt) can. II. *Ita placuit, & condecet Sacro-Sanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis deſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimplicitèr, quod à Deo poſtulant, impetrare: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervauit Antiquitas* (notentur iſta) *nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet ut Epiſcopi, Presbiteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ſe ab uxoribus ſuis cuſtodiant.* Ubi non illud tantum obſervandum, quod continentia Sacerdotibus etiam conjugatis injungitur, ſed etiam quod dicantur *Apoſtoli id docuiſſe, & Antiquitas id obſervaſſe.*

Concilium Agathenſe can. X. *Id etiam ad cuſtodiendam vitam, & famam ſpeciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ mulieri quâlibet collatione, aut familiaritate jungatur. Et non ſolum in domo illius extranea mulier non accedat; ſed nec ipſe frequentandi extraneam mulierem habeat poteſtatem, ſed cum matre tantùm ſorore, filiâ, aut nepte, ſi habuerit, aut voluerit, vivendi liberam habeat poteſtatem: de quibus nominibus nefas eſt aliud, quam natura conſtituit, ſuſpicari.*

Concilium Arelatenſe II. can. II. ait: *Aſſumi nemo poteſt ad Sacerdotium ſub matrimonij vinculo Conſtitutus, niſi fuerit promiſſa converſio.* Et can. ſequente, nempe III. *Si quis de Clericis à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter Aviam, & Matrem & neptem, ſororem, filiam, vel converſam ſecum uxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur. Par quoque mulierem, ſi ſe non ſeparaverit, pœna percellat.* Idem de Diaconis ſtatuit Synodus Arauſicana I. can. XXII. & can. XXIII. jubet deponi Clericum cum conjuge ſuâ mixtum. Idem decernit ſyn. Aurelianenſis III. can. II. Quæ addit Epiſcopum, qui negligit depoſitionis pœnam Clerico cum uxore propriâ mixto infligere, ad tres menſes ab officio ſuſpendendum, quibus Pœnitentiam agat. Notentur octo primi canones hujus concilij. Item concilium Arvernenſe can. XII. & concilium Aurel. IV. can. XVII. & Aur. V. can. IV.

Concilium Teleptenſe citat, & approbat epiſtolam Siricij, in cujus cap. IX. prohibetur uſus conjugij Clerico conjugato. Vide concilium Girundenſe can. V. Altiſiodorenſe can. XXI. Turonicum an. CCCCLXXXII. can. II. Wormacienſe, an. DCCCLXVIII. can. XI. Moguntinum an. DCCCLXXXVIII. can. XIX. Notandus præ cæteris concilij Braccarenſis III. canon IV. permittens conſortium cum ſolâ matre; vetat etiam ſub pœnâ depoſitionis cum ſorore.

Hinc *converſio conjugis*, ſiue continentiæ Propoſitum, requiritur à Synodo Arelatenſi ſecundâ citatâ: Concilium verò Agathenſe can. XVI. decernit uxoris conſenſum in mariti ordinationem petendum: & eâ profeſſione contenti Eccleſiæ Præſules, permiſerunt conjuges unâ in Domo vivere. Verùm

rùm cum triſti experientiâ conſtaret non ſatis proſpectum continentiæ conjugum eo Propoſito, novo jure revocatum eſt in uſum decretum Nicænæ Synodi, eos ab invicem ſeparans non quoad thorum aut menſam tantum; ſed etiam quoad cohabitationem, atque convictum. Et quo meliùs uxoris relictę pudicitiæ conſuleretur, nemo ad ſacros ordines admittitur, niſi ejus conjux eodem tempore in approbato Monialium ordine caſtitatem voveat. *Can. Vxoratus, de converſ. Conjugatorum.* Similitèr nec mulieri continentiæ propoſitum permittitur, ſine conſenſu mariti. Hinc Auguſtinus epiſt. CXCIX. Ecdiciam reprehendit, quod ob tale propoſitum marito non conſentiente conceptum, huic gravium peccatorum præbuiſſet occaſionem. Laudat tamen illud Propoſitum, ubi maturâ præmiſſâ deliberatione, mutuo conſenſu ſuſcipitur. De quo videndus etiam Baſilius in reg. fuſior. cap. XII. Paulinus lib. IV. epiſt. III. ad Aprum, Theodoretus lib. IV. hyſtor. cap. 1. & Gregorius lib. IX. Regiſtri Indict. IV. epiſt. XXXIX. ad Theoctiſtam: ubi cum negaſſet alterutri conjugum licere continentiam profiteri, ſine alio, addit: *ſi verè utriſque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accuſare?* ---- ----. Enimverò permiſit Apoſtolus expreſsè ſeparationem ad tempus, orationis causâ, cum onere iterum conveniendi, ad vitandam incontinentiam. 1. Cor. VII. *Nolite fraudere invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis Orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Quam ergo ſeceſſionem temporalem, & perbrevem eſſe voluit Apoſtolus, ob incontinentiæ periculum, eam Eccleſia perpetuam eſſe permittit, ubi aliundè utriuſque continentiæ cavetur.

Obicitur 1. Græcis Sacerdotibus permittitur conjugum uſus, ut vidimus. Illum ergo leges Eccleſiaſticæ permittunt. Reſp. Græcis illis permittitur conjugij uſus, non quia bonus; ſed ad vitandum majus malum: ſicut ſimilem ob cauſam Repudium olim Judæis permiſſum fuit, *ob duritiam cordis*: Non tamen ideo in Occidente permittendus eſt, tum quia non par eſt illic incontinentiæ periculum: tum quia quicunque ſacris initiantur, in Occidente, VOTUM CASTITATIS emittunt: cujus admonentur à Pontifice his verbis: *Si hunc ordinem ſuſceperitis*, ait Subdiaconis ordinandis, *amplius non licebit à Propoſito reſilire; ſed ----- Caſtitatem Deo adjuvante ſervare oportebit.* Et ex Synodi Ancyranæ can. IX. patet ſimile volum annexum fuiſſe ordinibus ſacris in Eccleſiâ Græcâ, ſi qui initiabatur taceret, & non contra proteſtaretur. Et verò Græcos idem olim obſervaſſe videbimus Deo dante c. ſequenti.

Objicitur 2. Synodus Quini ſexta, ſive Trullana can. XIII. non ſolùm Clericis permittit conjugum ſuarum vſum; ſed etiàm Anathemate ferit eos, qui Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos à conjunctione cum uxoribus legitimis ſubmovent. Ergo probanda eſt Eccleſiæ Græcæ conſuetudo. Nego conſequentiam. Nec enim legitimè conditus eſt ille canon, tum quia illi

refragati

refragati sunt sedis Apostolicæ Legati : tum quia non fuit ab illius, aut aliarum sedium Patriarchalium Episcopis approbatus : tum denique, quia nunquam in praxim reductus. *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Prou. XVIII. Meditabatur autem Ecclesia Græca tempore, quo canon ille conditus est, à Romanâ secessionem : & cum opportumior fœdi Schismatis prætextus non occurreret, hunc arripuerunt Græculi : licet in eâ consuetudine conveniret Ecclesia Romana cum Antiquâ Græcâ, ut patet ex Concilio Nicæno, & Basilio citatis. Deinde cum hæc eadem Synodus can. XII. decreviſſet Episcopos à conjugibus suis separandos esse: quo jure, quâ ratione damnat eos, qui Sacerdotes à suis separant ? De utrisque enimverò par est ratio.

Obijcitur 3. Synodus Ancyrana can. IX. ait : *Diaconi quicunque cum ordinantur, si in ipsâ ordinatione protestati sint & dixerint velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt, hi si postmodum uxores duxerint, maneant in ministerio, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptijs obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.* Resp. Hoc probat tantum Episcopum in voto continentię Diaconatui annexo dispensare, quoties ordinat aliquem, qui declarat se nolle continere, aut Protestationem illam votum tollere, idque in facie Ecclesiæ, quia votum à nolente non emittitur. Dicit Balsamon canonem istum abrogatum fuisse à Synodo VI. generali can. VI. ubi solis cantoribus, & Lectoribus permittitur uxores ducere.

Ubi nota nec Grecis, nec modernis Hæreticis favere hunc canonem. Non Græcis ; quia permittit nuptias ordinato, modo declaret se nolle continere : At Græci id non permittunt. Nec Hæreticis, quia continentiæ Votum ordini annecti supponit, nisi ratione Protestationis interpositæ, in eo dispensetur : *Quod ijs Episcopus licentiam dederit*, scilicet contrahendi, aut contracto matrimonio utendi.

Obijcitur 4. Paphnutius magnæ in Synodo Nicænâ dignitatis, magnæ apud pios omnes auctoritatis, cum cęlibatum Clericis indicere vellent illius Synodi Patres, decreto interceſſit. Ergo non est indicta continentia omnibus Clericis majoribus. Resp. 1. hoc nocet adversariorum causæ, cum inde colligatur unum tantum Patrem matrimonio Clericorum faviſſe ; reliquos omnes ei adversatos fuisse. Resp. 2. videtur conficta à Græculis, in Hystoriâ mendaciorum audacibus architectis (ut jam olim à Poëta observatum est) qui illam Socrati persuaserunt, quem deinde sine examine Sozomenus secutus est. Enimverò præterquam quod in eâ Synodo Canone III. disertè sancita est Clericorum continentia, & à conjugibus separatio, vidimus Basilium eandem à suis Clericis etiam senibus & effætis exegisse. Synodus IV. Generalis Can. XIII. ait quibusdam in Provincijs concedi Psalmistis, & Lectoribus uxores ducere : quasi nusquam id majoribus permitteretur, quia nec minoribus ubique.

Petes

Petes an non fuerit aliquando dispensatum universim in Clericorum continentiâ, ita ut cuilibet Clerico sæculari licitum esset inire matrimonium? Respondeo: nunquam. In Germaniâ & Angliâ, fortè & Galliâ, factum aliquando ut uxores ducerent, vel concubinas palam haberent. Quod ex Episcorum nimiâ, & perniciosâ facilitate & conniventiâ; non jure, factum est, Concilijs reclamantibus, & abusum severissimis decretis coercentibus. Videantur concilia Claromontanum an. Dom. MXCV. can. IX. & X. Pictavense an. MC. ante finem, Londinense, an. MCII. Item aliud Londinense, an. MCLXXIX. Dalmaticum, an. MCXCIX. can. II. Londinense, an. MCCXXII. can. XXXI. &c. Ex quibus liquet libidinem itentidem conatam fuisse solvere continentiæ Fibulam ex Apostolicâ Traditione clericis impositam; sed eandem toties fuisse in Ecclesiæ comitijs reparatam.

CAPUT XLVII.

Patres Clericorum cælibatum adstruunt.

Licet ex dictis constare videatur, quid Patres hac in re senserint: cùm certum sit eos non alia sensisse seorsim, quàm quod in Synodis decreverant, nec unquam concilijs adversari, tamen id clariùs ostendendum.

Origenes hom. XXIII. in num. *Illius solum est offerre Deo sacrificium*, inquit, *qui indesinenti, & perpetuæ se devouerit Castitati.*

Eusebius L. 1. de Demonst. Evang. c. IX. *eos, qui sacrati sunt*, inquit, *atque in Dei cultu ac ministerio occupati, continere se deinceps ab uxoris commercio decet.*

Hieronimus Lib. contra vigilantium: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: etsi uxores acceperint, mariti esse desinunt?* vidimus ex ipso supra, Apostolos ipsos, qui conjugati erant, uxores suas reliquisse.

Basilij mentem supra vidimus ex Epist. CXCVIII. qui Sacerdotem decrepitæ ætatis, viribus ad venerem non suffecturis, jubet tamen à conjuge separari.

Chrisostomus hom. II. de Patientiâ Job. *sic dicit Apostolus, unius uxoris virum, non eâ ratione, ut id nunc in Ecclesiâ observetur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.*

Possidius in vitâ Augustini c. XI. *In Monasterio Augustini servi Dei servarunt Propositum continentiæ, cum paupertate profundâ.*

Epiphanius ad finem operis contra Hæreticos: *Sanctorum Sacerdotium ex Virginibus, ut plurimùm, aut ex solitarijs, aut si hi ad ministerium non sufficerint, ex his constituitur, qui proprijs ab uxoribus se continent. Et si quis*

ab initio continens fuerit, aut viduus, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbiteri, Diaconi, aut ſubdiaconi. Et hæres. LIX. quæ eſt catharorum: *Adhuc liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſia non adſcripſit; ſed eum, qui ſe ab unâ continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, aut Hypodiaconum, aut Epiſcopum, aut Presbiterum, maximè ubi ſunt ſinceri Canones Eccleſiaſtici. At Dices mihi, quibuſdam in locis filios gignere Presbiteros, Diaconos, aut Hypodiaconos. At id non eſt juxta Canonum; ſed hominum mentem, qua per tempus elanguit.* Hæc Epiphanius.

Ex poſtremis hiſce verbis patet circa Epiphanij tempora elanguiſſe pietatem, deque primitivæ diſciplinæ rigore multum remiſſum eſſe. Præter Nicænam Synodum, de quâ ſupra, etiam Chalcedonenſis Can. XIII. ait *quibuſdam in Provincijs conceſſum eſſe Pſalmiſtis & Lectoribus uxores ducere.* Unde patet non univerſalitèr permiſſum etiam minoribus Clericis Conjugium; nullibi verò majoribus, ſive Sacerdotibus, Diaconis & Hypodiaconis.

Conſtat ulterius, permiſſionem illam, ac Indulgentiam priſcis Eccleſiæ moribus adverſari, natam eſſe ex relaxatione veteris, & Apoſtolicæ diſciplinæ, obtinuiſſe paulatim, invitis plerumque, & pro virili repugnantibus Epiſcopis quibuſque pientioribus. Idque, uti mihi veroſimile eſt, circa Juſtiniani Imp. tempora. Ipſe ſiquidem C. *ſancimus. De Epiſcopis, & Clericis:* ait: *ſancimus neminem ad Epiſcopatum ordinari, niſi & in alijs rebus utilis ſit, & optimus, & neque mulieri cohabitet, neque liberorum exiſtat pater; ſed loco uxoris adhæreat, & continens ſit circa ſanctiſſimam Eccleſiam; Loco verò Liberorum, omnem Chriſtianum, & Orthodoxum habeat populum.* Deinde in novellâ conſtit. VI. Cap. V. *neque ſecundas habentem, aut eum qui habuerit nuptias ordinari in Diaconum, aut Presbiterum, neque ſi mulieri conjungatur ſejunctæ, & proprium virum derelinquenti: ſed neque ſi concubinam habeat. ------ Nihil enim ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quam cum caſtitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes. ------ ſi autem aliquis Presbiter, aut Diaconus, aut Subdiaconus poſtea ducat uxorem, aut concubinam, aut palam, aut occultè, ſacro ſtatim cadat ordine, & deinceps Idiota ſit.* Ubi clariſſimè ſtabilit Clericorum continentiam. At verò novellâ XXII. Cap. XXXXII. decernit deponi Sacerdotem Digamum, qui ſcilicet vel viduam, vel à marito derelictam, vel corruptam duxiſſet. Unde permittere tacitè videtur matrimonium Clerici etiam majoris, Sacerdotis nimirum, modo ſit cum Virgine: quod Græci etiamnum obſervant.

Stabilitâ jam utcumque illâ relaxatione, & in praxin reductâ in ſolo C. P. Patriarchatu aut ut melius dicam in illis Græciæ partibus, quæ Juſtiniano parebant, proximum fuit efficere, ut & alibi id obtineret. Nullam invenio reſiſtentiam ab Orientalibus, aut Cophtis factam. Sola Eccleſia Romana ut aliarum, ita etiam iſtius Traditionis retinentiſſima fuit: quamobrem Concilij

Trullani

Trullani Patres peſſimo & ad id temporis inaudito exemplo audaciæ, in eam Anathematis fulmen jaculati ſunt. Hoc exemplum ſecuti ſunt Hæretici moderni: qui dogmata cudunt antiquis ignota, doctrinæ Apoſtolicæ (quam, velut ſacrum depoſitum, immutatam ſervari debere monet Apoſtolus) adverſa: quæ primo contendunt admitti tanquam non mala: deinde urgent ut bona, tum injungunt ut neceſſaria, & ferro flammâque in diſſentientes ſæviunt.

Eccleſia tamen Occidentalis Chriſti Vicario, Petri ſucceſſore innixa mandatis ejus adhærens, nec Græcorum brutum fulmen extimuit, nec eorum minis ceſſit, nec languentium in Pietate clericorum ſuorum indulſit votis; ſed ut ab initio, ita & nunc & ſemper Traditionem iſtam eodem tenore commendat, antiquas leges ad compeſcendum in pejora ruentium libidinem innovat: ubi antiquæ non ſatis eſſe videntur, novas condit: ut in antiquo corpore Juniores vires non deſideres, & nihil de Priſtino fervore remiſiſſe videatur, & diuturnitas nihil ei niſi dignitatem: & immutabilitatis divinæ quodammodo particeps effecta, ſic ſæculorum viciſſitudines præterierit, ut eas non ſit experta. Cui in longævâ gravitate virilis firmitas ſemper adeſt, ſemper aderit, ipſo Spiritu ſancto vires ſuggerente.

CAPUT XLVIII.

Pœnæ in Clericos incontinentes conſtitutæ.

DONEC viguit ille Puritatis Amor, quem Chriſtus Virgo, Virginiſque filius, virginum ſponſus, virginitatis amator, Diſcipulis ſuis inſevit, exemplo monſtrauit, doctrinâ confirmauit, exquiſitis verbis identidem commendauit, fruſtra fuiſſent adhibitæ leges pœnales ad illum roborandum, utpote quæ non niſi in ſubſidium deficientis amoris adhibentur: at verò eo vel languente, vel penitus extincto in multis, neceſſe fuit, alijs illam virtutem legibus fulcire, ut ei ſtuderent Clerici, ſi non amore Juſtitiæ, ſaltem formidine pœnæ.

Quam ſeverè olim animadvertebant Eccleſiæ Patres in Idololatras, Mæchos, & Homicidas, nemini ignotum eſſe poteſt, niſi cui tota antiquitas ignota ſit. Cum tribus iſtis laicorum criminibus recenſeri debet incontinentia Clericorum: quam proinde ſeveriſſimè plexa eſt Eccleſia. Enimverò.

Concilium Neocæſarienſe can. 1. *Presbiter, ſi uxorem duxerit*, inquit, *ab ordine ſuo deponi debet: quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam rejiciatur, & ad pœnitentiam inter Laicos redigatur.* Depoſitio proinde pœna erat cuilibet incontinenti clerico inflicta: & licet plerumque canones eâ ſolâ pœnâ Clericorum peccata punierint, & frequentiſſimæ ſint

Ecclesiasticæ leges eadem crimina in Clericis depositione, in Laicis excommunicatione castigantes, adeoque Depositio satis magna pœna videri posset, additur tamen his excommunicatio,& Publica Pœnitentia, Clericis fornicarijs & Adulteris. Duas autem ob causas graviori pœnâ plectitur Fornicarius, aut Adulter, quam uxorem ducens : prima est, quia fornicatio & Adulterium sunt actiones de se malæ ; cum conjugium de se bonum sit, licet huic personæ in sacris constitutæ sit illicitum ? Secùnda : quia gravior est injuria proximi Adulterium, quam matrimonium. Dici tamen potest, conjugij onus, & quod vocat Apostolus *Afflictionem carnis*, Pœnitentiæ publicæ, & quidem valde magnæ locum habuisse, ex mente illorum Patrum.

Petes : uter gravius peccet Clericus adulter, (idem de fornicario) an uxorem ducens ? Resp. 1. olim gravius peccabant Adulteri : quia mœchia ultra sacrilegium ob votum violatum quod committebatur unum erat ex tribus gravissimis peccatis, quorum remissio difficillima habita fuit, & ob quæ gravissima, maximèque diuturna Pœnitentia fuit imposita. Cum per conjugium violaretur quidem votum castitatis in sacrorum ordinum susceptione emissum, sed nullum aliud crimen interveniebat, quia matrimonium ratum erat.

Resp. 2. Nunc longè gravius peccatum est, velle contrahere matrimonium, quam mœchari. Ratio est, quia matrimonium est invalidum & conjugium Clerici merus est concubinatus. Unde qui matrimonium init, dum perpetuò cum conjuge prætensâ vivere promittit, promittit totâ utriusque vitâ concubinatum : quod longè gravius peccatum esse constat, quam semel offendisse contra Propositum. Deinde solemnitas ipsa matrimonij in facie Ecclesiæ contracti circumstantia est peccatum valde augens.

Innocentius 1. epist. II. cap. IX. & ante eum Siricius epist. 1. ad Himerium Terraconensem Episcopum cap. VII. deponi jubent Clericos incontinentes. Eruditissimus Petrus de Marca lib. 1. concordiæ cap. VIII. n. IV. dicit Siricium omnium primum, ex privilegio sedis suæ clericorum incontinentiam depositione mulctasse. In quo memoriâ lapsus est : nam constat longè ante Siricij tempora concilium Eliberitanum idem decrevisse de Clericis etiam conjugatis suas uxores cognoscentibus ; ait enim can. XXXIII. *Placuit in totum*, ut Episcopi ----- ac Subdiaconi *abstineant ab uxoribus, & non generent filios : quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Dicit quidem Concilium Agathense can. IX. *Placuit, ut si Presbiteri, vel Diaconi conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Episcopi auctoritas.*, ----- *servetur.* Unde pœnam illam à solis Innocentij, Siricijque decretis arcessunt, & Innocentius Siricium citat ; Siricius verò neminem : adeoque primus id decrevisse visus est. Verum cum decretum Eliberitanum longè antiquius esse constet, dicendum videtur illius Concilij decreta necdum Romam allata fuisse, cum ea scriberentur ab ijs Pontificibus : Adeoque ab iis ignorari potuisse. Non tamen ignota fuerunt Domino de

Marcâ

Marcâ, qui ea aliquoties citat : licet non occurrerint dum iſta ſcriberet.

Concilium Ilerdenſe can. V. Clerico poſt primum Incontinentiæ peccatum imponi Pœnitentiam jubet, modò reſipiſcat, & lapſum defleat : vetat tamen eum ulterius promoveri. Si ſecundò peccet, depoſitio decernitur, ſine ſpe reſtitutionis. Deinde can. XV. deponi jubet clericum, qui admonitus à familiaritate mulierum non abſtinet.

Deponi debere Clericos conjugibus ſuis utentes vidimus ſuperius. Turonenſis Synodus I. can. II. (habita eſt an. CCCCLXXXII.) eos ab officio ſuſpendi jubet. Concilium verò Turonenſe II. (celebratum an. DLXX.) can. XIX. Jubet ut clerici quicumque conjugati, ſi invillam ſuam divertant (ubi ſcilicet degebant eorum conjuges) ſecum Clericos aliquos vel aliquem habeant, qui cum illo *ambulet*, & *in cellâ*, (cubiculo) *ubi illi jacent*; *lectum habeat pro teſtimonio*. Et poſt pauca : *Nam ſi inventus fuerit Presbiter cum ſuâ Presbiterâ, aut Diaconus cum ſuâ Diaconiſſâ, aut Subdiaconus cum ſuâ Subdiaconiſſâ, annum integrum excommunicatus habeatur, & depoſitus ab omni officio Clericali, inter Laicos ſe obſervare cognoſcat; eo tamen permiſſo ut inter Lectores in Pſallentium choro colligatur.* Hæc illa Synodus. Ubi nota, conjuges etiam à maritis Clericis ſeparatas, nomen ſortiri gradus, ad quem mariti eſſent promoti. Sic alibi occurrit *Epiſcopa* nomen, quia ſcilicet ejus fœminę maritus ad Epiſcopalem dignitatem eſſet evectus. *Vxor* enim, ut ait, jus civile, *fulget radijs mariti.*

An. Domini MCXXXIX. celebratum eſt in Laterano Concilium ſub Innocentio Papa. II. Cujus can. VI. decernitur, eum omni officio & beneficio Eccleſiaſtico privari, qui vel uxorem, vel concubinam habuerit. Et can. VII. *præcepit, ut nullus, eorum Miſſas audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognouerit.* Quæ erat quaſi partialis excommunicatio, quatenus vetat alios cum Clericis concubinarijs in ſacris convenire.

Cæterum cum omnes iſtæ pœnæ quantumuis graues, vix ſufficerent ad firmandam Clericorum continentiam, Concilium Lateranenſe I. ſub Caliſto Papâ II. & Henrico Imp. V. can. XXI. hæc habet : *Presbiteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus : contracta quoque matrimonia ab ejuſmodi perſonis diſiungi, & Perſonas ad Pœnitentiam debere redigi, juxta ſacrorum Conorum diffinitionem judicamus.* Et Concilium ibidem ſub Innoc. II. Celebratum can. VII. mox laudato decernit : *Qui Sanctum tranſgredientes Propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiarum regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus.* Denique Tridentina Synodus ſeſs. XXIV. can. IX. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares Caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ, vel vota, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, ------- Anathema ſit.*

Ubi nota : nullum decretum diſertè, & directè irritans Clericorum matrimonia

matrimonia inveniri antiquius illo, quod Caliſti II. tempore in concilio Lateranenſi editum eſt. Et eatenus fortè non malè dixit ſæpè citatus Marca Illicita olim fuiſſe illorum matrimonia; non verò irrita, ante Caliſtum II. Cum tamen ipſe Caliſtus dicat ſe ibi *juxta Sacrorum Canonum diffinitionem judicare*, niſi irreverentèr eum falſi damnare velimus, fatendum eſt antiquiores canones idem ſaltem implicitè, & indirectè imperaſſe. Certè æquivalentèr idem decernit Synodus Toletana IV. can. LI. *Nonnulli Monachorum*, inquit, *egredientes de Monaſterio non ſolum ad ſæculum revertuntur; ſed etiam uxores accipiunt. Igitur revocati in eodem Monaſterio, à quo exierant, Pœnitentiæ deputentur: ibique defleant peccata ſua, unde ceſſerunt.* Hæc ibi: quę æquivalentèr matrimonium ſupponunt irritum, alioqui virum à conjuge verâ non ſeparaſſent: id enim illicitum eſt. Unde Concilium Neocæſarienſe deponendum eſſe Clericum decernit; ſeparandum non docet à conjuge, quia matrimonium ratum erat.

Rodericus quæſt. Regul. tom. III. q. 1. art. II. Et Suarez tom. III. de Relig, lib. IX. cap. XXI. aſſerunt à Synodo Lateranenſi ſub Innocentio II. fluxiſſe votorum ſolemnitatem, ignotam ad id tempus in Eccleſiâ: quia ſcilicet crediderunt ibi primùm voto ſolemni caſtitatis annexum impedimentum matrimonij dirimens. Cæterum jam vidimus ſimile decretum à Caliſto PP. II. promulgatum in aliâ Synodo Lateranenſi anteriori; quæ Synodus Later. Sub Caliſto celebrata eſt an. Dom. MCXXII. cum alia ſub Innocentio PP. II. non niſi poſt XVII. Annos habita ſit, nempe an. Dom. MCXXXIX.

Deinde *Cap. Presbiterii. D.* 27. ab Urbano PP. II. in Concilio Rom. editum, idem decernitur. Sedere autem cepit Urbanus iſte an. Dom. ML XXXIX. quinquaginta annis ante concilium Lateranenſe ſub Innocentio II. Concilium verò Toletanum IV. celebratum eſt an. Dom. DCXXXIII. Adeoque quingentis & ſex annis præceſſit Synodum illam Innocentij: Adeoque antiquius multò eſt decretum irritans indirectè matrimonia eorum, qui votum caſtitatis emiſerunt, quam putant Eruditiſſimi illi Patres.

Petes: quomodo fieri poſſit, ut irritentur illa matrimonia? Habet ne Eccleſia in ipſum Sacramentum poteſtatem? Reſp. Eccleſia nullum in Sacramenta ulla jus prætendit, quæ fatetur à Chriſto Domino inſtituta ab eo ſolo pendere. Nec etiam in materiam, aut formam eorum, ut tales ſunt, jus exercet. Tamen ſi forma ſumatur materialiter, pro verbis quæ de facto ſunt forma, in illa poteſtatem habet. v. c. efficere non poteſt Eccleſia, ut verba conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum*, à Sacerdote debito modo prolata, non conſecrent, ſed tamen ſi mutet eorum ſignificationem, (quod facere poteſt) non amplius erunt verba conſecrationis; dependet enim eorum effectus à ſignificatione: hæc verò ab hominum arbitrio, cum ſint ſigna ad placitum. Matrimonium verò hoc habet ſingulare, quod ejus materia ſit etiam quid morale, contractus ſcilicet civilis inter virum & fæminam, indiſſolubilis, conſtans, &c. Contractus autem civiles ab hominum arbitrio pendent, tum

quoad

quoad perſonas contrahentes, tum quoad circumſtantias contractum afficientes. Sic irritos reddit jus civile contractus Pupillorum, declarando eos eſſe inhabiles ad contrahendum. Ad emptiones etiam paulo ſolemniores, aut rerum magni valoris: quæque Patria ritus aliquos habet ſibi proprios, qui ſi omittantur, contractus irritus habetur.

Utroque iſto modo Eccleſia ſuam poteſtatem exercuit non quidem circa Sacramentum Matrimonij; ſed circa materiam ejus. Circa Perſonas contrahentes, quia declarauit Clericos, & eos, qui votum caſtitatis in Religione approbatâ emiſerunt, ſive Profeſſi ſunt, eos etiam qui vota ſimplicia in Societate, inhabiles eſſe ad contrahendum matrimonium: unde quantumcunque id efficere conentur, nihil efficient, circa circumſtantias verò ſolemnizantes, dum clandeſtina matrimonia nulla declarauit; ſed requiſivit Præſentiam Parochi tanquam teſtis, ſine quo non ſubſiſtat contractus. Hæc obiter, quia ſpectant ad materiam de matrimonio, unde plura ad idem ſpectantia peti poſſunt. Illic etiam dicitur, quis habeat poteſtatem impedimenta matrimonij conſtituendi? Quam aliqui ſoli Eccleſiæ aſſerunt, alij etiam in Principibus quibuſque ſupremis etiamnum agnoſcunt.

CAPUT XLIX.

Epilogus eorum, quæ de Cleri Caſtitate dicta ſunt. Vbi, de Voto Caſtitatis.

EX dictis apparet, varia eſſe vincula, quibus Clerici tenentur ad Caſtitatem. Primum eſt ex quâdam condecentiâ naturæ rationali inſitâ: ratione cujus, etiam ipſi Pagani aut verè caſtos, aut caſtitatem ementitos, & ſimulantes in ſacris ſolos miniſtrare voluerunt.

Alterum eſt. Exemplum chriſti D. qui virginitatem perpetuò coluit: ex virgine natus, virgo mortuus eſt, morienſque Matrem ſuam Virginem Virgini diſcipulo commendavit. Hunc imitari debent, qui ad ejus Sacerdotium evecti ſunt.

Tertium eſt duplex Eccleſiæ Lex, ſcripta, & non ſcripta, conſuetudo. Traditione enim ab Apoſtolis deductâ conſtat exactam à clericis fuiſſe continentiam. Ad quarti uſque ſæculi finem nulli Eccleſiæ Miniſtro impunè fuit, impudicè vixiſſe. Non multò poſt in Eccleſiâ Græcâ vigor ille diſciplinæ non nihil remiſit & laxitas illa, ſeu relaxatio, veluti contagione alias Eccleſias in Oriente pervâſit: ita tamen ut nec Epiſcopos, nec Religioſos (*Calojeros*. Appellant) inficere potuerit: Sicut nec ullos clericos majores

jores in Occidente, qui inundante fædiſſimi peccati lue, ſub Auctoritatis Apoſtolicæ clipeo tuti delituerunt.

Quartum eſt, pœnæ graviſſimæ Clericis non continentibus in ſacris Canonibus impoſitæ: quarum aliquæ etiam Laïcos afficiunt, qui incontinentium Clericorum ſacra tantum audiunt.

Quintum accedit, Præmia ampliſſima virginibus propoſita. Honorantur in hoc mundo, tanquam in carne ſine carne viventes: coronantur in altero, & ſequuntur Agnum, quocumque ierit, facti illius comites individui.

Sextum denique eſt Votum. Oſtendimus enim ex Pontif. Romano ex admonitione Pontificis ad eos, qui creandi ſunt Subdiaconi, votum emitti ab ijs. Idem oſtendimus etiam ex Concilio Ancyrano. Quibus hæc inſuper addimus: Concilium Tolet. II. Can. 1. ſupra laudato: cum dixiſſet infantes à Parentibus oblatos in Domum Eccleſiæ accipiendos eſſe, addit: *Vbi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius Cleri plebiſque conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur, quibus ſi gratia Caſtitatis (Deo inſpirante) placuerit, & promiſſionem Caſtimoniæ ſuæ abſque conjugali neceſſitate reſponderint ſervaturos, hi tanquam appetitores arctiſſimæ viæ leviſſimo Domini jugo ſubdantur: ac primò Subdiaconatus miniſterium, probatione habitâ Profeſſionis ſuæ, à vigeſimo anno ſuſcipiant. ----- Cavendum tamen his eſt, ne quando ſuæ ſponſionis immemores, ad terrenas nuptias, aut abortivos concubitus recurrant. Quod ſi fortè fecerint, ut SACRILEGII rei, ab Eccleſiâ habeantur extranei.* Deinde ſubdit permittendum illis Conjugium, qui anno decimo octavo interrogati, ut ſupra, reſponderint ſe illud appetere, nec continentiam profiteri velle.

Concilium Toletanum IV. Canone XXVI. *Quando Presbiteri, vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primum Profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſtè, & purè vivant ſub Dei timore, ut dum eos talis Profeſſio obligaverit, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant:* & habetur C. *Quando. diſt.* XXVIII. unde conſtat inſtitutam *votorum Renovationem* jam tum in Eccleſiâ, quam tot ſæculis poſt ea tempora B. Ignatius in Soc. *ab eo fundatâ conſtituit.*

Hæc, & id genus alia paſſim obvia, ſi obſervaſſet Aurelius; nunquam adeo vota elevaſſet, veluti priſcis ſæculis ignota: ſed Odium in Religioſos votis adſtrictos effecit, ut quæ ubique clarè extant videns non videret, & ſonoras antiquorum voces audiens non audiret. Idem de Reverendiſſimo Bellicenſi Epiſcopo, votis iniquiori dicendum.

Denique an. Dom. MCII. celebratum ſub B. Anſelmo Londini Concilium hæc decrevit in rem noſtram: *Vt nullus Archidiaconus Preſbiter, Diaconus, Canonicus, uxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non eſt, ſi poſt Profeſſionem Caſtitatis, uxorem duxerit, eâdem regulâ conſtringatur.*

Vt Presbiter quamdiu illicitam converſationem mulieris habuerit, non ſit legali,

galis, nec missam celebret, nec si celebraverit, ejus missa audiatur.

Vt nullus ad Subdiaconatum, aut supra, ordinetur, sine Professione Castitatis.

APPENDIX.

De Voto Castitatis Virginum & Viduarum, ubi de votis simplicibus Matrimonium Irritantibus.

VIDVAS Continentiam Deo vovisse, vidimus cap. XXXXI. ex Apostolo. Jam id ex Concilijs astruere conabimur, etiam de Virginibus Deo sacratis: Aurelianensis Synodus III. Can. XVI. *De Raptu Virginum Consecratarum id statuimus, ut quicunque sacratæ, vel Devotæ, id est Religionem Professæ vim inferre præsumpserit, à Communione Ecclesiastiâ usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei in infirmitatis periculo reservato: Quod si quæ rapta dicitur, cum raptore habitare consenserit, & ipsa excommunicatione simili feriatur.*

Synodus Turonensis II. can. XX. *Quia in sententiâ Papæ Innocentij ad Victricium Rhotomagensem Episcopum latâ, legitur scriptum de Virginibus, quæ Christo spiritualitèr nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea nupserint, quod vix ad agendam Pœnitentiam mereantur accedere, &c. Nos hoc sequentes, quod vel Apostolus, vel Papa Innocentius statuit, in Canonibus nostris inserentes statuimus observandum, ut nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutauit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat.*

Synodus Matisconensis 1. can. XII. *Puella Deo vota, si postea ad conjugium (potius stuprum) transierit, usque ad exitum cum eo, qui se ej sinodi consortio miscuerit, communione privetur. Si verò Pœnitentiâ ducti se sequestraverint, quamdiu Episcopo loci visum fuerit, à communionis gratiâ suspendatur: ita tamen ut sub vitæ finem communicent.*

Synodus Toletana IV. can. LIV. viros excommunicationi subijcit, qui cum tonsurati Pœnitentiam professi essent, habitum resumunt, *nisi comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam renoventur.* Et can. LV. Viduas sanctimoniales, quæ mutato habitu sæculari, sub Religioso cultu sub conspectu Sacerdotis, & Ecclesiæ, apparuerant, si ad nuptias transeant, non sine damnatione futuras asserit, quia se *primùm Deo VOVENTES, postea Castitatis propositum abiecerunt.*

Synodus Toletana X. can. IV. Nè causarentur viduæ se non verè professas fuisse castitatem, jubet id expressè scripto à se signato testentur, & à Sacerdote habitum sumant suo statui convenientem, quem nunquam depo-

nant. Et can. V. decernit cogendas ad reditum, si quę, concupiscentiâ incitante, à statu inito defecerint.

Denique Synodus Foro Juliacensis can. XI. *Mulieres cujuscunque conditionis, quæ virginitatis, sive continentiæ propositum spontaneè, pollicentes, Deo emancipatæ* (sive mancipatæ) *fuerint, & ob continentiæ signum, nigram vestem, quasi religiosam induta fuerint, licet non à Sacerdote sacrata, in hoc tamen proposito eas perpetuò perseverare mandamus.* Habita est ista Synodus an. Dom. DCCXCI.

Ubi nota 1. discrimen inter votum solemne, & simplex: quod enim fiebat in manu Sacerdotis, qui personam voventem consecrabat, solemne erat. Aliud verò tantum simplex, cujus nullum indicium, nisi ex mutatâ veste.

Nota 2. cum jubeat omnes in Præposito perseverare, non exceptis ijs, quæ matrimonium iniviſſent, (quod antiquiora concilia fecerant) videtur illarum matrimonia irrita habuisse. Unde sequitur nihil antiquis ignotum à Gregorio PP. XIII. constitutum, Bullâ, *Ascendente Domina*, quando irrita declarauit matrimonia ab hominibus Societatis inita, post emissa in eâ vota simplicia. Idem nempe declararat ante octo sæcula Synodus Foro Juliacensis,

Nota 3. creditum est, eo sæculo, quod votum etiam simplex obligaret: & illius voti rei, ad illud pręstandum obligabantur, qui nisi id ultrò facerent, ad id adigebantur. Tanti faciebant enimverò Antiqui Proposita illa Pænitentiæ faciendæ, aut vitæ ad pietatem instituendæ, ut rata esse vellent, quocunque modo susceptа, modò signo aliquo externo proderentur, etiamsi ab alijs pro aliquo facta. Sic parvuli Monasterijs à Parentibus oblati, inde recedere cum adoleviſſent, non permittebantur. Et cum potentiſſimo Hispaniarum Regi Wambę, potione sumptâ mente moto, impositus fuisset Pænitentium habitus, is sibi restitutus, eum deponere noluit; sed, alio, qui succederet nominato, ipse pręstitit, quod pro eo, si resipuisset, alij spopondisse videbantur, injecto ei novæ & religioſę vitæ schemate: quod erat quasi profiteri Pænitentiam. Idem erat tonderi in Galliâ, ad constituendum Monachum; cujus rei frequentia exempla præbent illius gentis Annales.

CAPUT L.

Paupertas Christi.

CHRISTUM JESVM, Deum Benedictum in sæcula, *Cùm dives esset, pro nobis egenum factum esse, ut nos illius inopiâ divites eßemus*, ex Apostolo didicimus II. cor. VIII. 9. Quam ipsius paupertatem etiam prophetæ prænunciarunt. Psal. LXXXVII. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ.* Qualis autem fuerit ea Paupertas, hic inquirimus.

Duplex

Duplex porrò est Paupertas : alia spiritus : quæ consistit in voluntate à terrenarum rerum amore liberâ, paratâque ad eas dimittendas, ubi Deus imperarit, sine mœstitiâ, reluctantîve : cui primum inter Beatitudines locum assignauit Christus D. Mat. V. Hæc ad perfectionem tendentibus adeo necessaria est, ut frustrà laborent eâ destituti. Hinc Blasphemia esset eam Christo, Fidei nostræ Authori, & consummatori, totiusque virtutis exemplari perfectissimo, negare. Alia est Paupertas realis, quæ pugnat cum actuali bonorum temporalium possessione : quam Paupertas alia spiritus non tollit. Hæc sola vulgo Paupertas dicitur, & videtur illis convenire, qui nihil possident, nullius rei Domini sunt, de nullâ re veluti propriâ disponere possunt. Et de hac loquimur in istâ quæstione.

Christum Dominum hoc sensu pauperem fuisse manifestè patet ex Evangelijs sacris. In alieno natus est, & in pauperrimo tugurió, in spelunca, jumentis ; non hominibus recipiendis destinatâ : illic non in cunis preciosis ut *Porphyro geniti*, reclinatus est, (licet Dei Regis Regum, & Domini Dominantium filius esset) sed in Præsepio. Parentes habuit ex stirpe quidem illustrissimâ, quia Regiâ exortos ; sed ad summam inopiam Fortunæ injuriâ & infimam hominum sortem redactos, & verè pauperes, qui vitæ suæ necessaria sudore vultus sui, manuum labore, & arte mechanicâ sibi conquirebant. Quin & ipse Christus in eâdem paupertate educatus, eodem opificio victum sibi quæsiuit. *Nonne hic est Faber* ? Marci VI. 3. dicebant de eo ipsius conciues, qui eum norant Adolescentem, & tantum non ab infantiâ. q. d. certè is est, qui fabrilem inter nos Artem exercuit.

Quam enim verò nascens amplexatus fuerat, etiam Adultus retinuit Paupertatem : idque cùm ante baptismum, quando reputato Patri, matrique subditus, cum ijs in parui tugurioli tenebris delitescret, tum etiam quando corruscantibus miraculis, & Doctrinæ cælestis luce mundum illuminare cepit, & discipulis vocatis Ecclesiæ fundamenta jecit. Etenim etiam tunc pauperiorem se dixit & cæli volucribus, & bestijs agri, quibus nihil est repositum in crastinum, nihil peculij, præter angustum locum quieti capiendæ necessarium, alijs omnibus usibus inutilem. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Hoc paupertatis exemplo proposito Hieronimus Heliodorum ad suam in Syriâ eremum invitat, & pauperes casulas : *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*, inquit, *& tu amplas porticus, & ingentia tectorum spacia metiris ? Hæreditatem expectans sæculi, Christi cohæres esse non poteris.*

Denique pauperrimus mortuus est : omnibus rebus spoliatus, etiam vestibus, nihilque plane reliquum ei fuit, de quo tanquam proprio disponere posset; sed sicut nudus ex utero Deiparæ egressus fuerat, ad similem nuditatem redactus est ante mortem. Sola mater ei adhærebat, cum eo tenerrimæ dilectionis clavis cruci confixa : & hanc Joanni legauit : *Mulier ecce filius tuus.*

Ecce mater tua. Joan. XIX. 26. 27.

Ut paucis totam Christi vitam complectamur: In Infantiâ à Parentibus vitæ necessaria suscepit, eorum labore sustentatus: grandior factus, & labori par, & se & ex parte illos labore proprio alens, vices rependit, ad baptismum usque. Posteà verò cum interdiu hominibus æternæ vitæ viam ostenderet, noctes verò orans transigeret, quia nullum labori quo sibi suisque necessaria procuraret tempus idoneum, (cum aliquando nec tempus ad manducandum habere videretur Marc. III. 20.) collaticijs piarum fæminarum pecunijs, & ultroneis Eleemosinis et se, & suos aluit. Si quidem eum subsequebantur *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria Magdalena ----- Ioanna uxor Chusæ ----- Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Occurrit hic difficultas, quæ totam olim (sæculo nimirum XIV.) Ecclesiam in partes traxit, & tantum non pernicioso schismati viam aperuit. An scilicet Christus D. alicujus rei dominium habuerit, an verò tanta fuerit ejus Paupertas, ut nec in particulari, nec in communi quicquam haberet?

Non anceps est deliberatio cui parti simus adhæsuri: qui in omnibus veritatis oraculo, summo Pontifici Joanni XXII. subscribimus: Is autem Extrav. *Cum inter nonnullos*, & Extravag. *Quia quorumdam*: definivit, Christum D. Apostolosque opes, in communi possedisse. Hoc probant aliqui ex Athanasio orat. II. de Deiparâ, & Epiphanio hęresi XXIX. dicentibus eum de jure fuisse Judeæ regem, utpote, qui Davidis erat hæres. Addunt aliqui ex Navarro jure suo usum, cum Dæmones ex homine ejectos in Porcos transmisit, congruum spurcitiei suę domicilium, quos illi in stagnum egère præcipites. Fuisset enim ad restitutionem obligatus illius damni, nisi ipse eorum supremus fuisset Dominus. Alij idipsum deducunt ex eo quod Asinam, & pullum ejus ad se adduci jussit, eisque usus est, non expectato Domini, quisquis esset, consensu, imo nec petito quidem. Quæ ingeniosè dicuntur; sed non satis efficacitèr. Certiora proinde quæramus.

Constat Christum pecuniam accepisse, cum pro suis, tum pro suorum necessitatibus: constat deinde eam in communi servatam. Joan. XII. 6. *Iudas loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Constat etiam illam pecuniam ex jussione Christi in usus communes, & opera pia fuisse impensam. Cum enim Joan. XIII. 29. Judæ pecuniæ illius custodi dixisset Jesus: *quod facis, fac citius*: putarunt plerique discumbentium, imperasse Christum, *Vt emeret ea, quæ opus essent ad diem festum: aut egenis, ut aliquid daret.* Sciverunt ergo id Christum facere consuevisse: & crediderunt eum habuisse potestatem illud imperandi. Tales autem actus sunt actus Dominij, supponunt Dominium, nec nisi à Domino imperatur licitè talis pecuniarum dispensatio. Deinde Joan. IV. Christo ad puteum ob fatigationem relicto, Discipuli in civitatem Samaritanorum ingressi panes emerunt. At verò qualis contractus fuit illa emptio

emptio, si per eam nec venditor in præcium, nec emptor in rem venditam, dominium acquirebat? Hoc enimverò dicere necesse est, si in Societate Jesv nemo Dominium habebat in pecuniam. *Nemo* quippe *plus Iuris in alium transferre potest, quam ipse habeat. L. nemo. FF. de reg. Iuris.* Si ergo nec ullus ex Apostolis, nec ipse Christus, Dominium habebat, Dominium in Samaritanos transferre non potuerunt; nec isti translationis illius Dominij intuitu, Dominium poterant in *panes acquirere*. Samaritanis non licuisset eâ pecuniâ uti, quam acceperant ab ijs, qui nullum habebant in eam Dominium: adeoque cujus Domini non evasissent vi venditionis.

Dicent ij, qui aliter sentiunt, pecuniam illam aliorum fuisse, titulo Dominij; Christi verò & Apostolorum titulo administrationis, & Dispensationis. Addent mirabilem Dominij ab usu separationem, etiam in rebus usu solo consumptibilibus. De quâ distinctione fusiùs agere nihil cogit in præsenti: eam impugnat Joannes XXII. suprà laudatus in Extravag. *quia quorundam.* Nobis sufficit, eam nimis speculatiuam videri in re morali. Enimverò res ejusmodi usu consumptibiles χρήματα vocantur, quasi nihil præter usum essent.

Deinde jussit Christus D. pro se, atque B. Petro Didrachma solui: quomodo hoc, si non ipsius illâ pecunia? Joan. VI. petit: *Vnde ememus panes?* Quod frustra petijsset, si non habuisset potestatem eos emendi. Et Luc. XXII. jubet emi gladium, etiam venditâ tunicâ, si aliunde precium non suppeteret. Quid quod Pisces à Petro capti, Joan. XXI. in ejus Dominium transierunt, à quo venditi fuerunt. Et sine dubio, si illis optio data fuisset, in Pythagoram incidere maluissent, à quo reijcerentur in Oceanum; quàm in Petrum, à quo deferrentur in forum.

Ultimum tandem telum adversus proscriptam à Joanne XXII. doctrinam subministrat Ecclesiæ Primitiuæ praxis, de qua infra cap. LIII. nempe praxis optima legum interpres est.

Obiter obseruo pudendum errorem, Illustrissimi juxta ac Eruditissimi D. D. Episcopi Bellicensis, Joannis Petri Camus, in libro, in quo contra Paupertatem quorumdam Regularium fusè declamat: quam contendit non *Paupertatem* vocandum esse; sed *Des appropitiationem*, sive *Expropriationem*, q. d. non esse negationem Diuitiarum; sed tantum *negationem Proprietatis in Diuitijs*, quas in communi singuli possident. Non advertit vir alioqui Doctissimus, sed aliquas ob causas aliquibus Religiosis minus æquus, in eâ Religiosorum Paupertate, quam sub confecto à se *Des appropitiationis* nomine deridet, ipsam Christi D. Apostolorumque Paupertatem traduci.

CAPUT LI.

CAPUT LI.

An Christus à Discipulis suis Paupertatem exegit?

NON omnes Christi D. Discipuli in eodem fuerunt gradu, non omnibus eadem commissa, unde nec ab omnibus eadem repetita. Quibusdam satis erat in Christum credere, & mandata servare: alijs injunctum charismata meliora æmularentur, ad excelsius virtutis fastigium eniterentur. Hoc clarè colligitur ex Mat. XIX. ubi Christus D. Juveni viam æternæ vitę sibi monstrari petenti respondit: *serva mandata.* Perfectiora quærenti respondit: *si vis perfectus esse, --- vende quæ habes, &c.* Ubi primò communem & infimam illi Discipulorum, sive credentium classem assignat, secundò ad propiorem discipulatum, & exactiorem diviniſſimæ vitæ suæ imitationem eum invitat.

Conclusio prima: Christus D. à vulgo fidelium Paupertatem non exigit. Nihil enim ab ijs exegit, quam ut in eum credentes mandata servarent: Hæc enim ad vitam æternam consequendam abundè sufficere, docent illa verba: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* q. d. illa necessariò à salutis cupido servari debent: & ad finem intentum sufficient. Confirmatur: nam & mulieres, quæ Christum sequebantur, eumque de suo alebant, fideles erant, & Christi D. discipulæ, eo laxiori sensu, sicut & Joseph ab Arimathæâ, Lazarus, Gamaliel, Nicodemus, & alij, quorum tamen plurimi bona sua administrabant. Non ergo ab omnibus Christus D. Paupertatem realem exegit; sed satis habuit ad Paupertatem spiritus adhortari, & ut mundo uterentur, velut eo non utentes.

Conclusio secunda: qui strictiori sensu Discipuli erant, ad Paupertatem tenebantur, nec Christus solicitudine rerum temporalium implicitos, Discipulorum suorum glorioso titulo honorauit. Unde & Apostoli, & septuaginta Discipuli ad Paupertatem tenebantur. Probatur 1. ex Lucę XIV. ubi Christus D. à Discipulis suis primò petit odium propinquorum, & suimet ipsorum. Secundò rerum omnium abdicationem. Ait enim versu 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam, non potest meus esse discipulus.* Deinde versu XXXIII. *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibusque possidet, non potest meus esse Discipulus.*

Hæc Jansenius credit esse consilij Evangelici: at Maldonatus longè melius Præcepti esse censet. Enimverò quæ tantum sub consilio sunt, non censentur ad esse Discipuli necessaria; sed ad melius esse conducere. Dicit autem expressè Christus eum in quo ista desiderantur, nec esse, nec posse

suum

ſuum eſſe Diſcipulum. Præceptum itaque continent illa verba, licet non fortaſſe præceptum Evangelio coævum, cum eo ad finem uſque ſæculi duraturum; ſed temporaneum, donec plenitudo Gentium intraret in Eccleſiam, ob peculiarem rationem, quæ ad tempus tantum illud valebat. Sic Chriſoſtohom. IX. in Epiſt. ad Philip. *Præcepta illa temporalia erant; & non perpetua.* Deinde Præceptum fuit non omnibus indiſcriminatim fidelibus impoſitum; ſed ijs tantum, qui ad ſublimem Apoſtolatus, aut ſacri miniſterij dignitatem erant vocati. Atque hoc tantum probant Janſenij rationes, ſi quid probant.

Probatur 2. ex Mat. XIX. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni, ſequere me.* Hæc Chriſtus imperauit illi Juveni ad Perfectam vitam adſpiranti, quem ad ſtrictum illum diſcipulatum invitabat. Hieronimus Epiſt. VIII. ad Demetriadem: *Apoſtolici faſtigij eſt*, inquit, *perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus diſtribuere, & ſic levem, & expeditum cum Chriſto ad cæleſtia ſubvolare.* Et Epiſt. XXIV. ad Julian. *Et hoc hortor, ſi vis perfectus eſſe, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmen cupis, ſi ſublatâ cruce Chriſtum ſequi, ſi apprehenſo aratro non reſpicere poſt tergum, ſi in ſublimi tecto poſitus priſtina veſtimenta contemnis, & & ut evadas Ægyptiam Dominam ſæculi pallium derelinquis. ——— ſed hoc ait APOSTOLICÆ DIGNITATIS eſt, & ejus qui velit eſſe Perfectus? Cur qui in ſæculo primus es, non in Chriſti familiâ primus ſis?* Et Epiſt. CL. ad Hedibiam: *Vis eſſe perfecta, & in primo ſtare faſtigio Dignitatis? Fac quod fecerunt Apoſtoli: vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere ſalvatorem, & nudam, ſolamque Crucem nuda ſequaris.* Ubi nota, quod Hieronimus ubique declarat *Apoſtolicæ* fuiſſe *dignitatis*, *Apoſtolicæ perfectionis*, aut *Apoſtolici faſtigij*, ablegatâ bonorum temporalium curâ, depoſitâ bonorum ſarcinâ, Chriſtum ſequi: Ad quod probandum illa verba protulimus. Confirmatur: nam ſubinde Apoſtolorum Princeps, & ſuo, & Confratrum ſuorum nomine Paupertatis Propoſitum declarat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Ob quod judiciaria Poteſtas illis promiſſa eſt: *ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes &c.*

Probatur 3. ex Mat. IX. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Quibus verbis vetat de Viatico ſolicitos eſſe, aut ſarcinas ſecum circumferre & licet probabile ſit præceptum iſtud ad eam præcipuè Miſſionem reſpicere, per Judeam à Chriſto vivente inſtitutam, & ab Apoſtolis, alijſque diſcipulis peractam, qui ejus rationem reddiderunt Luc. X. 17. *Reverſi ſunt cum gaudio, dicentes* &c. Tamen ſuo modo de alijs etiam intelligi debet, quantum fert rerum natura, locorumque conſuetudo. In Judæâ optimè ſervari poterat, ob regionis anguſtias, & credentium, aut eorum, qui credere parati erant, multitudinem; qui ſpiritualia ſeminantibus, copioſè temporalia miniſtrabant.

Longin-

Longinquæ missiones ostendunt Christi tempore necessariam Apostolis fuisse Paupertatem. Sòlicitudo nempe rei familiaris, & cura peculij, vincula sunt, quibus compediti ad tam prolixum iter vix se accinxissent. Nec apparet quid emolumenti ex opibus sperari posset. Da v. c. B. Thomam ampla prædia in Judææ possedisse. Quâ ratione fructus annuos acciperet, ad littus Orientalis Oceani delatus? Quomodo eorum administrationi vacaret, & ne dissiparentur provideret? Fuisset ergo viris Apostolicis illorum Possessio Sarcina & difficilis, & inutilis. Unde eam abijcere debebant, qui sacro illi muneri sese dicabant.

CAPUT LII.

Paupertas Hierosolimis instituta, etiam inter Laicos.

POST Christi D. in cælos Ascensionem, & missionem Spiritus Sancti ad Apostolos, ceperunt isti juxta Christi mandatum Evangelium prędicare, Ecclesiam congregare, eamque instituere, secundum formam, quam à Christo didicerant, vel *in diebus carnis suæ*, vel post resurrectionem ipsius, quando illis *apparuit, & de regno Dei locutus est.* Cum verò in omnibus unicè ferveret Pietatis studium, solaque Christi charitas in singulorum cordibus regnaret, eliminato, aut certè suppresso mundi amore noxio, dubitari non potest, quin Ecclesiam perfectissimè constituerint, & quantum fert naturæ humanæ imbecillitas, ad Ecclesię beatæ effinxerint imaginem. Unde minimè mirari debemus, eos, qui subsecuti sunt posteritibus sæculis, Ecclesiasticæ disciplinæ, & Pietatis collapsæ restauratores, statum ab Apostolis in Ecclesiâ illâ nascente inductum præ oculis semper habuisse: & tum tandem arbitratos fuisse in reformandis fidelium moribus se utilitèr laborasse, quando veteres illos, & antiquatos mores revocassent in usum.

Qualis autem esset illius Ecclesiæ facies, paucis verbis multa complectentibus B. Lucas expressit. Act. II. 44 & tribus sequentibus: *Omnes*, inquit, *qui credebant, erant pariter: & habebant omnia communia. Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimitèr in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Et cap. IV. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* ----- *Nec quisquam egens erat inter eos, quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: Dividebantur autem singulis prout cuique opus erat.* Hæc

Sacer

Sacer Hyſtoricus: quibus cuncta Pietatis officia in perfectiſſimo ſtatu delineauit. In Deum: quia *Perdurabant unanimiter in templo, & frangebant circa domos panem*, Euchariſticum utique, *collaudantes Deum.*

In proximos: *erat illis cor unum, & anima una.* In res ſuas: quas vendebant, & precium inde receptum in commune conferebant; unde ad cujuſque egeni neceſſitatem ſublevandam iterum depromeretur. Hinc nemo neceſſarijs deſtituebatur; nemo ſuperfluis abundabat; ſed erat æqualitas.

Hinc obiter colligo gravitèr errare quoſdam Recentiores, Eccleſiæ Dei, ſi ſuperis placeat Reformatores, nullâ re magis, quam odio in Religioſos notabiles, qui docent majoris eſſe perfectionis bona ſua ſibi retinere, ea adminiſtrare, & paulatim in Pauperes diſtribuere, quam ea vel in Religione, vel extra, ſimul omnia Pauperibus elargiri. Licet enim non negemus etiam ſic viventes benè agere, non poſſumus tamen alios damnare, niſi damnato Fidelium illorum ſtudio, quod ſcriptura laudat, quod à Spiritu ſancto profectum eſt, quod Apoſtoli foverunt. Si tunc licitum, ſi laudabile, ſi meritorium erat, bona unâ vice vendere, præciumque totum ad Apoſtolos deferre, ſeque non paulatim, & per partes; ſed ſimul, ſed uno actu, jure ſuo exuere, & rebus omnibus valedicere, ut Deo unicè vacarent, quo jure in alijs idem improbatur? Num mutatus eſt Chriſtus? Aut alia Chriſti lex eſt ſæculo primo, alia decimo ſeptimo, quo vivimus? Fateor equidem quod uno ſæculo licet, illicitè fieri alio, ſi res ab Eccleſiæ legibus pendeat, iſtæque mutatæ ſint & modo vetent, quod antea vel permittebant, vel jubebant: aut è contra. Sed hoc nihil contra nos, cum nulla lex oſtendi poſſit noſtræ doctrinæ contraria. Sidicant, ea bona malè ab Eccleſiaſticis; melius ab alijs ea donantibus adminiſtranda. Reſpondebo id culpam eſſe quorumdam Eccleſiaſticorum, quæ non neceſſariò ex rei ipſius naturâ ſequitur; ſed tantum per accidens: adeoque non mutat naturam actus de ſe boni, bonum in finem producti. Quid quod nec illi ſæculares confirmati ſunt in Gratiâ, ut omnino inculpatè ab ijs adminiſtranda eſſe ſperare poſſimus in bonum Pauperum. Certè cum ortum eſſet Hieroſolimis murmur, ob malè adminiſtrata bona in commune collata, non propterea ſciverunt Apoſtoli ea deinceps in commune non conferenda, (quod ſuadent iſti, in quos agimus) ſed modum excogitarunt, quo melius adminiſtrarentur. Et Apoſtolos imitata ſunt concilia ſubinde celebrata ſimilem ob cauſam. Proindè *omnis ſpiritus laudet Dominum.* Benè faciunt, qui bona ſua retinent, eaque ita diſpenſant, ac ſi non eorum Domini; ſed Pauperum Oeconomi forent: melius, & Apoſtolorum, Conciliorumque menti conformius faciunt, qui eadem in Pauperum ſubſidium erogant, & aliorum adminiſtrationi concredunt, eundem in finem. Quibus iſta non placent, ijs diſpliceat, oportet, Apoſtolorum praxis, qui ſimilia fecerunt.

Petes: an lege aliquâ latâ cogerentur Fideles ad illam bonorum ſuorum

venditionem ? Resp. Negatiuè : sponte quippe suâ id fecerunt. Nec contrarium probat duorum conjugum de precio fraudantium inopina mors. Potuissent enim illi sine peccato vel agrum ipsum, vel agri precium sibi retinere; sed mentiti sunt Spiritui sancto : Apostolis imponere voluerunt, ut & apud fideles Pietatis famam obtinerent, & simul avaritię suæ satis facerent. *Ananiæ*, inquit ad virum, Apostolorum Princeps, *cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de precio agri ? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat potestate ? Quare posuisti in corde tuo hanc rem ? Non es mentitus hominibus ; sed Deo.* Illa scilicet bonorum abdicatio erat quasi Religiosæ vitæ Professio ; quæ nemini injungitur; at si ab aliquo ultrò suscipiatur, integrè servari debet : cujus disciplinæ sanctitatem Deus eorum morte sanciviſſe videtur. Adeoque sicut *Simoniaci* dicti sunt à Simone Mago, qui Sacras res vel vendunt, vel emunt : ita Proprietarij in Religiosis Ordinibus ab Ananiâ, dici possunt *Ananitæ.*

Eam Paupertatem omnibus etiam Laicis commendatam non invenio : ijs peculiaris fuisse videtur, qui ad sublimem, singularem, eximiamque sanctitatem adspirabant : quales Clerici, & Monachi. Quod autem Hierosolimis instituta fuerit etiam inter conjugatos, id in causâ fuisse videtur; quia Christo prædicente sciebant ruinam illi civitati imminere : ut ergo ad eam declinandam expeditiores essent, & velut ad fugam accincti, bonorum sarcina deponenda fuit. Verum cum illa clades aliquandiu dilata esset; ante illam, & Christianorum fugam, consumpta fuerunt, quæ initio in commune collata fuerant : unde recurrere debuerunt ad alias Ecclesias, ut quę ab ijs spiritualia acceperant, eisdem temporalia refundere non gravarentur. Hinc Apostolus 1. Cor. XVI. & II. cor. IX. ad collectam faciendam hortatur ; & datum Ecclesijs exemplum se mutuo juvandi : *ut pro invicem solicita sine membra, sive patiatur unum membrum, compatiantur alia membra : sive gloriatur unum, alia congaudeant.*

Viguisse verosimile est rigidam istam paupertatem, usque ad Hierosolimitanum excidium, licet non imponeretur invitis ; sed à volentibus tantùm, & sponte Professis exigeretur.

Essenos, Judæorum sectam, ante Christum D. omnia sua in communi posuisse, liquet ex Josepho Judæo : horum multos Christi fidem amplexatos esse, negari non potest. Hi Christi fide susceptâ, Paupertatis amorem non ejurarunt, quem illa commendat. In Africâ Tertulliani tempore obtinuisse videtur Paupertas inter omnes Christianos : quos ipse asseverat omnia habuisse, præter uxores, communia.

Ascetas Alexandrinos eandem Paupertatem coluisse, testis est Eusebius lib. II. hyst. cap. XIII. ex Philone supra laudato. Monachos eandem observasse constat. Mox videbimus Apostolos aliosque Clericos & primo illo Christi sæculo, & alijs sequentibus eandem Professos, laudantibus pro tempore

pore Pontificibus & majoribus, & minoribus: ab eâ aliquoties defeciſse, ijſdem repugnantibus, & novis canonibus antiquam diſciplinam inſtaurantibus, donec prævalente ſententiâ, quę docebat Paupertatis præceptum non amplius obligare, facta eſset *contradictio potentior*, quòd clerici, atque ipſi canonici communis vitæ pertæſi, clauſtra ſua deſeruerunt, & communibus Eccleſiæ bonis in partes diſtributis, quiſque ſuam arripuit, & veluti peculium adminiſtrare cepit: non quidem ubique eodem iſta tempore contigerunt; ſed alibi citiùs, alibi ſerius, prout Avaritia plus minuſve dominabatur, & in Epiſcopos (qui canonum cuſtodes erant) inciderunt clerici, magis, aut minus antiquæ diſciplinæ tenaces.

Ubi nota Urbanum 1. Epiſt. vnicâ cap. 1. dixiſe ad ſua uſque tempora viguiſe bonorum communitatem inter omnes Chriſtianos, & habetur C. *ſcimus vos*, XII. q. 1, De quo quiſque ſentiat, quod libet. Nobis fidem plenam non facit, non ſolùm, quia dubia eſt epiſtola; verùm etiam, quia certæ ſcripturæ adverſari videtur: Apoſtolus enim ad collectam faciendam corinthios excitans; ijs verbis utitur quæ ſignificant ipſos rerum ſuarum veros fuiſse Dominos.

CAPUT LIII.

Paupertas Clericorum tribus primis ſæculis.

VIDIMVS qualitèr inſtituta fuerit, quoad bonorum adminiſtrationem, Eccleſia Hieroſolimitana. Supereſt videamus quid alibi obſervatum, durante Perſecutionum immanitate, quantum rei natura, & temporum obſcuritas patietur.

Hic verò ipſo in limine damus, extra Hieroſolimam ſeveram illam, rigidamque Paupertatem Laicis, & conjugatis commendatam non fuiſse. Ejus enim nec vola nec veſtigium uſpiam apparet, & multa probant contrarium. Fuit etiam peculiaris ratio, cur Hieroſolimis inſtitueretur, ut vidimus, ut quid alibi fieret, pateat, ſciendum eſt, quod

Eccleſia ab initio in duas veluti partes diſtincta fuit: quarum una ſoli Deo promerendo ſe totam conſecrauit: altera ſæcularium inſuper rerum curam gerebat: illa regebat; hæc ſe illius imperio in ordine ad Divina prębebat obnoxiam: illa in ſpiritualibus humilitèr imperabat; huic in ijſdem obedientiæ gloria relicta erat. Prima Apoſtolorum fuit, & eorum, qui ad verbi ſubſidium aſsumebantur, quos Clericos dicimus; aliorum in locum *Laici* ſuccedunt. Vide *Can. Duo ſunt genera.* XII. q. 1.

Clericis ab initio vita communis, promiſcua omnia, non magis ſe rerum

ſuarum, quam cęli, & Elementorum, quibus univerſi communitèr utuntur, Dominos dicebant. Hanc legem & votum, & charitas, & verò ipſa natura, & ratio Clericatus feciſse, videtur. Mihi enim ipſa Clericatus ratio, & Chriſti verba nihil ex rebus Eccleſiæ proprium eſse pati videntur. Chriſti verba hæc ſunt: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Non poterant iſta verba non altè in Diſcipulorum mentes inſinuare ſeſe, qui tanto ſtudio viam illam Perfectionis invaſerant; aut id leve cenſeri, abſque quo Chriſti Diſcipuli non erant futuri.

Natura atque ratio Clericatus idipſum poſtulabat, unde enim Clericus dicitur, ut ſupra obſervatum, niſi quia Dominus eius ſors eſt, & ipſe ſors eſt Domini? Unde cum tonſuratur ait: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Hæreditati proinde renunciat, qui clerum ingreditur, nec aliam deinceps habere debet, quam Chriſtum, ſicut ipſe alterius quam Chriſti, eſse non debet: ſit ergo aliis mortuus, Chriſto vivus, illi ſoli adhæreat, ab illo paſcatur, de ejus bonis ſtipendium habeat; cætera procul abijciat. Hinc Hieronimus: *Qui Dominum poſſidet & cum Prophetâ dicit pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt: quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.* Habetur *Can. Clericus*, XII. q. 1. & *Can. cui Portio* XII. q. 1. (qui ex Ambroſio lib. de fugâ ſæculi, cap. II. deſumitur) *Cui Portio Deus eſt, nihil debet curare, niſi Deum; ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia transfertur, hoc religionis cultui, & huic noſtro officio decerpitur.*

Laicis etiam qui cælibes erant, facta Poteſtas, (modo ad id à Deo vocarentur) in ejus vitæ ſimilitudinem tranſcribi: fierique, ſi Chriſto in clero ſervire cuperent, aliorum ſalutem procurando, Clerici; ſi ſolitudinem omni modam ambirent, & ſibi ſolis vacare deſiderarent, Monachi: & hos enim ad eximiam aliquam ſanctitatem, & ſingularem perfectionem anhelaſse conſtat. Quæ duo ſunt Perſonarum Genera Paupertatem Profeſsa.

Fuit itaque Evangelici conſilij illa Paupertas, ad quam nemo tenebatur, niſi ex proprio Propoſito. Conſilij erat ſecundum ſe; obligationis, verò ſaltem tempotaneæ ijs, qui vel in Clero, vel in Aſceterio verſabantur, ratione ſtatus, quem ultrò inierant.

Ex Urbano Papa 1. Epiſt. Vnicæ cap. 1. (ſi genuina ea ſit) patet vigente adhuc Paganorum ſævitiâ mutatam Eccleſiæ praxim, quoad bona illi undecunque tranſcripta. Initio quippè bona fundi non offerebantur Eccleſiæ; ſed vendebantur, & eorum precium ad Apoſtolorum pedes ponebatur. Brevi patuit non malè, imò bene, & fortè melius facturam Eccleſiam, ſi ipſa latifundia ſibi retineret. Urbanus ſupra, *Summi Sacerdotes plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi traderent, eo quod ex ſumptibus eorum* (fructus intellige) *tam præſentibus, quam futuris temporibus, plura, & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus communem fidem ducentibus,*

ducentibus, quam ex precio eorum, caperunt predia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Bona quippe fundi magis ſtabilia erant, & durabilia, minus obnoxia latronibus, nec tam facile dilapidari poterant ab Adminiſtratore minimè frugali. Tametſi verò multi dubitent, an Epiſtola illa ſit genuina, nemo tamen dubitare poteſt, quin iſta ejus ſententia vera ſit.

Bona ad pedes Apoſtolorum poſita, ſive mobilia ea eſsent, ſive immobilia, hoc eſt quæcunque Deo & Eccleſiæ conferebantur, ſolius Epiſcopi arbitrio relinquebantur. Canon XXXXI. Apoſtolorum hæc habet. *Præcipimus, ut in poteſtate ſuâ Epiſcopus Eccleſiæ res habeat: ſi enim animæ hominum precioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere: ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Presbiteros, & Diaconos, & cum timore, omnique ſolicitudine adminiſtrentur.* &c. Deinde Synodus Antiochena can. XXV. qui ex illo Apoſtolico deſumptus eſse videtur: *Epiſcopus*, inquit, *Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſummâ reverentiâ & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget, ----.* (Quod ſi Epiſcopus ſibi, ſuiſve nimium indulgeat, cum aliorum iniuriâ, decernit querelas ad proximam Synodum referendas: quæ pœnas ab Epiſcopo exigat.) Hoc inſinuare videtur Apoſtolus 1. Tim. V. Ubi ait *duplici honore dignos eſſe Sacerdotes, qui benè præſunt, maximè qui laborant in Verbo & Doctrinâ.* q. d. Lautiora illis danda honoraria, qui magis laborant. Quod ſupponit penes Epiſcopum fuiſſe illorum diſtributionem ex communi Eccleſiæ penu. Et concilium Agathenſe cap. XXXVI. jubet Epiſcopos clericis pro rata meritorum præmia largiri. Sicut & Synodus Æmeritenſis cap. XIII. Ante hos omnes Cyprianus Epiſt. XXXIV. Jubet Celerino Lectori *Sportulam* Presbiteris parem dari, ob ejus inſignem in Fidei profeſſione conſtantiam.

Quia tamen non ſine difficultate omnibus ſatisfieri poſſet, in diſtributione quantumuis juſtâ communium facultatum, in partes aliquas diſtributæ ſunt. Cyprianus epiſt. XXXVI. ad Clerum id ſupponit. *Viduarum, & infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligentèr habeatis: ſed & Peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, ſumptus ſuggeratis de quantitate meâ propriâ, quam apud Rogationum compresbiterum noſtrum depoſui.* ----. Ubi clarè meminit duarum portionum: eius, viz, quæ Epiſcopi erat, & ejus quæ pauperum: & quoniam his deſignata erat ex Eccleſiæ ærario portio, jubet tantum eorum curam haberi, eâ portione ritè applicatâ: quia verò nulla Peregrinis inſtituta erat Sportula, *de ſuâ quantitate propriâ*, id eſt eâ, quæ illi ut Epiſcopo obtingebat, decidi quantum opus eſſet, in ſubſidium Peregrinorum voluit. Deinde epiſt. XXXVII. præſcribit Martyribus, & Confeſſoribus neceſſaria providenda. Unde patet Lautiorem fuiſſe Epiſcopi portionem, ex quâ frugaliter & parcè adminiſtrata, ſupererat, quod in egenorum uſum erogaretur.

Licet autem ubique fortè communia Eccleſiæ bona in partes aliquas diſtri-

ſuarum, quam cęli, & Elementorum, quibus univerſi communitèr ūtuntur, Dominos dicebant. Hanc legem & votum, & charitas, & verò ipſa natura, & ratio Clericatus feciſſe, videtur. Mihi enim ipſa Clericatus ratio, & Chriſti verba nihil ex rebus Eccleſiæ proprium eſſe pati videntur. Chriſti verba hæc ſunt : *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Non poterant iſta verba non altè in Diſcipulorum mentes inſinuare ſeſe, qui tanto ſtudio viam illam Perfectionis invaſerant; aut id leve cenſeri, abſque quo Chriſti Diſcipuli non erant futuri.

Natura atque ratio Clericatus idipſum poſtulabat, unde enim Clericus dicitur, ut ſupra obſervatum, niſi quia Dominus eius ſors eſt, & ipſe ſors eſt Domini? Unde cum tonſuratur ait : *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei : tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Hæreditati proinde renunciat, qui clerum ingreditur, nec aliam deinceps habere debet, quàm Chriſtum, ſicut ipſe alterius quam Chriſti, eſſe non debet : ſit ergo aliis mortuus, Chriſto vivus, illi ſoli adhæreat, ab illo paſcatur, de ejus bonis ſtipendium habeat; cætera procul abijciat. Hinc Hieronimus : *Qui Dominum poſſidet & cum Prophetâ dicit pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt : quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.* Habetur *Can. Clericus*, XII. q. 1. & *Can. cui Portio* XII. q. 1. (qui ex Ambroſio lib. de fugâ ſæculi, cap. II. deſumitur) *Cui Portio Deus eſt, nihil debet curare, niſi Deum; ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia transfertur, hoc religionis cultui, & huic noſtro officio decerpitur.*

Laicis etiam qui cælibes erant, facta Poteſtas, (modo ad id à Deo vocarentur) in ejus vitæ ſimilitudinem tranſcribi : fierique, ſi Chriſto in clero ſervire cuperent, aliorum ſalutem procurando, Clerici; ſi ſolitudinem omni modam ambirent, & ſibi ſolis vacare deſiderarent, Monachi : & hos enim ad eximiam aliquam ſanctitatem, & ſingularem perfectionem anhelaſſe conſtat. Quæ duo ſunt Perſonarum Genera Paupertatem Profeſſa.

Fuit itaque Evangelici conſilij illa Paupertas, ad quam nemo tenebatur, niſi ex proprio Propoſito. Conſilij erat ſecundum ſe; obligationis, verò ſaltem tempotaneæ ijs, qui vel in Clero, vel in Aſceterio verſabantur, ratione ſtatus, quem ultrò inierant.

Ex Urbano Papa 1. Epiſt. Vnicæ cap. 1. (ſi genuina ea ſit) patet vigente adhuc Paganorum ſævitiâ mutatam Eccleſiæ praxim, quoad bona illi undecunque tranſcripta. Initio quippè bona fundi non offerebantur Eccleſiæ; ſed vendebantur, & eorum precium ad Apoſtolorum pedes ponebatur. Brevi patuit non malè, imò bene, & fortè melius facturam Eccleſiam, ſi ipſa latifundia ſibi retineret. Urbanus ſupra, *Summi Sacerdotes plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi traderent, eo quod ex ſumptibus eorum* (fructus intellige) *tam præſentibus, quam futuris temporibus, plura, & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus communem fidem ducentibus,*

ducentibus, quam ex precio eorum, caperunt predia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Bona quippe fundi magis ſtabilia erant, & durabilia, minus obnoxia latronibus, nec tam facile dilapidari poterant ab Adminiſtratore minimè frugali. Tametſi verò multi dubitent, an Epiſtola illa ſit genuina, nemo tamen dubitare poteſt, quin iſta ejus ſententia vera ſit.

Bona ad pedes Apoſtolorum poſita, ſive mobilia ea eſsent, ſive immobilia, hoc eſt quæcunque Deo & Eccleſiæ conferebantur, ſolius Epiſcopi arbitrio relinquebantur. Canon XXXXI. Apoſtolorum hæc habet. *Præcipimus, ut in poteſtate ſuâ Epiſcopus Eccleſiæ res habeat: ſi enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere: ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Presbiteros, & Diaconos, & cum timore, omnique ſolicitudine adminiſtrentur.* &c. Deinde Synodus Antiochena can. XXV. qui ex illo Apoſtolico deſumptus eſse videtur: *Epiſcopus*, inquit, *Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſummâ reverentiâ & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget*, ----- . (Quod ſi Epiſcopus ſibi, ſuiſve nimium indulgeat, cum aliorum iniuriâ, decernit querelas ad proximam Synodum referendas: quæ pœnas ab Epiſcopo exigat.) Hoc inſinuare videtur Apoſtolus 1. Tim. V. Ubi ait *duplici honore dignos eſſe Sacerdotes, qui benè præſunt, maximè qui laborant in Verbo & Doctrinâ.* q. d. Lautiora illis danda honoraria, qui magis laborant. Quod ſupponit penes Epiſcopum fuiſſe illorum diſtributionem ex communi Eccleſiæ penu. Et concilium Agathenſe cap. XXXVI. jubet Epiſcopos clericis pro rata meritorum præmia largiri. Sicut & Synodus Æmeritenſis cap. XIII. Ante hos omnes Cyprianus Epiſt. XXXIV. Jubet Celerino Lectori *Sportulam* Presbiteris parem dari, ob ejus inſignem in Fidei profeſſione conſtantiam.

Quia tamen non ſine difficultate omnibus ſatisfieri poſſet, in diſtributione quantumuis juſtâ communium facultatum, in partes aliquas diſtributæ ſunt. Cyprianus epiſt. XXXVI. ad Clerum id ſupponit. *Viduarum, & infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligentèr habeatis: ſed & Peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, ſumptus ſuggeratis de quantitate meâ propriâ, quam apud Rogationum compresbiterum noſtrum depoſui.* ----- . Ubi clarè meminit duarum portionum: eius, viz, quæ Epiſcopi erat, & ejus quæ pauperum: & quoniam his deſignata erat ex Eccleſiæ ærario portio, jubet tantum eorum curam haberi, eâ portione ritè applicatâ: quia verò nulla Peregrinis inſtituta erat Sportula, *de ſuâ quantitate propriâ*, id eſt eâ, quæ illi ut Epiſcopo obtingebat, decidi quantum opus eſſet, in ſubſidium Peregrinorum voluit. Deinde epiſt. XXXVII. præſcribit Martyribus, & Confeſſoribus neceſſaria providenda. Unde patet Lautiorem fuiſſe Epiſcopi portionem, ex quâ frugaliter & parcè adminiſtrata, ſupererat, quod in egenorum uſum erogaretur.

Licet autem ubique fortè communia Eccleſiæ bona in partes aliquas diſtri-

distribuerentur; non tamen una fuit divisionis ratio. Synodus Aurelianensis 1. cap. XVI. Duas partes æquales fieri voluit, quarum unam Episcopus sibi vendicaret, alteram Clerus acciperet secundum gradus dispensandam.

Concilium Braccarense 1. can. VII. In tres æquas portiones res Ecclesiæ dividi voluit: quarum una Episcopo, Clericis alia, tertia verò in recuperatione, vel luminarijs Ecclesiæ tribuebatur, vel Archidiacono, vel Archi-Presbitero, qui ejus rationem Episcopo reddere tenebantur. Et in Concilij Toletani IV. can. XXXII. Episcopo permittitur tertia pars bonorum Ecclesiæ. Non tamen dicitur quâ ratione reliquæ duę tertię partes expendendæ essent.

Eadem bona in quatuor partes dividi jussêre Concilium Romanum sub Sylvestro cap. IV. Gelasius epist. 1. cap. XXIX. Gregorius resp. 1. ad interrogata Augustini,& Concilium Wormacienſe an. Dom. DCCCLXVIII. can. VII. Quarum primam sibi retineat Episcopus, alteram det Clericis pro officiorum suorum sedulitate: tertiam Pauperibus, & Peregrinis; quartam fabricæ reservandam. Quæ bonorum Ecclesiasticorum distributio conformis est, canoni IV. Synodi Romanæ sub Sylvestro.

Quorsùm ista? Nimirum ut ostendam Clericos verè fuisse Pauperes: bona sua non habuisse cuique particularizata; sed in unum collata, unde ab Episcopo juxta canones pro cujusque Clerici vel necessitate, vel merito, extrahebantur. Unde sequitur eos verè fuisse Pauperes. Quod confirmatur: quia passim dicitur à canonistis eos esse bonorum suorum administratores; non Possessores, æconomos; non Dominos.

Objcitur 1. B. Sylvestro in Breviario dicitur copiosis Sacerdotibus egentes conjunxisse: Erant ergo aliqui copiosi, sive divites: adeoque non omnes Pauperes, & ab Episcopo nutriti. Resp. pessimam esse consequentiam: Licet enim quisque nihil tanquam proprium haberet, aliquibus tamen, qui in promovendâ Dei gloriâ magis erant industrij, Lautiores fiebant eleemosinæ. His Sylvester minus industrios adjungebat, quæ additio potius confirmat supremam Episcoporum potestatem in Ecclesiæ bona, cum ei liceret copioso Clerico pauperem alterius labore alendum ei socium dare.

Objcitur 2. Clerici sunt & fuerunt Domini suorum patrimoniorum, si quę habebant. Non erant ergo Pauperes. Resp. Primis illis Ecclesiæ sæculis observatam exactè fuisse Christi sententiam: *Si quis non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulis.* Si quis ergo ad Clericatum adspirabat (is,erat Christi Discipulatus) impedimentum illud vitam Discipuli spiritualem extinguens, amoliri tenebatur, bonis renunciando. Et quamdiu nemo Clero inscriptus est, qui non particularis Ecclesiæ ministerio destinaretur, nemo titulo Patrimonij factus est Sacerdos: sed ex quo soluta sunt illa vincula quibus quisque Clericus ad aliquam determinatam Ecclesiam adstringebatur, laxata etiam est & lex Paupertatis & alia non parva mala inundarunt.

CAPUT LIV.

CAPUT LIV.

Clerici IV. V. *&* VI. *ſæculis in communi vixerunt.*

SYNODVS Antiochena hoc ſęculo IV. celebrata eſt (ſcilicet an. Dom. CCCXL.) cujus canonem XXV. ſupra laudavimus, qui cuncta Eccleſiæ bona Epiſcoporum arbitrio permittit; qui ſi contra Juſtitiam diſtributivam offenderent, à Synodo proximâ caſtigari deberent : unde conſtat eo tempore cultam communem vitam à Clericis, eoſque Pauperes fuiſſe, qui de communibus bonis nutriebantur.

Nec ſolùm inferioribus Clericis indicta Paupertatis obſervantia ; ſed etiam ipſis Epiſcopis. Hinc Synodus Carthaginenſis IV. can. XXXI. hæc habet. *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis ; non tanquam proprijs utatur.* Et Novellâ conſtit. CXXXI. varia ad Eccleſiæ ſtatum pertinentia decernuntur. caput XIII. ad materiam noſtram facit : ſiquidem interdicit Epiſcopis res ſeu immobiles, ſive mobiles ad eos poſtquam facti ſunt Epiſcopi delatas quocunque modo, in proprios cognatos, aut perſonas ejuſmodi transferre. Ratam habet tamen donationem ab ijs factam in captivorum redemptionem, egentium victum, aliàſve pias cauſas. Quę non eum in finem à me producuntur, quod probem legem à Principe ſæculari in re Eccleſiaſticâ ferri, (in quo viderint alij, an, & quantum, conceſſam ipſi à Deo poteſtatem exceſſerit) ſed ut oſtendam non plenam, & omnibus legibus exſolutam in Eccleſiaſtica bona conceſſam Epiſcopis fuiſſe poteſtatem, ex communi ſenſu fidelium cum Eccleſiaſticorum, tum Laicorum : & utrumque jus, tum Canonicum, tum civile Epiſcoporum firmaſſe paupertatem.

Poſſidius in vita B. Auguſtini cap. V. *Factus Presbiter*, inquit, *monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum ſervis Dei vivere cepit, ſecundum modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam : maximè, ut nemò quidquam proprium in illâ ſocietate haberet ; ſed ut eſſent eis omnia Communia, & diſtribueretur unicuique prout cuique opus erat : quod jam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet.* Hæc Poſſidius. Quæ quare P. Natalis Alexandre ſæculo V. par II. art III. ad Monachos à B. Auguſtino inſtitutos, referre maluerit, quam ad Clericos, nulla mihi occurrit ratio : maximè cum aliud Monaſterium ab eo, cum factus eſſet Epiſcopus, inſtitutum, huic prorſus ſimile, Clericorum eſſe fateatur ; De quo Poſſidius cap. XI.

Solùm obiter obſeruo, inter alia Pietatis opera, ijs, qui ſub Auguſtini Diſciplinâ vivebant commendata, Paupertatem eminuiſſe : ne putemus eam aut non impoſitam, aut non majorem de eâ, quam de alijs levioris momenti obſervan-

obſervantiunculis habitam eſſe rationem. Alioqui, cur cum aliæ in genere tantum nominentur, aut ne nominentur quidem, hujus in ſpecie facta eſt mentio? Cur additur, adverbium illud *Maximè: vivere cepit ſecundum Regulam ab Apoſtolis conſtitutam*: MAXIME', *ut eſſent omnia communia, & nemo quicquam proprium haberet*? Certè ſi Paupertatem, ſi bonorum communitatem, ſi Proprij, ſive peculij abnegationem, iſta verba non ſignificent in illo contubernio, ſi non indicent accuratè obſervatam Paupertatis legem, Deſpero verba inveniri poſſe id importantia. Sed clarius id ex alijs Auguſtini operibus oſtendetur.

Idem enim Auguſtinus ſerm. XLIX. De diverſis, quem Venerabilis Beda legitimum agnouit: *Noſtis*, inquit, *ſic nos vivere in eâ domo, quæ dicitur domus Epiſcopi, ut quantum poſſumus imitemur eos Sanctos, de quibus liber Actuum Apoſtolorum: nemo dicebat aliquid proprium; ſed erant illis omnia communia. Dedit mihi Valerius hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium. Perveni ad Epiſcopatum: vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus, ſive tranſeuntibus, quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus dicerer. Si autem conſuetudo iſta in Monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideo volui habere in iſtâ domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum.* (ubi nota *Monaſterium* vocari Clericorum habitaculum: ne ubi nomen *Monaſterij* occurrit, de Monachorum domicilijs ſermonem eſſe ſemper credamus.) *Noverit Charitas veſtra dixiſſe me Fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, vendat, & erogęt; aut donet, & commune illud faciat, Eccleſiam habet, per quam Deus nos paſcit.*

Item: *Profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communitèr vivendi Societatem: ſi ab hoc Propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit.* Quaſi mediâ tantum ex parte Clericus eſſet, qui à Paupertatis Propoſito deficiſſet. --- Certè eos graviſſimè peccare, qui peculium retinent, hæc Auguſtini verba demonſtrant: *Si paratus eſt paſci à Deo per Eccleſiam ipſius, habere non debet aliquid proprium; ſed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere. Qui hoc non vult, habeat libertatem, & videat, utrum habere poſſit Felicitatis æternitatem.*

Et Serm. L. *Quia placuit illis hæc ſocialis vita, quiſquis cum hypocriſi venerit, quiſquis inventus fuerit habere peculium, non illi permitto, ut inde faciat teſtamentum; ſed deleho eum de tabulâ Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me, quò voluerit, ſit certè ubi potuerit; adjuvabit me Deus, ut ubi ego ſum Epiſcopus, illic Clericus eſſe non poſſit.* Hæc ex Aug. citat Petrus Damiani Opuſc. 24. cap. 1. Quis his expenſis non aſſeret Auguſtinum à Clericis exegiſſe Paupertatem?

Non tamen videtur Auguſtinus primus hujus Author diſciplinæ; eam enim ſecum ex Italiâ retulit. Quod inſinuare videtur Poſſidius cap. V. in ejus vitâ: dum ait eum talem vivendi, modum inſtituiſſe, *dum de tranſma-*

rinis

vinis illis partibus reverſus in Africam Auguſtinus, Inſtitutum illud amplexus eſt. & alios ad illud imitandum invitauit. Colligo 5. quia non niſi multò poſt Monachi in civitates migrarunt.

Conſtat ſub Ambroſio viguiſſe, diſciplinam ſeveram nec pijſſimum Antiſtitem in ipſius ſocietate diſcolos ferre voluiſſe. Cum enim ex ejus Clericis duo (qui dicuntur à Nicolao le Maitre *Sarbation*, & *Barbation*; ſed unde id hauſerit, neſcio) ægrè ferrent auſteriorem vivendi modum, duram jeiunij & continentię legem, & in frugalem, atque parciorem victum debaccharentur, dicerentque omnia humano ingenio inventa, nullius eſſe apud Deum meriti, apud homines precij, (quod Hæretici moderni faciunt) Ambroſius ubi domum redierunt admitti vetuit. Sed Ambroſium ipſum audiamus L. X. Epiſt. LXXXII. *Non procul* à Principio: *Quæ iſtos Epicureos nova ſchola miſit*, inquit, *non Phyloſophorum, ut ipſi aiunt; ſed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam nullius eſſe dicant utilitatis? Fuerunt nobiſcum; ſed non fuerunt ex nobis. Nec enim pudet dicere, quod dixit Evangeliſta Ioannes. Sed hic poſiti jeiunabant, intra Monaſterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſæ converſationis licentia: hoc delicati non potuerunt ferre, abierunt: deinde volentes redire, non ſunt recepti: pleraque enim audieram, quæ debebant caveri: monueram, & nihil effeci.*

De Romanis Seminarijs aut Monaſterijs, nihil inveni, alibi. Credo in vivendi modo cum illo Mediolanenſi conveniſſe. Eccleſia Rhinocorurenſis in Ægypto Clericos habuit communi vitæ deditos à Melane & Dioniſio Epiſcopis inſtitutos, teſte Zoſomeno L. VI. hyſt. cap. XXXI. *Eccleſia Rhinocorurenſis ejuſmodi ab initio nacta Antiſtites*, inquit, *ex eo tempore ad noſtram uſque ætatem, eorum uti inſtitutis, & bonos, ac pios viros efferre non deſtitit: quin etiam Clericis illius Eccleſiæ ædes communes, communis menſa, alia denique communia omnia.*

B. Euſebium ſimilem vivendi normam in Eccleſiam ſuam Vercellenſem induxiſſe teſtis eſt Locupletiſſimus Ambroſius lib. X. epiſt. LXXXII. ſupra Laudatâ. *In Vercellenſi Eccleſiâ duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo*, inquit, *Monaſterij continentia, & diſciplina Eccleſiæ. Hæc enim primus in occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut & in Civitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jeiunij ſobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, ſi ad ſtudium abſtinentiæ, & normam integritatis juventutem aſtringat, & verſantes intra urbem abdicet uſu urbis, & converſatione.*

B. Proſper lib. II. de vitâ contemplatiuâ cap. IX. ait: *Expedit facultates Eccleſiæ haberi, & proprias perfectionis amore contemni: non enim propriæ ſunt; ſed communes Eccleſiæ facultates: & ideo quiſquis omnibus, quæ habuit, dimiſſis, aut venditis, ſit rei ſuæ contemptor, cum Præpoſitus fuerit factus Eccleſiæ, omnium, quæ habet Eccleſia, efficitur diſpenſator. Denique S. Paulinus ---- ingentia*

 prædia,

prædia, quæ fuerant ſua, vendita Pauperibus erogauit: ſed cum factus eſſet Epiſcopus, non contempſit Eccleſiæ facultates; ſed fideliſſimè diſpenſauit. Quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem, contemni; & ſine impedimento Perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes, poſſideri. Quid S. Hilarius? Nonne & ipſe omnia bona ſua aut Parentibus reliquit, aut vendita Pauperibus erogauit? Is tamen cùm meritò perfectionis ſuæ fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quæ illa tunc habebat Eccleſia non ſolum poſſedit; ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus ampliauit. Hæc ibi.

Quæ adeo clarè redarguunt errorem ab Epiſcopo Bellicenſi recens invectum, quo damnat Paupertatem Religioſorum, qui opes in communi poſſident, ac ſi de induſtriâ in eum ſcripta fuiſſent. Patet ex ils etiam BB. Paulinum, & Hilarium (idem de reliquis Epiſcopis) habuiſſe bonorum Eccleſię adminiſtrationem, licet proprijs bonis renunciaſſent perfectionis amore. Non improbabile tamen videtur duas ob cauſas, permiſſam Epiſcopis ſuorum bonorum adminiſtrationem: quarum prima erat, ſi Eccleſia erat pauper, nec Epiſcopo, Clericis, pauperibus alendis ſufficiret, licebat Epiſcopo, de ſuis bonis vivere. Ita B. Proſper, ſupra. Altera, ſi quis Pater familias ad Epiſcopatum raperetur, nec conjux, atque Liberi communes, patrimonio adminiſtrando pares eſſent: tenebatur enim tunc Epiſcopus lege naturæ (quam nunquam violat lex Eccleſiaſtica) bonorum ſuorum curam habere, ijſque neceſſaria inde ſubminiſtrare. Alioquin ad eos alendos teneretur Eccleſia, quæ eos paternâ protectione ſpoliaſſet.

Iiſdem temporibus vixerunt & Floruerunt Martinus Turonis, Baſilius Neoceſareę, Alipius, Fulgentius, alij alibi, ex ijs hominibus deſumpti, qui Paupertatem voluntariam amplexati fuerant, & vitam communem cum alijs ejuſdem Inſtituti cultoribus obſervârant. Unde non malè dictum videtur ab Iuone Carnotenſi: *In primitiuâ Eccleſiâ nullum fuiſſe Conſtitutum Rectorem animarum, niſi de Communi vitâ aſſumptum.* Enimverò ſi ex uno Lirinenſi Monaſterio prodeuntia ſpectemus Epiſcoporum examina per totam Galliam magno hujus Eccleſię bono diffuſa, haud difficultèr credemus id non ſine causâ dictum eſſe.

Agmen claudat Gregorius, qui ad ſeptimum ſæculum vixit: is autem quicquid hactenus de Paupertate Clericorum dicta ſunt clarè confirmat. Reſp. 1. ad Interrogata Auguſtini Anglorum Epiſcopi. *Mos Apoſtolicæ ſedis eſt*, inquit, *Ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut ex omni ſtipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: una videlicet Epiſcopo & familiæ, propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem: Alia Clericis: Tertia pauperibus: Quarta Eccleſijs reparandis. Sed quia tua Fraternitas Monaſterij regulis erudita, ſeorſum vivere non debet à Clericis tuis, in Eccleſiâ Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere converſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris: in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebant;*

bant; ſed erant illis omnia communia. Hęc B. Gregorius.

Unde patet 1. in Anglorum Eccleſiâ bonorum Eccleſiaſticorum omnimodam communitatem, (qualem Hieroſolimis ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe ſcripſimus) inductam fuiſſe. Nec enim dubium eſſe poteſt, quin Auguſtinus obſervandam curârit vivendi normam à B. Gregorio commendatam, ab Eccleſiâ illius gentis naſcente, quæ eadem univerſali Eccleſiæ naſcenti communis erat.

Patet 2. Non niſi per aliquam primitiuæ Diſciplinæ relaxationem ad illam bonorum Eccleſiæ in aliquot portiones diviſionem deventum eſſe. Eam enim ex Anglicanâ Eccleſiâ abeſſe jubet, cum nulla conſuetudine firmaretur. Quaſi non niſi ad vitandum majus malum fuiſſet introducta alibi.

Petes: quâ ratione conſulere, poterant Clerici fidelium ubique diſperſorum per magnam Diœceſin neceſſitatibus ſpiritualibus, ſi omnes uno in loco, Seminario nimirum illo, quod vel *Domus Dei*, vel *Domus Epiſcopi* dicebatur, unà vivebant? Reſp. Fideles initio per excurſiones, ſive Miſſiones juvabant: quales multæ in Galliâ recens inſtitutæ, magno cum fructu. Hoc ſatis fuit, dum pauci in Pagis & oppidulis Fidem fuiſſent amplexi. Aucto deinde Fidelium numero, cum Eccleſia Metropolitana quantumuis magna cunctis recipiendis impar eſſet, inſtitutæ ſunt aliæ, quæ vel *Oratoria*, vel *Parochiales* Eccleſiæ dictæ ſunt, aſſignatis cuique Præsbiteris, & ijs qui Parochijs præerant Parochorum nomen impoſitum eſt: qui per annum ſacrum illic faciebant, cum onere tamen in majoribus feſtivitatibus ad Eccleſiam matricem conveniendi ex Oratorijs. Ita Synodus Aruernenſis, an. DXXXX. celebratæ can. XIV. *Si quis ex Presbiteris, aut Diaconis*, inquit, *qui neque in Civitate, neque in Parochijs Canonicus eſſe dignoſcitur; ſed in Villulis habitans, in Oratorio Sancto deſerviens, celebret Divina Myſteria; feſtivitates præcipuas, Domini Natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſunt Feſtivitates reliquæ, nullatenus alibi; niſi cum Epiſcopo in Civitate teneat.*

CAPUT LV.

Concilia multa ſexti, & ſequentium ſæculorum communem vitam exigunt, & Paupertatem imperant.

EXORDIOR à Concilio Agathenſi an. Dom. DV. celebrato. Cujus can. VII. Hæc habentur: *Caſellas, vel mancipiola Eccleſiæ Epiſcopi (ſicut Priſca Canonum præcipit auctoritas) vel vaſa miniſterij, quaſi commendata fideli præpoſito, in integro Eccleſiæ jure poſſideant, id eſt, ut neque vendere, neque per quoſcunque contractus res, unde pauperes vivunt, alienare præſumant.* Addit, ſi contractus

ejuſmodi fieri neceſſe ſit, eos à duobus, vel tribus comprovincialibus Epiſcopis, cognitâ totâ causâ, comprobari debere. Et *alitèr factam venditionem, vel tranſactionem*, reſcindit. Sed can. XXXXV. permittit alienationem terrularum & vineolarum remotiorum, cum conſilio fratrum, ſi neceſſe fuerit. Et can. XXII. *Licet ſuperfluum ſit*, inquit, *de re notâ, & antiquis Canonibus prohibitâ, aliquid iteratò deſinire, attamen quò faciliùs cupiditas, & improbitas reprimatur, id ſtatuimus, quod omnes Canones jubent, Civitatenſes, ſive Diœceſani Presbiteri, vel Clerici, ſalvo jure Eccleſiæ, ſicut permiſerunt Epiſcopi teneant: vendere autem, aut donare penitus non præſumant. Quod ſi fecerint, vel fecerunt, facta venditio non valebit*, -----. Et can. XXXXIX. & LIII. reſcindit alienationes rerum ad Eccleſias Parochiales pertinentium, ab earum adminiſtratoribus factas.

Anno Dom. DXVII. Epaonenſis Synodus habita eſt, in cujus can. VII. hæc habentur: *Quicquid Parochiarum Presbiter de Eccleſiaſtici juris poſſeſſione diſtraxerit, inane habeatur, & vacuum*; Datâ etiam in comparantem & hæredes Actione. Simile quid de Archidiacono, Abbate, & Abbatiſsâ decernitur can. VIII. Et can. XII. Vetat Epiſcopum quicquam alienare ſine conſcientiâ Metropolitani, permittit utilem permutationem. Et can. XIV. *Quiſquis Clericus aliquid*, inquit, *de munificentiâ Eccleſiæ cui inſervierit adeptus: & ad Sacerdotium alterius Civitatis eſt, aut fuerit ordinatus, quod dono accipit, vel acceperit, reddat.* Huc facit etiam Aurelianenſis concilij III. canon. XVIII. Vetans Clericum ab unâ Eccleſiâ, vel officio, ad aliud tranſeuntem quicquam ſecum transferre, niſi de conſenſu Epiſcopi. Nonne hoc ſimile eſt illi Canoni, *quod Monachus acquirit, Monaſterio acquirit?*

Sæpe laudavimus canonem 1. Concilij Toletani ſecundi: quo clariſſimè decernitur Clericos ab infantiâ in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi oculis educandos eſſe: Anno ætatis ſuæ XVIII. inquirendum ipſorum propoſitum; qui ſi reſpondeant ſe caſtè victuros, caſtitatem voto ſpondere tenebantur, tum anno ætatis ſuæ XX. Conſecrandos Subdiaconos: at ſi ſponſionem violaſſent, excommunicatione plectendos. Communem Clericis vitam indici manifeſtum eſt.

Synodus Aurelianenſis II. Can. IX. *Nullus Clericorum*, inquit, *ſine permiſſione Epiſcopi ſui, cum ſæcularibus habitare præſumat. Quod ſi fecerit, ab officij communione pellatur.*

Concilium Aurelianenſe IV. Can. XVIII. *Quicumque Clericus aliquid de Iure Eccleſiaſtico, ſeu verbo, ſeu per ſcripturam acceperit ad utendum, & poſtmodum alienare quâcunque occaſione voluerit, non valebit, quia ſecundum Canonum inſtituta, proprietatem Eccleſiæ non violat in alios quamlibet longa poſſeſſio. Sed in Pontificis Poteſtate conſiſtat, qualitèr pro conſervando jure Eccleſiaſtico, rem poſſeſſam inter Clericos debeat communicare.*

Concilium Toletanum III. Can. XVIII. decernit, eos qui fundant Eccleſias, (dotant) nullum in earum bona etiam à ſe data jus habere; ſed illa

bona

bona Epiſcoporum diſpoſitioni permittenda.

Toletanum IV. cap. XXIII. *Qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno contlaui atrij commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuriâ; ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniore, quem & magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant.* ------ *Qui autem his præceptis reſultaverint, Monaſterijs deputentur, ut vagantes animi, & ſuperbi, ſeveriori regulâ diſtringantur.*

Obitèr ex iſto Canone notandum antiquum morem, Clericos, ubi refractarij erant, aut criminis gravis rei in Monaſteria mittendi. De quo Concilium Epaunenſe can. XXII. *Si Diaconus, aut Presbiter crimen capitale commiſcrit, ab officij honore depoſitus in Monaſterium retrudatur, ibi tantummodo quamdiu ad vixerit, communionem ſumendo.* Hæc ibi, & multi canones idem decernunt. Unde dubium oritur de quo Monaſterio intelligendi ſint canones, canonicorum, an verò Monachorum? Utrorumque enim domicilia Monaſteria dici, jam vidimus. Et in utriſque Regularis obſervantia vigebat: ſed arctior multò inter Monachos, quam inter Canonicos. Reſp. I. qui extra Monaſteria vivebant Clerici (velut qui in minoribus oppidis aut pagis, Fidelium ſalutem procurabant) in peccatum grave lapſi, in Monaſteria vel Clericorum, vel Monachorum mittebantur. Hoc habet diſertè Synodus Cabilonenſis ſecunda an. Dom. DCCCXIII. celebrata: *Statuimus*, inquit, *ut gradu amiſſo, agendæ Pœnitentiæ gratia in Monaſterio aut Canonico, aut Regulari, mittantur.* Et hoc videmus in Galliâ fieri, quotiès aliquis Clericus officij ſui immemor, ſcandalo eſt ijs, quos ædificare tenetur, ad Seminaria deſtinatur. Reſp. 2. Ubi tale erat commiſſum peccatum, ut ſeveriori animadverſione caſtigari deberet, aut tam pervicax animus, ut laxior molliorque diſciplina Monaſterij Clericorum corrigere non poſſet, tunc ad arctiorem, & ſeveriorem Monachorum diſciplinam recurrebant, quod è Synodo Toletanâ IV. mox citatâ patet.

Ubi nota non ſemper intra Monaſterium (quod velut pro carcere vel honeſtiori cuſtodiâ haberi poſſet) compingebantur. Auguſtinus enim Sacerdotem è ſuâ familiâ peccantem non recluſit; ſed miſit peregrinatum, ut videre eſt in ejus Epiſt. CXXXVII. Hæc obiter. Redeo ad rem.

Singularis eſt, & notatu dignus canon. IV. Concilij Toletani VII. qui coercet *rapacitates Pontificium* Gallæciæ. Sunt concilij verba, non mea. Conqueſti enim fuerant Parochi Galitiæ Provinciæ, quod eorum Epiſcopi *Parochianas Eccleſias nimis gravarent, dum in exactionibus ſuperflui frequentèr exiſtunt, penè uſque ad exinanitionem extremæ virtutis quaſdam Baſilicas perduxiſſe probantur*, inquit, quod ſcilicet dum neceſſaria vitæ Parochi relinquere pretenderent, & ſola ſuperflua auferre, quoſdam Parochos, eorumque Eccleſias adeo exhauſerant, ut vix neceſſaria ſupereſſent utriſque. Quod numquam permiſiſſent Parochi, niſi conſcij ſibi fuiſſent, ſe Paupertatem profeſſos eſſe.

Synodus

Synodus verò Episcoporum Avaritiæ modum imponit: definiens, quantum à quoque Parocho exigere liceret. Aliud insuper hic notandum est, nec Parochos Actores, nec Synodum judicem, affirmasse, quod Episcopi jus, non suum usurpassent, in eâ exactione, (cum scirent varia consilia decrevisse ab Episcopis omnia Ecclesiæ bona administrari) sed illud jus agnôrunt, tantum usum illius moderandum docuerunt.

Concilium sub Pipino an. Dom. DCCLVI. can. XII. *Qui dicunt se tonsuratos esse propter Deum, in Monasterio habitent sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub Ordine Canonico.*

Concilium Francofurrense an. Dom. DCCXCIV. celebratum can. XXIX. Educationem in Domo Dei supponens, finem, quem respicit, his verbis exprimit: *Episcopus sibi subditos benè doceat, & instruat: ut in Domo Dei semper digni inveniantur, qui possint Canonicè fieri Electi.* Jam ex alibi dictis, patet Domum Dei vocari Ecclesiæ Seminaria: licet modo in Galliâ Nosocomia vocentur ex nomine. Debebant itaque, benè instrui in Seminarijs Clerici, ut essent apti ad succedendum Episcopo defuncto.

An. Dom. DCCCXIII. tertia Synodus Turonensis celebrata est: in cujus canone X. Episcopis cura rerum ad Ecclesiam spectantium, commendatur, quibus uti debent non ut proprijs; sed ut eorum fidei commissis. c. XI. decernitur, ut Episcopus præsentibus præsbi eris, ea eroget, ad subveniendum pauperibus. Canonè verò XII. jubetur Clerum ambiens in Episcopio educari, *Donec possint & mores & actus ejus animadverti.* Et can. XXIII. *Canonici, & Clerici civitatum, qui in Episcopijs conversantur, consideravimus,* inquit, *ut in Claustris habitantes simul omnes in vno dormitorio dormiant, simulque in vno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas celebrandas occurrere, ac de vitâ & conversatione suâ admoneri, & doceri. Victum & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant: ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari, ac turpibus se implicare negocijs cogantur: dimissoque Ecclesiastico officio, incipiant indisciplinatè vivere, & proprijs deservire voluptatibus.*

Concilium Cabilonense secundum c. VI. *Res Ecclesiæ, quibus Episcopi non ut proprijs; sed ut commendatitijs vti debent, Precia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.*

Concilium Moguntinum sub Carolo M. an. Dom. DCCCXIII. can. IX. *In omnibus quantum humana permittit infirmitas, decrevimus, ut Canonici Clerici Canonicè vivant, observantes divinæ scripturæ, doctrinam & documenta Sanctorum Patrum, & nihil sine licentiâ Episcopi sui, vel Magistri eorum positi agere præsumant, in unoquoque Episcopatu: & ut simul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo Claustro maneant, & singulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vetò similitèr lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant.* Quot Religiosorum consuetudines imperat?

imperat? Quot ſæcularium Clericorum laxitates improbat?

Tertio poſt hæc anno, ſcilicet XVI. ſęculi IX. nobiliſſima Synodus Aquiſgrani celebrata CXLV. condidit canones, quorum ultimus aliorum omnium Epilogus eſt: quem ſupra dedimus integrum cap. XXX. videantur illius concilij canones, plerique quippe noſtrum intentum apertè docent. Integrè citari non poſſunt ob prolixitatem omnes: eorum nullus ſine injuriâ omitti poteſt, alijs productis. Proinde Lectorem rogatum velim, ipſos conſulat.

Anno deinde XXVI. ejuſdem ſæculi IX. Concilium Romæ celebratum ſub Eugenio PP. II. Hæc habet: *Vbi Clerici conſiſtere debent: ſcilicet, eis unum ſit Refectorium, ac Dormitorium, ceu cæteræ officinæ ad uſus Clericorum neceſſariæ.*

Anno DCCCXXIX. Synodus Pariſijs celebrata, cap. XVI. decrevit, omnia quæ Epiſcopis, aut Presbiteris, quocunque titulo obvenirent, Eccleſiæ danda.

Synodus Moguntina an. Dom. DCCCLXXXVIII. *De Monaſterijs*, inquit, *Clericorum, Monachorum, atque puellarum, quæ Clericis, ſive Laicis, Beneficij jure donata ſunt, placuit, ut tales eis præficiant proviſores, & Præpoſitos, ſicut in Cabilonenſi Concilio ſcriptum eſt, qui & præeſſe noverint, & prodeſſe, & qui ad Epiſcopum recurrant, & ſecundum ejus ordinationem ad conventum Synodi occurrant, & commiſſum ſibi gregem Canonicè, & cum magnâ religione cuſtodiant, quaſi rationem de animabus eorum reddituri.*

Sæculi porrò XI. an. XC. Concilium Melfitanum in Apuliâ canone XIV. hæc habet: *Presbiterorum filijs à ſacri altaris Miniſterijs removendos decernimus, niſi aut Cœnobijs, aut in Canonicis religioſè probati fuerint converſati.*

Putant aliqui ad ſæculum uſque XIII. viguiſſe in Galliâ diſciplinam canonicam, & verè regularem inter Clericos majorum Eccleſiarum miniſterio deputatos: ſiquidem an. Dom. MCCXV. Monſpeſſulana Synodus ſeverè edixit canonum obſervantiam. Verùm falli videntur apparenti vocum unitate, verâ ſimilitudine: nam ſermo ibi non de canonicis quibuſcunque; ſed de Regularibus eſt. *Nullus Monachus*, inquit, *vel Canonicus Regularis proprium habeat, nec etiam de ſui Abbatis, vel Prioris licentiâ, cum ipſis hanc dare licentiam non poſſint. ----- nulli Canonico regulari certa pecunia pro veſtimentis detur: ----. Mandamus ut in quolibet Monaſterio, vel Canonico regulari, ſingulis diebus Dominicis Proprietarij in Capitulo excommunicentur.*

Hæc inquam, & id genus alia, probant ſermonem eſſe de Canonicis Regularibus, qui tum temporis in uſu eſſe ceperunt, quando Domini Canonici *Canonicè* vivere deſierunt.

Quæ diximus abundè probant quod intendimus: Clericos majorum Eccleſiarum obſequio deſtinatos *Canonicos* fuiſſe, id eſt, *Regulares, in communi vixiſſe, eodem Refectorio, eodem Dormitorio, reliquiſque Officinis ijſdem communiter uſos eſſe, ſub uno Præpo-*

uno Præpoſito vixiſſe, ſive is ipſe eſſet Epiſcopus, ſive alius ab ipſo nominatus. Sequens verò caput oſtendet eos *Solos non adiviſſe Virginum domus; Sed cum ſocio, ab Epiſcopo, vel Seminarij Præpoſito nominato: ſine licentiâ præpoſiti egredi non potuiſſe:* Denique *voluiſſe Paupertatem.* Quę omnia demonſtrant eos *Regulares* fuiſſe.

CAPUT LVI.

Ex nominibus, & ædificijs Clericorum, alijſque indicijs probatur eorum vita communis, atque Paupertas.

PRIMAM ad hoc oſtendendum rationem deducere poſſumus ex *Clerici* nomine. Verum quoniam illâ uſi ſunt ſumus cap. LIV. eam hic omitto. Solùm obſeruo levem videri non debere, quæ petitur ex BB. Ambroſio, Hieronimo, atque Petro Dam. & locum in jure canonico invenit.

Secunda ratio deducitur à nomine, quo Cathedralium Eccleſiarum adminiſtri & olim appellati ſunt, & etiamnum appellantur. Nimirum *Canonici*, ſive *Regulares*, â regulari vitâ, quam vivebant; potiſſimùm verò à ſolemniſſimâ, notiſſimâque regulâ Apoſtolorum, omnia in communi ponenda decernente. Quod enim aliqui deducunt à canone vel Albo, cui inſcribebantur Clericorum nomina: Aut à canone, ſive catalogo cantorum, leviùs eſt, quam ut id refellere ſit opus. Multis enim annis fuit res canonici, quando non erant cantores. Ut colligitur ex cap. XXXX. Et rariſſimi ſunt qui inde nomen deducunt. Sed juvabit alios audire hac de re differentes, non quidem Religioſos; ſed canonicos, & canonicorum Primores, de hujus vocis etimologiâ loquentes.

Concilium Colonienſe an. Dom. MDXXXVI. Celebratum, cap. VI. *Vt de Canonicis pauca dicamus: reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini, ſint reipsâ, ut ſunt nomine, Regulares.* &c.

Alij deducunt à præbenda, (ut habet Suarez tom. IV. de Relig. lib. de varietate religionum cap. IX.) De quibus Gerardus Voſſius, in Etimologijs: *Rara avis in terris eſt hodie Canonicus, à Canone vitæ*, inquit, *Vnde ergo? Audi Vnde: eſt Canon vitæ, & eſt Canon pecuniæ, videlicet alicujus penſionis certæ: Vnde ſolet dici, ſolve mihi Canonem meum, i. e. penſionem meam. Eia ergo, O Canonicè, inveniamus Canonem tuum, à quo derivaris. Id eſt à Canone pecuniæ, non à Canone vitæ, à Canone regionis; non à Canone Religionis.* Hęc Vir Doctus contemptim, & cum indignatione probroſam nobiliſſimo inter Eccleſiaſticos Ordini etymologiam explodens. Eandem Coſmas Guimerius Nobilis J. C. *Stholijs ad Pragmaticam ſanctionem, Tit. de Collationibus, §.* Item *placuit*, gravioribus argumentis impugnat: quorum præcipua hæc ſunt. 1.

fuerunt

fuerunt Canonici, priuſquam præbendę eſſent ſepaaratim inſtitutæ. 2. Canonicatus eſt quid ſpirituale: quare non debuit à Prębenda denominari, quæ quid temporale eſt.

Joannes Molanus lib. 1. de canonicis: *Multum expedit*, inquit, *vt qui Dominorum Canonicorum titulum honorabilem in Eccleſiâ eſſe arbitramur, primum animadvertamus, quantum diſtemus à priſcis illis Canonicis, quibus hoc nomen à Regulâ ſumptum eſt, cujus cum eſſent obſervantiſſimi, malebant humilioribus vocabulis, Clerici, & Fratres dici, quam à Canonicæ vitæ obſervatione Canonici appellari. His indigni ſumus, qui connumeremur. Si enim noſtrorum temporum Canonicis antiquos Canones objicere vellem, de Obedientiâ ſub Epiſcopo, de communi Dormitorio, communi mensâ, & frugali victu, & potu, Clauſtrali Conventu, & aliijs nonnullis eò pertinentibus, vereor ne à multis audirem, hæc nunc non Canones; ſed paleas eſſe.*

Albertus Krantzius Decanus Hamburgenſis, qui obijt an. Dom. M DXVII. lib. IV. Metropolis cap. I. Cum S. Unvarij canonicorum inſtauratoris laudes proſecutus eſſet, ait: *Interpretemur oro vocabulum: ſi Canon eſt Regula, Canonici ſunt Regulares. Quid ergo fiet de Canonico ſæculari, niſi ut Regularis ſit Irregularis, aut ſi id malumus, Regularis ſine Regulâ. Erat is Devotionis fervor in Sanctis Patribus, ut inter Fratres ipſi etiam Pontifices victitarent: quod de hujus prædeceſſore legimus. Iam ventum eſt ad Regulares, ut Canonici dicerentur: utinam ibi perduraſſent. Inferior inventus eſt gradus, Canonicus ſæcularis, hoc eſt monſtrum ſine exemplo: regularis ſine regulâ, Canonicus, ſine Canone.*

Et lib. VII. ejuſdem operis cap. L. de Bernardo Paderbornenſi loquens, hæc habet: *Sub hoc Pontifice in Eccleſiâ Paderbornenſi adhuc obſervantia regularis inter Canonicos viguit: & ſub eo commutatio facta videtur de regulari obſervantiâ ad ſtatum Canonicorum ſæcularium. Sed quærimus: quid ſit Canonicus ſæcularis? Interpretato nomine, ſi Canon eſt Regula, Canonicus eſt Regularis. Ergo ſæcularis Canonicus, eſt Regularis ſæcularis, & expreſſiuè Regularis ſine Regulâ, aut Regularum Irregularis.* Verba tantum à per-Illuſtri & Erudito canonicorum ſuperiori ſcripta refero: ne quis exprobrando Dominis Canonicis dici calumnietur; quod cerè à mente meâ alieniſſimum eſt.

Proſequitur idem ibidem: *Idem arbitror factitatum per cæteras Eccleſias* (mutatos ſcilicet Canonicos Regulares in ſæculares) *ſed Premonſtratenſes, præterquam in Magdeburg, ſuam Regulam tenuerunt, in Hevelberg, Brandenburg, Raceburg, & pleriſque aliis.* Hęc de nomine *Canonici.*

Tertia ratio deducitur ex can. XXV. Synodi III. Carthaginenſis: *Vt Clerici, vel continentes, ad viduas, vel virgines, niſi juſſu, vel permiſſu Epiſcoporum, & Presbiterorum non accedant. Et hoc non ſoli faciant; ſed cum his, cum quibus Epiſcopus juſſerit, vel Presbiter. Nec Epiſcopi, aut Presbiteri, ſoli habeant acceſſum ad hujuſmodi fœminas, niſi aut Clerici præſentes ſint, aut graves aliqui Chriſtiani.* Ubi duo jubentur; I. ut illas non adeant Clerici ſine veniâ Epiſcopi vel Presbiteri. 2. Ut illas numquam adeant ſoli; ſed cum ſocio nomi-

nato ab Episcopo vel Presbitero, scilicet cui Clericorum cura commissa est. Nec ipsi etiam Episcopo permittitur eas adire soli: ipsi enim injungitur, socium semper secum habeat. Hoc autem vel ex Apostolicâ traditione fluxisse videtur, vel etiam ex divinâ institutione, quatenus ipse Christus Discipulos suos prædicatum Evangelium mittens, *binos* misit. Enimverò eandem disciplinam religiosè observatam in Oriente, constat ex Synodo ad Quercum, apud Photium in Bibliothecâ, cod. LIX. Ubi hæc inter alias accusatio B. Joanni Chrisostomo intentatur: *Quod fœminas in suum cubiculum admitteret, alijs emissis.* Exigebat ergo illius temporis disciplina, ut ipsi etiam Episcopi Clericum secum semper haberent suæ continentiæ testem, quoties aliqua occasio peccati contrarij dabatur. Quod religiosè observatur à Regularibus in communi viventibus; sed vix, aut ne vix quidem observari potest ab ijs, qui in Domo separatâ vivunt soli.

Quarta ratio deducitur ex ædificijs Ecclesiæ Metropoliticæ, atque Collegiatæ cuique paulò antiquiori vicinis, canonicorum cohabitationi destinatis, quæ olim ubique, (& adhuc in Angliâ) *Monasteria* vocabantur, & etiamnum *Claustra* vocantur & in Galliâ, & alibi. In ijs *Refectorium*, & *Dormitorium* commune; quorum vestigia etiamnum cernere est, licet multis in locis Reparationum defectu ruinam aut fecerint, aut minentur. Quorsùm autem illa, nisi Domini canonici communiter viverent, & communi mensâ, communi cubiculo uterentur? Bellotus lib. de Ritibus Ecclesiæ Laudunensis, velle dicitur, illa Laruis & Lemuribus incolenda permitti. Sit ita, per me licet, cui voluntas non est, cum Laruis, & Lemuribus pugnandi. Dicet ne Laruarum & Lemurum usui ab initio constructa? Si non, manet difficultas, quam Laruarum, & Lemurum ope nunquam superabit. Confirmatur: quia multis in locis, si non ubique, Canonici, dum primò Residentiam, ut aiunt, faciunt, antequam in capitulum adsciscantur, ea pro Noviciatu faciunt, quæ etiamnum vitæ communis formam præ se ferunt; Ad quæ olim totâ vita tenebantur, nunc ijs officijs paucos intra dies levi manu defunguntur. De quo gravitèr queritur concilium Moguntinum, an. Dom. MDXXXXIX. celebratum, cap. LXXXVI. tanquam *de consuetudine perniciosâ, & irrationabili, aut potius corruptelâ.* Et jubet accuratiori examine probari *Domicellarium* (sic canonicos illos Novicios appellant) animos, & indolem ad virtutem factam: ne in Ecclesiam admittantur *pravis moribus dediti & ignaui.*

Ad hæc: alicubi in Germaniâ qui canonicatum ambiunt, tenentur unâ tibiâ nudâ admitti humilitèr petere à capitularibus: quod initio aut ad testandam Paupertatem, aut certè ejus amorem, factum esse certum est, nunc aliàs ob causas indispensabilitèr exigitur à candidatis, in aliquibus Ecclesijs collegiatis.

Denique, qui attentè legerit Orationem ad Completorium, inde colliget eam in communi Dormitorio, cum ad quietem ibi capiendam, finitis

finitis horis omnibus Eccleſiaſticis, Clerici omnes unà ſe conferrent, recitari conſueviſſe: Et ut ibi dicta, ſenſum optimum habet, & pientiſſimum; qui alioqui evanidus eſſe videtur.

CAPUT LVII.

Eccleſiæ quædam Nobiles à Regularibus adminiſtratæ.

UT à Lateranenſi Eccleſiâ incipiamus, facit ipſius Dignitas, cui *dogmate Papali datur, & ſimul Imperiali, quod ſit cunctarum Mater, Caput Eccleſiarum.* Ut dicit vetus inſcriptio. Exors Dominorum Poteſtas, nullis legibus coercita, quia omnibus major, in eo nobiliſſimo Theatro ſeſe exercuit, & rerum humanarum inconſtantiam, & perpetuas præſentis vitæ viciſſitudines exhibere voluiſſe videtur. Canonicis, i. e. Regularibus ejus adminiſtrationem dedit Gelaſius: his adjuncti fuerunt Monachi Caſſinenſes, cum eorum Monaſterium à Longobardis fuiſſet deſtructum, qui poſt centum & trigenta annos Caſſinum reverſi, Monaſterium, quod ſibi conſtruxerant, canonicis, hoſpitibus ſuis, reliquerunt. Hos Alexander I I. & Paſchalis Papæ Romani reformarunt, nævos aliquos, labeſque abſtergentes. Bonifacius PP. VIII. ut locum faceret ſæcularibus, Regulares ejecit: quos Eugenius PP. IV. poſt liminio reſtituit. Calixtus III. Bonifacium imitatus, eoſdem iterum ſæcularibus locum dare voluit; ſed eos in integrum Paulus reſtituit, datis ſecundum Regulares vindicijs. Tandem Xiſtus Regularibus Lateranenſibus Eccleſiam B. Mariæ de Pace conceſſit, cum Privilegijs, Immunitatibus, & Beneficijs, quibus antea fruebantur, ut Lateranenſem Baſilicam ſæcularibus relinquerent, qui erant Populo Romano gratiores.

Eccleſiæ Peruſinæ miniſtraverunt Clerici ad Auguſtini formam viventes, ſub ejuſdem Patrocinio militantes, cujus feſtum cum Octavâ celebrant. *Herculanus* quidam id inſtituiſſe dicitur. Cumque nonnihil relaxata eſſet inter eos diſciplina regularis, Innocentius P P, I I I. Epiſtolâ, quæ extat, eos eam ut repararent, admonuit.

Ferrarienſem Eccleſiam Metropoliticam extra civitatem olim ſitam fuiſſe ferunt, & eam fuiſſe, quæ nunc S. Georgij dicitur: quam dicunt à Canonicis Auguſtinianis adminiſtratam fuiſsè. Extant Benedicti PP. litteræ ad Priorem S. Georgij in Ferrarolâ.

Bononienſi Eccleſiæ ob multas immunitates à Leone V. & Joanne XIII. impetratas, Clariſſimæ, miniſtrarunt Regulares.

Avenionenſis Eccleſiâ Regulares habuit miniſtros à B. Rufo Apoſtolorum diſcipulo conſtitutos. Quam vitæ Normam ad ſæculum uſque XV.

retinuerunt: ad annum scilicet MCCCCLXXX. quo soluta fuit severior illa disciplina. Deinde non ita multò post (anno videlicet MCCCCLXXXV.) à Cardinale Juliano Ruverio, qui factus Pontifex Julius II. dictus est, sæcularis vitæ modus ejus Ecclesiæ Sacerdotibus permissus est.

Ecclesias Burdegalensem, & Tolosanam à Regularibus administratas fuisse, liquet ex c. *Præterea, de Præbend, & Dignit.* ubi Archidiaconus in duabus illis Ecclesijs *regularitèr professus*, & in utrâque Archidiaconi officium gerens, alterutri renunciare jubetur.

Albiensis Ecclesia diu regulam tenuit; quam labantem Bonifacius VIII. restituit. Tandem Regulæ suavi onere levata est, modo, quem Rebuffus designat; *in praxi Beneficiorum, tit. de Erectione Ecclesiæ in sæcularem.*

Simili ratione idem ostendi potest de Ecclesijs Rhemensi, Visuntinâ, Cabilonensi, Carnutensi, Dinensi, Trecensi, Narbonensi, Matisconensi, Bituricensi, alijsque. De quibus vide rerum Ecclesiasticarum Galliæ scriptores.

Transeamus in Angliam. Illic institutam ubique à B. Augustino Anglorum Apostolo Apostolicam vivendi normam, à B. Gregorio tantopere commendatam, minimè dubium est, ut vidimus: licet alternantibus erga Pietatem Ecclesiasticorum studijs, erga Ecclesiasticos Regulariter viventes magnatum Plebisque affectibus, jam Regulares, jam sæculares Clerici, nonnunquam etiam conjugati, aut concubinarij publici, varias Ecclesias administrârint. In clarissimis tamen sex Ecclesijs Cathedralibus Monachi Benedictini immoti fuerunt, donec ab Henrico VIII. facta fuit generalis Monasteriorum omnium dissolutio, & Regularium dissipatio. Ecclesiæ porrò illæ sunt Cantuariæ, Wintoniæ, Dunelmi, Wigorniæ, Coventriæ, & Roffensis.

In Scotiâ præter consuetum Ecclesiasticæ disciplinę morem, Hebridum Episcopus Abbati parebat: unde colligitur, quam sincerâ veneratione Clerus Monachos prosequerentur, cum Cleri caput Monachorum vertici se submittere non sit dedignatum. Hanc enim Episcopi submissionem Abbati factam, in ultroneam ejus devotionem, & singularis Pietatis admirabilem Venerationem referre malim, quam in jus aliquod Abbati illi acquisitum, & ordinarium: quod Abbatis in Episcopum Chymericum prorsus est, & vanum, ne dicam Luciferianum. Simili devotionis affectu quidam Episcopi in Oriente, depositis insulis, à Monachis sibi benedici petierunt. Revertamur in continentem.

Aquisgrani Carolus M. in templo B. Virgini Deiparæ dicato, quod fundârat, viginti Regulares Canonicos instituit, qui mensâ, & Dormitorio communibus uterentur: quod locus ipse demonstrat, (In Dormitorij tecto numquam visam ferunt araneam.) supereſt molendinum nomine suo, *Din Brudder Mul*, id confirmans. Sub Othone III. Imperatore ceperunt illius

Ecclesię

Eccleſiæ Canonici ſuas portiones dividere, & ſeparatim habitare. Hæc ex illius Urbis hyſtoriâ M. S. *Et Molanus idem ſentit.*

De Germaniâ univerſim Krantſius L. VI. Metropolis cap. XII. *In Magdeburgo crediderim Regulares fuiſſe Canonicos*, inquit, *ſicut per omnes ferè Eccleſias, donec degenerarent in eam, quæ nunc eſt, formam. Quæ ſi Deo placita ſit, ipſe novit; cæterùm ſcripturis, & legibus diſſona nimis eſt. In univerſum loquor, & de majori numero. Ceterùm eſſe Deo placitas in his animas, nemo dubitet.* Hæc pius ille Eccleſiæ Hamburgenſis Decanus.

Cui perſpecta fuerit communiſſima Eccleſiæ diſciplina ubique recepta, tunc temporis, quando utraque Germania ſuperior, & inferior ſuavi Chriſti jugo barbara colla ſubmiſit, qui novit etiam Primarios utriuſque Gentis Apoſtolos verè Regulares fuiſſe, næ is dubitare nullo modo poterit, quin in regionum illarum Nobiliſſimis Eccleſijs vita Regularis inſtituta fuerit, ab earum Apoſtolis, Bonifacio Moguntiæ, Suitberto. Ultrajecti, Romualdo Mechliniæ, Vedaſto Atrebati, Amando, vel Trajecti, vel Tornaci, Levino, Furſæo, alijs, alibi. Adeoque ſi perijſſent antiquitatis alia monumenta, ſi Concilia Moguntinum, & Aquiſgranenſe tempus rerum edax conſumpſiſſet, ſi hyſtoriæ Eccleſiaſticæ intercidiſſent, dubitare tamen haud liceret, vitam, qualem iſta imperant, ab illis fuiſſe inſtitutam.

Duraſſe porrò Regularem illam, & verè Canonicam Canonicorum vitam uſque ad finem circitèr ſæculi X. colligo ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi ad annum DCCCCLXXII. *Anno*, inquit, *iſto moritur Theodoricus Archiepiſcopus Trevirenſis. Sub quo Canonici Majoris Eccleſiæ, abjectâ regulari vitâ, quam hucjuſque majores continuaverant, deſierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine & converſatione ſæculares. Quorum exemplo malo, Canonici quoque S. Paulini Trevirenſis, S. Caſtoris in Confluentiâ, Moguntinenſes, Wormatienſes Spirenſes, & complurium aliarum Eccleſiarum, diverſis quidem temporibus; ſed uno impietatis ſpiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt.* Ita Trithemius apud Browerum S. I. Annalium Trevirenſium conditorem lib. X. num. XXIII. Qui tamen addit Primarium Clerum Trevirenſem ad communem vitam redijſſe ſub Ludolfo Arhiepiſcopo, qui dicitur fuiſſe primus Princeps Elector. Hic autem ſedere cepit, anno DCCCCXCIV. ut habent ijdem Annales lib. cit. num. LXVI. unde neceſſe eſt fateamur ad XI. uſque ſæculum viguiſſe vitam regularem in metropoli Trevirenſi. Krantzius verò ad ſæculum ferè XIII. perducit. Ait enim loco citato, nempe lib. VII. Metropolis c. L. in Regulari diſciplinâ perſtitiſſe Præmonſtratenſes, labentibus circum circa Canonicis alijs, à regulâ, & ſæcularem amplectentibus vitę modum. Præmonſtratum autem, cum aliquot ſocijs, incolere cepit B. Norbertus anno MCXX. ut habet Spondanus. Si verò demus, quod reſiduum erat illius ſæculi ad propagationem naſcentis tum temporis Sodalitij, videbimus vel ſæculo XIII. contigiſſe generalem, & luctuoſam illam DD. Canonicorum

à Cano-

à Canonicâ vitâ defectionem, vel non multò ante.

Optaret Eccleſia etiamnum inſtitui ejuſmodi vitam, ut videre eſt in Concilijs Colonienſi, Hildeſienſi &c. ſed propter difficultatem, & oppoſitionem aliorum, *quæ ſua ſunt quærentium*, nihil imperat, ne gravius damnum incurrat. Vide formulam vivendi canonicorum, &c. additam Synodo Hildeſienſi anni MDXXXIX.

CAPUT LVIII.

Clericos olim vovuiſſe Paupertatem.

ERROR eſt Eraſmi, vota olim in uſu non fuiſſe. Aurelius dicitur ab eo non multum abeſſe, qui negat etiam Monachos olim voviſſe quicquam: imò ſibi diſplicere vota non obſcurè ſignificat. Sed ad minuendam honeſto quopium Patrono tam odioſi Catholicis dogmatis invidiam, B. Franciſcum Saleſium citat, quaſi vota improbaſſet; nec in congregatione Virginum ſacrarum à ſe inſtitutâ vota inſtituiſſet, niſi ad alijs perſuaſus. Res eſt facti, in quâ nihil temere pronunciandum cenſeo, (fides ſit penes illum,) nec verò multùm refert, an ſuâ ſponte, aut aliorum magis vitæ regularis peritorum admonitione vota filiabus ſuis indixerit B. Saleſius. Indixit certè, & ea religiosè emittunt ipſius in Domino filiæ ſpirituales, Sic utilis fuit inſtitutio Judicum inferiorum, quos ad minores cauſas decidendas inſtituit Moyſes, retentâ ſibi, tanquam ſupremo Judici, cauſarum majorum cognitione: licet id nec Deo inſpirante, nec ſuapte voluntate; ſed hominis etiam Idololatræ monitu præſcripſiſſet. Contra hunc errorem oſtendimus cap. XLI. Votorum obligationem, mundo coævam eſſe. Cap. XLIV. Clericos obedientiam promiſiſſe. cap. L. voviſſe eoſdem caſtitatem. Nunc idem de voto Paupertatis oſtendendum.

Probatur autem 1. ex C. *Dilectiſſimis* XII. q. 1. (quod deſumitur ex Clementis Epiſtolâ V. cujuſcunque tandem illa ſit) *Conſilium dantes, veſtram Prudentiam hortamur*, inquit, *ut ab Apoſtolicis regulis non recedatis; ſed communem vitam docentes, & ſcripturas ſacras rectè intelligentes*, quæ *Domino* voviſtis, *ad implere ſatagatis.* Deinde C. *ſcimus* XII. q. I. (quod deſumitur ex Urbani I. Epiſt. unicâ c. II.) *Quicunque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & Vouit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat.* Vide Petrum Damiani Opus XXIV. cap. I. & II.

Probatur 2. ex Auguſtino. In Pſal. XCIX. de illo agens, qui â Monaſterio deficit, ait: *Dum non perſeveraverit implere quod vovit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi.* Vota ergo emittebant, qui in Monaſte-

Monaſteria admittebantur: cenſebantur autem ea vota violare, qui inde recedebant. Hoc de votis in genere.

Probatur jam 3. ex eodem, de voto Paupertatis à ſuis collegis emiſſo, in ſpecie, Serm. I. de communi vitâ Clericorum ſive Serm. XLIX. de diverſis: *Noſtis omnes*, inquit, *ſic nos vivere in eâ domo, quæ dicitur Epiſcopi, ut quantum poſſum imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apoſtolorum, nemo dicebat aliquid proprium; ſed erant illis omnia communia. Ecce quomodo vivimus: nulli licet in Societate noſtrâ habere aliquid proprium. Sed ſi fortè aliquis habeat: nulli licet, & qui habuerint, faciunt quod non licet.* Hæc Auguſtinus.

Clarius alibi de Januario Præsbitero, qui condito Teſtamento mortuus fuerat, agens, hæc habet: *Teſtamentum fecit Presbiter ſocius noſter, nobiſcum manens, de Eccleſiâ vivens, communem vitam profitens: Teſtamentum fecit, hæredes inſtituit. O dolor illius Societatis! O fructus natus non de arbore, quam plantavit Dominus! ſed Eccleſiam ſcripſit hæredem. Nolo numerare iſta, nolo amaritudinis fructum.* Et infra, *qui ſocietatem vitæ jam ſuſceptam deſerit, à voto ſuo cadit, & à Profeſſione Sanctâ cadit. Obſervet Deum Iudicem; non me: ego ei non aufero Clericatum; ſed quantum ſit periculum, ante oculos ejus poſui.* ---- *Ego ſcio quantum malum ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere. Vouete, inquit ille, & reddite Domino: & melius eſt non vovere, quam vovere, & non reddere.*

Huc faciunt, quæ cap. LV. ex Auguſtino produximus, quod ſcilicet, ex duobus conſtet clericus, quæ profeſſus eſt, nimirum ſanctitate, & communis vitæ Societate: unde ſi Pauper eſſe deſinat, mediâ ex *parte cecidit.* (conſonat Philippus Abbas L. de Juſtitiâ Clericorum cap. XLI. *non ſatis eſt Clericus*, inquit, *quem non ditat theſaurus Paupertatis*) Deinde Clericus qui nec velit bona ſua vendere, nec in commune mittere, in periculoſo ſtatu vivere docet: *Videat utrum habere poſſit felicitatis æternitatem.* Periculum autem tali Clerico imminens non aliunde, quàm à voto, quod violabat, provenire poteſt.

Ubi nota in ſcriptis hiſce B. Auguſtini *Propoſitum, Profeſſionem, Votum*, voces eſſe ferè ſinonimas, & ſæpè promiſcuè ſumi, ad ſignificandum liberum humanæ voluntatis ad aliqua bona opera præſtanda vinculum, ſive ultroneam obligationem à nobis ipſis in nos inductam excolendi talem virtutem Deo gratam, nobis in ſtatu bono permiſſam: vel ipſam obligationem, quâ in ſtatu collocamur, per immobilitatem in boni ſtudio. Unde conſtat inefficax eſſe argumentum Aurelij, ad probandum vota olim à Religioſis emitti non conſueviſſe; quod Caſſianus, ubi de Inſtitutis Renunciant. agit, & exponit, quibus modis deſultoriam voluntatem in bono firmarent priſci Religioſi, de voto nihil habeat, licet aptiſſimum ſit, ubi uſurpatur, ad eum finem inſtrumentum. Exarmatur, inquam, hoc telum, quia licet eum admitteremus *Voti* non meminiſſe. *Profeſſionis* tamen, *Intenti, Propoſiti, Inſtituti,*

Renun-

Renunciationis, meminit : quæ in ſenſu illorum temporum tantumdem important.

Hoc ſi admittamus, & gratis demus Aurelio Caſſianum de Voto nullam feciſſe mentionem, quod gratis aſſumit. Addo & falsò : nam Caſſianus lib. IV. de Inſtitut. Renunciant. cap. XXXIII. hæc habet : *Sicut immenſa gloria fidelitèr ſervientibus Deo, ac ſecundum hujus inſtitutionis regulam ei cohærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ graviſſimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligentèrque fuerint executi, & ſecundum hoc, quod profeſſi ſunt, vel quod ab hominibus eſſe creduntur, fructus etiam congruos ſanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius eſt enim ſecundum ſcripturam, non vouere quenquam, quam vovere, & non reddere.* Quorſum illa S. Scripturæ verba, ſi Renunciantes nihil voverent? Idem colligit Alardus Gazęus Caſſiani Scholiaſtes eruditus ad cap. XXIX. collat. XVII. (quæ eſt Abbatis Ioſeph) ex eo quod iſte dixerit : *Quæ omnia indemutabili perſeverantiâ tenenda ſunt, & à quibus paululum receſſiſſe damnabile eſt. Vides*, ait Gazæus, *apud veteres Monachos violationem voti continentiæ, & aliorum eſſentialium, non ſecus, ac principalium mandatorum Dei judicatam fuiſſe damnabilem, ac mortalem.*

Probatur denique 4. ex B. Leone Epiſt. XCII. ad Ruſticum Narbonenſem cap. XII. *Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato : quod enim quis VOVIT, debet & reddere*, Voverunt ergo Monachi : adeoque vota in uſu erant priſcis illis ſæculis, quibus illa ignota fuiſſe contendunt Eraſmus, & Aurelius.

CAPUT LIX.

Variæ mutationes Diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa Paupertatem : earumque cauſæ.

LOngè aliter ſe habet Eccleſia ad res fidei, quam ad eas, quę ſunt diſciplinæ Eccleſiaſticæ. In illis enim nulla prorsùs invenietur mutatio, Spiritu ſancto ſponſam ſuam ita dirigente, ita ſtabiliente, ut à veritate nunquam deflectat, ſive quod verè de fide eſt, rejiciendo, ſive quod non eſt de fide, tanquam eſſet, admittendo. In rebus verò ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus, & contingere poſſe mutationes, & de facto contigiſſe, qui negat, in Concilijs, & Patribus planè hoſpes eſt. Quid enim aliud indicant tot in ſingulis pœnè concilijs canones ad formandos Clericorum, aliorumque Fidelium mores editi, tot decreta de Reformatione, quam Diſciplinam Eccleſiæ ſenſim relaxari, adeoque identidem reſtringi debere? Quàm ex aliquorum oſcitantiâ, aliorum fragilitate, aliquorum etiam malitiâ, Eccleſiæ

Patres

Patres non ſemper finem intentum aſſequi; ſed à morum pietate, ad quam anhelant, deficere? Quam homines quæ ſua ſunt quærere, hoc eſt homines eſſe, ex animâ meliora appetente, & corpore ad dexteriora trahente compoſitos, ijs viciſſitudinibus obnoxios, quarum nulla vel ab hominibus, vel ab ipſo Deo inſtituta vitæ ratio expers fuerit? Et Divina Bonitas, & in homines amor infinitus hinc apparet, quod deficientes à viâ mandatorum ejus non abijciat, nec deſerat deſerentes ſe; ſed eos identidem revocet tum per gratiam intrinſecùs, tum per Eccleſię leges extrinſecùs, quæ ſuo modo Gratiæ dici poſſunt.

Prima, & generalis iſtarum mutationum in rebus ab hominum arbitrio pendentibus cauſa, eſt deſultorium hominis ingenium, inquieta voluntas, cui quod heri diſplicebat, hodie gratum eſt, & craſtinâ die horrori idem erit. Sic Amnon ad inſaniam deperibat ſororem ſuam Thamarem, ſed paulò poſt verſo in contrarium affectu, eam majori odio proſecutus eſt. Creatum eſt, ad Deum amandum, eique inhærendum, cor noſtrum: & inquetum eſt, donec in eo requieſcat, eoque fruatur.

Secunda eſt: *Quia ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab Adoleſcentiâ ſuâ.* Gen. VIII. Hinc quod obſervat Conſilium Hildeſienſe in monitis cap. X. *Pauci ſunt, qui ſubmittere cervices ſuas jugo diſciplinæ volunt; ſed omnes libertatem affectant.* Difficultèr unus homo conceptum ſanctæ vitæ ſtudium in ſe conſervat; quantò difficiliùs id in magnis hominum Congregationibus conſervabitur, in quibus ſemper aliqui ſeipſos, & quæ ſua ſunt quærunt, & proinde jugum aut excutere, aut laxare conantur, quorum prava exempla plus valent ad relaxandam Diſciplinam omnibus gravem, quàm pręcepta ad eam conſervandam.

Tertia eſt varius Eccleſię ſtatus, diverſa conditio: ea enim jam bello fatigatur, jam in pace triumphat, poſt tribulatione exercetur, Eccleſiæ nauis alternantibus vento, tempeſtate, ęſtu, malaciâ, numquam diu in eodem ſtatu permanet: Aliquando recto curſu per hujus vitæ infidum mare ad æternæ fælicitatis portum tendit; aliquando obliquat ſinus, & varijs flexibus pervenire eòdem conatur. Hinc maximæ fiunt neceſſariò in Eccleſiaſticâ diſciplinâ mutationes, ut mox apparebit.

Cum Eccleſia naſceretur, quia futuris ſæculis illius exemplum ad imitationem proponi oportebat, ideo in mirabilem ſanctitatis legem effingebatur. Clericis & Laicis erant omnia communia, nullum illic fortunarum, nullum bonorum diſcrimen. Pauperes divitum conſortio non inſoleſcebant: Divites Pauperum conſortium non dedignabantur. Omnes mutuis ardebant amoribus, nec cupiditates ſæculi diſtrahere poterant, quos effuſus per charitatem in eorum cordibus Spiritus ſanctus, & Chriſti ſanguis cæmentaverant. Sed non diuturna fuit illa fœlicitas, quam Deus terris oſtendit tantum: ſiquidem diſperſis poſt B. Stephani necem diſcipulis, & Apoſtolis metu He-

 rodis,

rodis, qui Jacobum gladio peremerat, discipatis, illa bonorum omnium inter omnes fideles communicatio suspensa videtur.

Secuta sunt tempora hæresibus fæda, falsis fratribus infida, Persecutoribus infesta, Tempestatum ingruentium immanitate truculenta, Ecclesiarum vastatione, fidelium dispersione, quorundam tepidorum lapsu funesta; sed frequentibus Martyrum pugnis, victoriis, triumphis, glorioſa. His temporibus retentâ solùm internâ fidelium communione, externa soluta est. Tunc tumultu strepituque belli in Christianos moti præclara illa congregatio Clericorum Societatis Jesv per totum orbem dispersa est. Et Patrum enim scripta, & temporum ratio suadent: non vixisse in uno concluſos domicilio; sed affectu, atque charitate, potiusquam parietibus, cohæsisse. Nec enimverò ferebant ea tempora aliam vitæ rationem: cum enim ob crebros quadruplatorum incursus, & assiduas machinationes, vix vni christiano licebat tuto esse, quomodo tulissent collegia clericorum, si quæ fuissent communia multorum domicilia? Sic iniquitate temporum, cooperante hominum, Dæmonumque nequitiâ, facta est prima Disciplinæ Ecclesiasticæ relaxatio quidem, at certè temporanea tantum.

Cum enim non eodem severitatis tenore Pagani; sed aliquando mitius, in Christianos sævirent, non dubito, quin lucidis illis intervallis fælicitèr usi fuerint Ecclesiæ Præsules ad componenda dispersa sui Cleri membra, & resarciendam juxta data sibi cælitùs dona priscam disciplinam, majori, minorive fructu, prout clerum, plebemque magis, minusve obsequentem invenerunt.

Stabilitâ sub Constantino M. Ecclesiæ Pace, Episcopi frequentibus habitis concilijs Disciplinam antiquam instaurarunt. Redijt paulatim in unum corpus dispersa clericorum multitudo: & sub Principe pio, & Episcopo Orthodoxo, cum totius orbis Ecclesijs communione conjuncto, commercio Pietatis, & studio Religionis præterita damna solata est. Laxarunt Episcopi suas ædes, ut in ijs Clericorum domicilia instituerent: familias auxerunt, quas juxta sacros canones ad Dei cultum pietatemque formarent. Hæc Clericoricorum habitacula, quia plurimum similitudinis cum Monachorum Domicilijs habebant, communia utrisque nomina indita sunt *Clausira*, & *Monasteria*: quæ etiamnum varijs in locis illis adhærent.

Mansit hujus Disciplinæ vigor per aliquot sæcula, alibi plus, alibi minus ex nativâ hominum novitatis aviditate laxatus, cupiditatibus impeditus, superbiâ violatus; sed severis conciliorum Pontificumque sanctionibus restitutus, donec tempore supra notato elanguit planè, & tandem expiravit, quando Clerici Nobiliorum Ecclesiarum Canonicorum nomine retento, re derelictâ, sicut Augustiniani eremo relictâ *Eremitarum* nomen in urbes intulerunt, Regularem, sive canonicam vitam in sæcularem commutarunt. Huic malo remedium quæsivit B. Petrus Damiani scriptis ad Alexandrum

PP.

PP. II. Epiſtolis quarum iſte titulus : *Vt Canonicis, à quibus in Congregatione vivitur, Proprietatis habendæ licentia denegetur.* Reſcripſit Alexander, ut habet Baronius an. Dom. MLXIII. *Præcipientes ſtatuimus; ut hi prædictorum ordinum* (Sacerdotes nempe, Diaconi & Subdiaconi) *juxta Eccleſias, quibus ordinati ſunt* (*ſicut oportet Religioſos Clericos*) *ſimul manducent, & dormiant, & quicquid eis ab Eccleſijs competit, communitèr habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apoſtolicam, communem ſcilicet vitam ſummopere pervenire ſtudeant, quatenus perfectionem cum his conſecuti, qui centeſimo fructu ditantur, in cœleſti patriâ mereantur adſcribi.* Quæ habentur c. *Prater hoc* d. XXXII. Hujus verò Alexandri ſucceſſor, Gregorius PP. VII. Idem decrevit. *Statuite*, inquit, *ut bona eorum*, Clericorum *veniant in commune, in unâ domo veſcantur, atque ſub uno tecto dormiant, & quieſcant.* Habetur c. *quoniam, de vitâ, & honeſtate Clericorum.*

Cæterum inefficaces fuerunt iſtæ voces ad reparandas languentis diſciplinæ vires. Si quidem *factum* licet eſſet *judicium*, *ſed contradictio potentior.* propter *hoc lacerata eſt lex, & non pervenit uſque ad finem judicium*, Abacuc I. 3. Unde apparuit, vel ſine vitâ canonicâ futuram Eccleſiam, vel novos ad eam homines accerſendos.

Sæculo XII. (anno ſcilicet MCXX.) B. *Norbertus* cum aliquot ſocijs Clericis ſecundum Auguſtini Regulam communem vitam inſtituit. Hi, uti & eorum ſucceſſores, *Canonicorum* nomen retinuetunt; (ſicut & qui *Canonici Regulares* appellantur) & meritò, cum verè canonicam, ſive Regularem vitam viverent.

Sæculo XIII. ineunte Deus O. M. eam diſciplinam in novis Clericis, antiquorum auxiliaribus copijs refloreſcere fecit: Beatis *Dominico*, & *Franciſco* Sodalitates ſuas fæliciſſimè inſtituentibus ad vitam Apoſtolicam; in omnibus, ſed potiſſimùm in Paupertate. Denique fæculo XVI. adulto, B. *Ignatius de Loyolâ* ſecundiſſimis auſpicijs idem aggreſſus, cujus ſocietas ſub nomine JESU Militans, breviſſimo tempore per totum orbem ſparſa JESU nomen, & Evangelij lumen ubique circumtulit, maximo animarum fructu, nec minori Bonorum gaudio.

Ex quo beatus iſte Vir, Spiritu Dei verè plenus exemplo ſuo, ſuorumque docuit vitam Apoſtolicam etiam iſto tempore reparari poſſe, & erecto vexillo alios ad eam amplectendam invitaſſet, multi piâ quâdam meliorum chariſmatum æmulatione certatim ad eandem anhelarunt. Inter alios eminuerunt *B. Philippus Nerius*, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus *Petrus* S. R. E. Cardinalis, *Berulius* & Pijſſimus, *D. Vincentius de Paul*, illi in Italiâ, Galliâque *Oratorij*, hic *Sacerdotum de Miſſione* Fundator. Congregationes Oratorij tum Italica tum Gallica quâvis laude dignæ videntur, ſi pium inſtitutum ſpectes: licet iſta nonnihil ab Apoſtolicâ perfectione abeſſe videtur, quatenus veram à ſuis Paupertatem non exigit; ſed ſuum cuique peculium permittit. Libertas præterea illa, quam profitentur, deſerendi congregationem

ubi libuerit, quod item nullâ votorum lege ſuam voluntatem reſtringi patiuntur, Apoſtolico mori non ſatis videtur conforme.

Celebris etiam eſt à Venerabili Sacerdote, Dingenſis Eccleſiæ, ad Rheni ripam ſitę, Decano, bonæ memoriæ Bartholomæo Multzhauſer, inſtituta Congregatio, Clericorum in communi viventium, quam & SS. D. N. Innocentius P.P. XI. multis, undique Romam confluentibus, Eminentiſſimus verò Princeps, Philippus S. R. E. Cardinalis Norfolius cunctis Sacerdotibus & Clericis in Angliâ, & Scotiâ degentibus impensè commendat. Inſtituta ſunt etiam Pariſijs Florentiſſima Seminaria, cum in S. Nicolai de Cardineto, tum in S. Sulpitij Parochijs, non omni modò exceptione; ſed etiam Laude meâ majora, Clericorum in communi viventium, ſi abeſſet peculium, & adeſſent vota, ad primitiui Cleri vivendi normam, & Apoſtolicum morem proximè accedentia. Ex illis non in Clerum tantum florentiſſimum; verum etiam in totam Gallicanam Eccleſiam plurima bona manaſſe, compertum eſt. Reformatio Cleri, & quæ inde ſecuta eſt etiam morum Plebis in melius mutatio, Sacramentorum accuratior Adminiſtratio, multorumque Hæreticorum converſio, iſtorum induſtrię Seminiſtarum magnâ ex parte debetur.

Toto corde Deum oro, diuturnę ſint iſtæ Congregationes, ut fructum ſicut hactenus, de cætero ferant, & fructus eorum maneat in æternum; nec unquam ab eâ, quâ florent, obſervantiâ canonum priſcorum deficiant. Quod tamen, ni fallor, (atque utinam in hac meâ conjecturâ fallar.) optari poteſt, ſperari vix, aut ne vix quidem, poteſt, ob Votorum defectum. Si enim Apoſtolici Cleri amęniſſimus hortus, Deo, Angelis, Hominibuſque gratiſſimus, Votorum licet Religione munitus, canonum lege Vallatus, quaſi firmiſſimo muro, & antemurali, defenſus, à vigilantiſſimis Epiſcopis cuſtoditus, Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum labore cultus, ſudore rigatus, tamen à feris Apris, fraudulentiſque vulpeculis vaſtatus eſt, hoc eſt, aliorum flagranti, violentâque cupiditate, aliorum aſtutâ fraude diſſipatus: quid ominari licet de iſtis Sodalitijs, pientiſſimis equidem, ſed eo Votorum firmiſſimo vinculo deſtitutis? Primus inſtitutorum Fervor, & aliorum æmulatio, eos aliquandiu in vigore, & Apoſtolicę vitæ ſtudio, continebit: ſed væ Romæ, ubi Carthago deleta fuerit.

CAPUT LIX.

CAPUT LX.

Vnde factum, & quando ut antiquorum Monachorum Cœnobia B. Benedicti Regulam acceperint.

TAMETSI videri possit istius quæstionis explicatio nostro instituto non planè necessaria, aliena tamen videri non debet, tum ob affinitatem inter Clericos, & Monachos, tum quia aliqua Clericorum domicilia Monachos admiserunt, & varia Monachorum Cœnobia in Ecclesias Collegiatas mutata sunt.

Difficultas inde nascitur, quod constet varias fuisse Monachorum Sodalitates, ipso S. Benedicto antiquiores, idque non in Oriente solum, (quales qui sub BB. Pachomio, Antonio, Basilio, Hieronimo, alijsque militabant) verum etiam in Occidente, quales Vercellis instituit B. Eusebius, Turonis B. Martinus, Pictaviæ B. Hilarius, Marsiliæ Ioannes Cassianus, in Insulâ Lirinensi alij; ut nihil dicam de B. Equitij familiâ, de B. Romano, qui sancto Benedicto recens converso ministrauit, & illâ Monachorum Abbatiâ, quæ primùm in Abbatem elegit B. ipsum Benedictum, eundem deinde veneno extinguere conata est, quod nec iste depravatos eorum mores, nec illi piam hujus vitam, & Religiosæ disciplinæ zelum, ferre possent. Hi omnes Monachi erant, Monasteria incolebant, non utique Benedictini Instituti: cum eo tempore necdum suum S. Benedictus conceperat. v. c. *Majus Monasterium* prope Turones (*Mar-Moutier*) B. Martinus instituit, cum necdum natus esset S. Benedictus: adeoque initio Benedictini Instituti esse non poterat. Et tamen à varijs sæculis illud incolunt Monachi Benedictini. Factam illic mutationem, & quidem magnam, negari non potest, licet nullum extet fortè vestigium, aut auctoritatis, quâ, aut temporis, in quo facta sit. (Idem in variis alijs cœnobijs accidisse videtur) perinde ac si omnes antiquioris Instituti Monachi simul interijssent, & alij inobservati eorum loca occupassent. Augetur difficultas, quod Religiosi suarum consuetudinum tenaces esse soleant; etiam ubi non sunt valdè necessariæ, aut laudabiles: qui proinde fieri potuit, ut nemo illi mutationi restiterit? Aut nulla facta sit talis Resistentiæ mentio? Hic nodus Gordius est: quem solvere conabimur, sine Alexandri gladio.

Arbitror sæculo VIII. & IX. factam illam mutationem, idque auctoritate S. S. A. & Conciliorum Particularium. Si quidem A. D. DCC XLII. B. Bonifacius, acceptis à Zachariâ P. litteris, obtento etiam consensu Carolomanni, Synodum habuit vel Ratisbonæ, vel Augustæ Vindelicorum

corum : *In quâ multa ſancita ſunt* ; ait du Bail , *ad Reformationem Eccleſiæ , & ad mores rectè componendos, quæ aliàs etiam decreta ſunt. Inter cætera determinatum eſt , ut & Monachi , & Ancillæ Dei Monaſteriales, juxta Regulam S. Benedicti vivere ſtudeant.*

Anno verò ſequenti DCCXLIII. Leptinenſe concilium celebrauit idem Germaniæ Apoſtolus : in quo præcedentis decreta recipi curauit : *In iſto Sacerdotes, Comites, & Præfecti prioris decreta firmaverunt*, ait Du Bail, *Abbates verò & Monachi , receperunt Regulam S. Patris Benedicti.* Unde obitèr colligo B. Bonificium Inſtituti Benedictini fuiſſe : alioqui vix credibile eſt illum , alios Monachos omnes ad illud reducere voluiſſe. Unde ſequitur ulterius idem ſentiendum de B. Auguſtino , & ipſo Gregorio magno.

Cum tamen non ſatis accuratè obſervaretur illa Regula, A. D. DCC XCIV. Synodus Francofurti celebrata contra Felicem & Elipandum Neſtorianos , non quidem ipſam B. Benedicti Regulam ; ſed varias ejus partes obſervari mandarunt : quæ ſcilicet in Germanis Abbatijs necdum obſervabantur , licet ipſa Regula fuiſſet in ijſdem acceptata , unde dubitari non poteſt eadem Decreta per Gallica Monaſteria obtinuiſſe ob connexionem inter Gallicas & Germanicas Eccleſias , unius Imperio Principis unitas.

Enimverò conſtat initio ſequentis ſæculi (IX. videlicet) Regulam B. Benedicti inter Monachos Gallos obtinuiſſe. Quia concilium Cabilonenſe, II. can. XXII. ait : *De Abbatibus , & Monachis idcirco hic pauca ſcribimus , quia pœnè omnia Monaſteria Regularia in his regionibus conſtituta , ſecundum Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur.* &c. Quę verba præclarum continent Benedictinæ Regulę encomium , unà cum tacitâ aliarum repræhenſione : quatenus dicitur , vix quicquam illis ſpeciatim pręſcribendum eſſe , qui Benedictinam Regulam obſervarent.

Non tanta erat communitatio cum Eccleſijs Italicis eo tempore , nec ea decreta in favorem Benedictinæ Regulæ facta tam citò Alpes tranſcenderunt , aut certè admiſſa ſunt. Si quidem an. Dom. MCCLXXXVIII. Synodus Mediolani celebrata , *Abbates , Monachos , & Religioſos reliquos omnes admonuit , ut ex Formulâ S. Benedicti , & S. Auguſtini viverent.*

Multa fuerunt in causâ , cur iſta Decreta tam promptis animis accepta ſint. 1. Regulæ ipſius ſuper alias pręſtantia. 2. Conformitatis cum alijs amor : pigebat enim ab ijs differre , qui idem prope vitæ genus profitebantur. 3. Caſtus Auctoritatis Synodalis Amor , devota majeſtatis Epiſcopalis veneratio , ſincera ſacrarum Infularum obſervantia , nullis dum Privilegijs diminuta. Quæ enim ad illud uſque tempus conceſſa fuerant , Monachorum Bona potius, quam Perſonas ſpectaſſe videntur : Avaris illa eripiebunt ; iſtas Epiſcoporum Viſitationi permittebant , Poſterioribus demum ſæculis varijs Privilegijs ipſæ Perſonæ munitæ fuerunt.

Conſtat itaque ex dictis , & mutationem factam eſſe , & quo tempore, quâ

quâ auctoritate facta fuerit. Non dubito ſvarijs invitis, & pro virili repugnantibus factam eſſe, licet nullum fortè extet illius rei veſtigium. Naſci potuit iſtud ſilentium ex craſſâ illorum temporum ignorantiâ, quibus pauci ſenſum ſuum victuris chartis committere poterant. Hæc de Monachis Benedictinis: Ad Clericos redeo.

CAPUT LXI.

Concilia varia aſſerunt Religioſos priſcis Clericis ſimiles eſſe.

NE meâ unius ſententiâ, aut ratiocinatione, niti videatur palmaris illa Aſſertio, de ſimilitudine priſcos inter Clericos, verè Apoſtolicos, & modernos Religioſos, quos communi nomine *Mendicantes* appellant, Conciliorum maximè celebrium auctoritate eam confirmabimus. Ut videant, qui eorum conſortium in Clero, ſupercilioſo faſtidio dedignantur, ſe à Conciliorum mente longè diſcedere: ſequenti verò capite idem ex varijs Authoribus probabimus.

Agmen ducet Concilium Rhemenſe an. Dom. MDLXXXIII. celebratum, à Gregorio PP. XIII. paucis mutatis an. ſequenti MDLXXXIV. confirmatum, *tit. de Regularibus, & eorum Monaſterijs*, hæc habet: *Monachorum* (hoc nomine Religioſos intelligit) *inter Clericos humilitate præſtantium inſtitutum quam proximè ad Apoſtolorum tempora accedens, libentèr quondam amplexus eſt, quiſquis ut D. Baſilius loquitur, cæleſtis vitæ cupiditate flagrauit, & Evangelicæ perfectionis ſtudioſus extitit negociator, &c. Et tit. de Canonicis, & Capitulis. Vt autem Canonici cohærentes Epiſcopis, quaſi membra corpori, ad Regulam, quam eorum nomen præ ſe ferre conſpicitur, componantur, ſtatuimus*, &c. Hæc ſacra Synodus Rhemenſis.

Ubi nota 1. De Religioſis noſtri temporis ſermonem eſſe, quos omnes (exceptis forſitan ijs, qui de ſocietate ſunt) Monachos Galli vocant. Nec enim verò ſimile eſt Synodum, decreto de Religioſis modernis præfationem præfixiſſe alienam, de re prorſus diversâ, imperiti Pictoris inſtar, qui corpori muliebri cervicem equinam addidit.

Nota 2. Monachos in clero cenſeri, *Monachorum inter Clericos*: inquit, *humilitate præſtantium inſtitutum* &c.

Nota 3. Monachos Apoſtolicis Clericis eſſe ſimillimos: dicuntur enim *ad Apoſtolorum tempora proximè accedere*. Quod non de propinquitate temporis ſive Durationis, intelligendum eſſe manifeſtè patet: tum quia Clerici ſæculares, & ipſi Laici, æque prope Apoſtolorum tempora tangunt, ac alij quicunque

cunque Monachi: tum quia Monachi longè poſt Apoſtolorum tempora nati ſint: Benedictini ſæculo VI. Mendicantes XIII. Societas verò tantum XVI. Quare loquitur de propinquitate, ſive ſimilitudine, vitæ.

Nota 4. Laudari ſtudium eorum, qui Religioſorum vivendi modum amplectuntur.

Nota 5. componendos eſſe ampliſſimos Dominos Canonicos ad Regulam, unde nomen habent. Sunt ergo, aut eſſe debent, verè Regulares: & hoc ipſum eorum nomen indicat. Nihil opus eſt adjecto commentario mentem Synodi de ſe clariſſimam illuſtrare.

Probatur 2. quia varia Concilia eiſdem canonibus varia præſcripſerunt Canonicis, & Religioſis. Concilium Moguntinum an. Dom. DCCC XXXVII. cap. XIII. *Clerici, & Regulares, regularitèr vivant ſecundum eorum ſtatuta.* Et in Concilio Pictavienſi an. Dom. DC. *Abbas, Monachi, Canonici, Eccleſias, quas nunquam habuerunt, non emant, vel alio modo ſibi vendicent, niſi conſentiente Epiſcopo.* Et in concilio Londinenſi an. MCXXV. *Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus, vel Clericus, Eccleſiam, ſive Decimam, ſeu qualibet beneficia Eccleſiaſtica de manu Laici, ſine Epiſcopi aſſenſu ſuſcipiat.* Item in alio concilio Londinenſi an. Dom. MCLXXV. *Secundum inſtituta Patrum noſtrorum, ſub interminatione Anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negocientur.* Denique concil. Carnotenſe an. Dom. MDXXVI. titulo XII. hæc inſcriptio præfigitur: *De vitâ, moribus, & converſatione Clericorum*: & magna pars illius decreti Religioſos ſpectat. Vide concil. Monſpeſſulanum MCCXV. can. XVII.

Probatur 3. Eadem Privilegia utriſque conceſſa ſunt. In concilio Claromontano an. Dom. MLXXXXV. can. XXV. *Filij Presbiterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, ad ordines, vel honores Eccleſiaſticos non promoveantur, niſi Monachus, vel Canonicus fuerit.* Et in concilio Pictavienſi an. Dom. MC. *Filij Presbiterorum, & cateri in fornicatione nati, ad ſacros ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, aut in Congregatione Canonicâ regularitèr viventes.*

Probatur 4. Liberrimum erat cuique Clerico in Monaſteria Religioſorum tranſire. In concilio Auguſtano an. Dom. DCCCCLVI. can. VII. *Clerici Monaſterium ingredi volentes non impediantur.* Clarius concilium Toletanum IV. an. Dom. DCXXXIII. can. XXXXIX. *Clerici, qui Monachorum propoſitum appetunt*, quia Meliorem vitam ſequi cupiunt, *liberos eis ab Epiſcopo in Monaſterijs largiri oportet ingreſſus.* Hæc decreverunt ſeptuaginta Epiſcopi ex totâ Hiſpaniâ, & Galliciâ convocati, unà cum Carcaſſonenſi, & aliorum abſentium Vicarijs. Sciſcitor à RR. DD. Clericalis dignitatis admiratoribus, an hujus concilij Venerandi Patres crediderint Monachos partem eſſe Laicorum, ad quos Clericos tam libere tranſire permittunt? Item, quomodo conciliabunt ſuas opiniones illi decreto, qui tam altè de

clero,

Clero, tam abjectè de Monachiſmo ſentiunt, ut hunc cum illo vix nominare dignentur, cum è contra diſerte declaraverit illud concilium, eos qui derelicto Clero nomen ſuum inter Monachos profitentur, *meliorem vitam appetere.*

Prob. 5. In Concilijs etiam Generalibus cum Summo Pontifice, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopiſque locum habent Abbates, & Regularium alij Superiores Generales: ibique jure ſuffragij potiuntur non deliberatiui tantum; ſed etiam definitiui. Quod manifeſtè probat eos pro ſpecie quâdam Laicorum non haberi; ſed eſſe veri nominis Clericos. Interſunt equidem ijſdem concilijs aliqui etiam Laici, ex antiquâ conſuetudine, ſive ut pacem conſervent, ut in III. IV. V. & VI. Concilijs Generalibus in Oriente: ſive ut curent ne quid in ſtatus Civilis præjudicium attentetur, ut in Tridentino legati Chriſtianorum Principnm. Sed jure ſuffragij decifiui non gaudent, neque ferendæ legi intercedunt, niſi Principum ſuorum nomine preces interponendo. Nemo enim Catholicus Cæli Claves, quarum in Con-Concilijs uſus maximus, imo & unicus, ſæcularibus hominibus datas agnouit. Unde ſi qui Principum Legati in Eccleſiaſticâ dignitate conſtituti ſint, & verè Epiſcopi, atque proinde & auctoritate Spirituali, & temporali donantur, in Concilijs ſuffragij ferendi jus habent, non tamen ut legati Principum Laicorum; ſed ut Epiſcopi, quos non Princeps Laicus; ſed ipſe Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, Chriſti ſanguine acquiſitam.

Probatur 6. quia ut cap. 2. diximus, in Pontificali Romano, in collatione Tonſuræ Clericalis, veſtis clericalis, dicitur *Habitus Religionis.* Unde juxta Regulam à conjugatis deducitur ex Eccleſiæ mente, clerum eſſe Religionem, & clericos Religioſos. Confirmatur: nam concilium Turonenſe III. an. Dom. DCCCXIII. celebratum can. XXIV. *Abbates Monaſteriorum, ----- ſolicitè ſuis provideant Canonicis, ut habeant clauſtra, & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur.* Monachos canonicos appellat. Quid ſignificat iſta Idiomatum communicatio, niſi non ita multò diſtare invicem, quibus eadem nomina conveniunt? Dici tamen fortaſſe poteſt, ſermonem ibi eſſe non de Monachis: quia Canonicorum ſuperiores etiam *Abbates* appellati fuerunt.

Agmen claudent duo nobilia concilia Provincialia. Alterum Colonienſe an. Dom. MDXXXVI. cap. IV. de canonicis hæc habet: *Vt de Canonicis pauca dicamus: reſpondeat eorum vita Titulo, reſpondeat nomini, ſint reipsâ ut ſunt nomine Regulares. Neque enim clam eſt eorum originem MONASTICÆ DISCIPLINÆ fuiſſe. Imitentur Apoſtolos, & naſcentis Eccleſiæ miniſtros, quorum erat cor unum, & anima una.*

Aliud eſt Mechlinienſe an. Dom. MDLXX. celebrato: In quo hæc habentur: *Religioſorum Conventus, & vniverſa Monaſteria ſecundum Regulam ſuæ Profeſſionis rectè inſtituta, id ſunt in populo Chriſtiano, quod arces militum præſidio*

benè instructa in regione hostium incursionibus expositâ. &c. Et hæc Præsidia dissipare, has arces diruere, Pietas censebitur ?

CAPUT LXII.

Authores graves sentiunt Clericos esse Regulares, & Regulares Clericos.

PRIMVS, quem produco, est quidam Robertus ex Doctore Parisiensi factus Episcopus Arboricensis. Is Opusculo de tuendo cælibatu ait: *Canonicos dicimus, qui ex communi placito, & Voto, Orationi, ac mutuæ bonorum distributioni obnoxij erant. Erat autem hoc veluti quoddam elementum, atque exemplum futuræ communionis in Ordine Canonicorum, qui triplici voto adstricti se Regulares appellant: quem D. Augustinus longo post tempore instituens, ab Apostolico fonte se hausisse profitetur. Hic ergo ordo statim ab Orbe redempto primum illuxisse visus est tempore Apostolorum.*

Accedet Rosetus itidem Parisiensis Doctor, qui lib. de Religiosis Ecclesiasticis tit. XXXIV. cap. III. docet eundem ordinem institutum fuisse Hierosolimis ab Apostolis: Alexandriæ auctum à B. Marco Evangelistâ; à Jacobo Hierosolimitano, & Clemente Romano Generali decreto condecoratum, à magno denique Doctore Augustino instauratum, diviniſque regulis illustratum. Petrus Blesensis invectiuâ in depravatores: Religiosi *præ cunctis sæcularibus & Clericis & Laicis tanto differentius virtutum titulos referunt, quantò impressioribus vestigijs Apostolorum regulis inhæserunt.*

Raphael Volaterranus lib. XXI. Anthropol. refert Apostolos in monte Sion post Christi Ascensionem de certo vitæ genere deliberasse,& convenisse, ut triplici voto se adstringerent Deo, maximè verò, ut communia haberent omnia. *Qui ritus*, inquit, *à successoribus, Clericisque omnibus diu diligentissimè servatus est: fideque defervescente desitus.* Hæc ille, de Ordine Canonicorum loquens, quem asserit *non tam ab Augustino institutum, quam renovatum.*

Joannes Trullus de Ordin. canon. Regul. lib. 1. cap. II. multis probare dicitur ex jure canonico, nascentis Ecclesiæ clericos regulariter, & in communi vixisse. Hic liber mihi sanè utilissimus fuisset, si nactus fuissem, dum ista componerem.

Joannes à Nigrâ valle lib. XIII. cap. XVIII. *Ex Canonico Ordine*, inquit, *omnium primo, cæteræ omnes Religiones velut ex limpido fonte fluxerunt: ex eo namque Monasticus Ordo traxit originem.* Verissimè: nam nihil aliud conati sunt his postremis sæculis sacrorum Ordinum Fundatores, quam Apostolicam vitam, verè canonicam, instaurare, & ad ejus instar suas congregationes instituere.

Accedunt

Accedunt, qui docent Canonicos à Canone, ſive Regulâ, denominatos eſſe, dicique veluti Regulares, aut Regulari vitæ addictos. De quo multi locuti ſunt ſupra producti. Iis addo Juonem Carnotenſem epiſt. LXIX. *Ideo Canonici appellati eſtis, quod Canonicas Regulas cæteris arctius obſervare devoviſtis*: Primus, quod ſciam, qui Clericis in communi viventibus canonicorum nomen impoſuit, eſt B. Baſilius, qui tractatum direxit, πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίῳ Κανονικούς: *ad Canonicos in Cœnobio viventes.* In cujus tractatus cap. XIX. ait: *Apoſtolorum, & Diſcipulorum Domini converſationem, qui à Chriſto in unum Chorum fuerunt conjuncti: & omnia communia habuerunt, imitantes, recta vitæ Canonem cuſtodiunt.*

B. Petrus Damiani, lib. V. epiſt. IX. ad canonicos Fanenſes: *quo pacto quis volet dici Canonicus, niſi ſit Regularis?* inquit. *Volunt ſiquidem Canonicum, id eſt, Regulare nomen habere; ſed non regulariter vivere. Ambiunt communia Eccleſiæ bona dividere; aſpernantur autem apud Eccleſiam communitèr habere. Enimverò non eſt hæc primitiua Eccleſiæ forma, ſatiſque exorbitat ab eâ.*

Hugo Victorinus in Regulam B. Auguſtini cap. 1. *Regula dicitur, quod rectè regat*, inquit, *vel quod rectè doceat, & quod nos dicimus regulam, Græci Canonem dicunt: unde etiam Græco nomine Canonici, id eſt, Regulares ſunt vocati ij, qui in Monaſterijs conſtituti, juxta regularia inſtituta Sanctorum Patrum Canonicè, atque Apoſtolicè vivunt.*

Nicolaus Cuſanus S. R. E. Cardinalis Conſtantienſis, lib. X. exercitationum ad Concanonicos ſuos, ita eos alloquitur: *In omni curſu Chriſtiani, eſt via, quæ dirigit ad comprehenſionem. Vocati eſtis, ut curratis ſicut Canonici: Sic ergo currite. Canonicus à Canone, qui latinè Regula dicitur, in Canonum obſervatione vivere, moveri, & currere debet. Menſuret ergo Canonicus ſecundum menſuram rectitudinis, & Iuſtitiæ ſuum curſum, ſi illum faciat ex Canonum obſervantiâ: ſi ſic invenerit, ſciat ſe eſſe in viâ comprehenſionis. Rectitudo autem illa conſiſtit in regulando motum concupiſcentiæ, nimirum, Elationis, Auaritiæ, & Luxuriæ, qui per Religionem reprimitur. Per Regulam Obedientiæ dominatur motui Elationis, & ſuperbiæ: per Regulam Paupertatis, Avaritiæ: per Regulam Caſtitatis, Luxuriæ. Omnis Chriſtianus Regulâ Evangelicâ dirigitur, ne dominetur in eo concupiſcentia: ſed in ſuo ordine plus Canonici, qui ſe voto particularius ad Canones adſtrinxêre.* &c.

Item lib. III. ſerm. *Accepiſtis: In ſacris Concilijs definitum legimus*, inquit, *placuit, ut quiſque ſecundum etimologiam ſui nominis viuat. Monachus ſecundum derivationem ſuam, quaſi unus. ---- Canonicus quaſi Regularis, quia ſe Regulis Sanctorum adſtrinxit. Hoc quidem eſt, quia vitam Sanctorum profitemini, qui ea quæ ſunt hujus mundi abdicarunt, ut ſe totos Deo dicarent: Regularium enim vita à mundo abſtracta eſſe debet, vt ea quæ ſurſum ſunt ſapere poſſint.* NEQVE CREDATIS MVLTVM INTER VOS ET MONACHOS DIFFERRE. *Nam una conſideratio Sanctorum fuit quod in abdicatione Proprietatis rerum mundi, in mortificatione Carnis, atque in reſignatione libeti arbitrij*

consisteret recessus ab hoc mundo, ut Deo adhærere in spiritu posset. Et hoc omnium Religionum essentialia scitis existere. ----- Regula verò Patrum non aliud continent, quam hoc ipsum, per quod mundo deserto, Deo adhæreatur: Et hoc est, quod accepistis. &c. Hæc pius ac Eruditus Auctor, adeo ad intentum nostrum appositè, ac si de industriâ illud confirmare voluisset. Krantzius lib. 4. Metropolis cap. 37. *Ordo sancti Augustini (qui & Canonicorum regularium) primò ab Apostolis, deindè à memorato Doctore Augustino institutus, tum sub Magistro Iuvne Episcopo Carnotensi cœpit reflorere.*

Baronius ad An. Dom. MLXIII. *Qui Collegiatis serviunt Ecclesijs, quos frequentiori usu Canonicos appellamus, ob id scilicet eo nomine vocantur, quod hisce tenerentur Canonibus obligati, ad quorum præscriptum vitam ducerent Clericalem, in omnibus Regularem, nihil proprium sibi vendicantem.*

Azorius lib. XII. Institut. Moralium, cap. XXII. *Clerici Apostolicam vitam secuti, nihil proprium habentes, communem vitam agebant, & in eâdem domo simul cibum sumebant, somnumque capiebant, & deinde ad Ecclesiam conveniebant ad Ecclesiastica officia obeunda. Hi dicti fuerunt Canonici, hoc est Regulares, quippe qui Canonem Apostolorum servabant: quâ appellatione, & nomine discernerentur ab alijs Clericis, qui proprium habentes in suis domibus habitabant.*

Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. IX. *Si primam Originem hujus vocis, Canonicus, spectemus, nihil aliud à principio significasse videtur, quam Clericum sub Regulâ viventem, & communem vitam, Apostolorum more, cum alijs in Ecclesiastico Collegio observantem*

Barbosa lib. de Canonicis cap. 1. *Qui olim in cœtus Congregati seorsùm à cæteris habitabant, non omnes Monachi fuerunt, qui Monachorum instar eundem locum simul omnes incolebant, unoque omnes Refectorio vtebantur, qui à communi* (mallem Regulari dixisset) *vitâ Canonici dicti sunt. Quam beati tunc temporis Canonici, quam felices Clerici intra Ecclesiæ septa habitantes, nec ullam periculosarum diversationum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum; agitandarum comessationum, conveniendarum mulierculorum, exercendarum grassationum, libidinum, turpitudinum, occasionem habentes; sed Divinis Laudibus, & contemplationibus, precibus, concionibus, Officijs, Cantibus, Sacrificijs, tantum vacantes, & tanquam Angeli quidam terrestres, in PAVPERTATE, CASTITATE, & OBEDIENTIA degentes, & solam Dei Gloriam, & suam aliorumque salutem procurantes.*

Quando ergo Aurelius ad Propos. V. de Hierarchiâ pag. mihi 236. recensitis IV. sæculi nobilioribus Antistibus, Loemelium provocat ad dicendum quos *in eo senatu Sanctorum Patrum, ex ipso flore collecto, Monachos, Regularesve reperiat.* Addit *eum nec frontem ita duram habiturum, ut numerum inire audeat, ita vel nulli, vel paucissimi sunt, qui Regulares fuisse dicantur.* Et tom. I. pro Epist. Illustrissimorum Galliæ Episcoporum p. mihi 22. plures è Laicis creatos Episcopos, quam ex Monachis, vel quocunque alio ordine. Hæc ille magnâ fiduciâ jactat, perinde ac si exploratæ certissimæque Veritatis, cum

haud

haud dubiè falsa sint. Vicissim enim ab eo peto, nominet quos in eo Patrum Senatu velit non Castitatem, Paupertatemque professos esse? aut non fuisse perfectissimè Christi Discipulos, quod esse non poterant, eo tempore, nisi bonis omnibus abdicatis? De obedientiâ nihil dico: cum enim Episcopi creati sunt, eos *posuit Spiritus sanctus* non regi; sed *regere Ecclesiam Dei.* Act. XX. Quidni igitur dicam fuisse Regulares? Deinde cùm se dederint exemplum bonorum operum, cùm quæ docebant fecerint, cum viam quam alijs ostendebant ipsi invaserint, certum est eos canonicè, hoc est regularitèr vixisse, canones exactè servasse, quorum observantiam ab alijs exigebant, adeoque Regulares fuisse in sensu communi tum antiquiorum, tum ultimorum sæculorum.

Quid quod ipsemet Aurelius id agnovisse videtur paulo ante, nempe pag. 191. cum dicit *institutum, mores, disciplinam* Canonicorum Regularium *nihil differre ab instituto & disciplinâ omnium Clericorum.* Erant ergo universi Regulares.

CAPUT LXIII.

Clerus præsens sæcularis ad Paupertatem non tenetur.

HAS micas de mensâ Dominorum meorum è Clero, sive in concilia congregatorum, sive seorsim scribentium, cadentes, quâ potui fide, collegi: in quibus nihil, aut per pauca à Religiosis scripta addidi, quorum judicium hac in causâ, utpote propriâ, suspectum esse posset. Tametsi verò mihi patere videatur, Ecclesiam, Christi secutam vocem, rigidam per varia sæcula Paupertatem, communeque vitam, & verè Regularem, sive canonicam exegisse, eamque etiamnum commendare, nullo tamen jure strictè ad eam teneri aut Parochos, aut per Illustres DD. Canonicos, assevero: quod etiam in Præfatione admonui. Quod ex dictis constat. Verba Christi mandatum continere strictè, docui cap. LI. Sed temporaneum: illudque jam cessasse, patet ex eo quod Ecclesia Clericos toleret, etiam in excelso Hierarchiæ gradu, & summis Dignitatibus, eos, qui Paupertatem non profitentur. Nec posteriora concilia, etiam quæ Paupertatem laudant, eamque restitui percupiunt, præceptum Christi urgent, aut communem vitam sub pœnâ Peccati injungunt. Unde nullo ex capite tenentur ulli è Clero, uti vocantur, sæculari, bona abdicare, & rigidam strictamque Paupertatem amplecti.

Non dubitat Krantzius supra laudatus, quantumvis sęcularitati, ut ita dicam, Cleri infensus, multas inter eos inveniri *placitas Deo animas*; nec ego dubito

dubito : credo enim (nec id ſine manifeſtâ iniquitate negari poteſt) illic inveniri plurimos non ſolum omni exceptione, majores ; verum etiam ob ſinceram, & minimè fucatam Pietatem, quâvis laude digniſſimos. Huc faciunt Molani aliàs citati verba, quibus librum ſuum de canonicis claudit, & ego meum de Clero Apoſtòlico : *Porrò non ſic ab antiquis Canonicis defecimus*, inquit, *quin inter hujus temporis Canonicos invenire liceat Canones, & Regulam, multas item pias Conſtitutiones, ex quarum Præſcripto qui vitam inſtituit, Canonici nomen non ſine Laude coram Deo & Hominibus obtinebit. Quare ut me noſtrorum Canonicorum indoli, quoad licet, attemperem, rogatos velim omnes, ut in victu, & veſtitu, atque in omnibus ſuis actionibus, medium teneant, & neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinent : Virtus enim in medio conſiſtit. Memineri-mus, quod Divus Auguſtinus in libro de Doctrinâ Chriſtiana monet, ne rebus prætereuntibus aut reſtrictiùs vtamur, aut in earum uſu metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſamur, excedamus : & juxta Apoſtolum, oportet nos irreprehenſibiles eſſe, domui noſtræ præeſſe benè, & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt.*

CONCLUSIO.

Parænesis ad Concordiam.

HÆC dicta ſunto, tantum ut oſtendamus qualis eſſet illis prioribus ſæculis Eccleſiæ facies, qualis Cleri diſciplina, qualis Eccleſiaſticorum Paupertas, qualis Epiſcoporum cultus ; non ut ſuadeamus ea reſtitui, aut quod ſperemus vetus illud Paupertatis exactiſſimæ ſtudium communemque vitam, olim reſtitutum iri, vt ut alteri ſæculari vitæ præferendam eſſe, fateri debeant omnes. Novimus, ut non eadem omnem hominis ætatem decent, aut omni conveniunt, ita nec eadem omnibus ſæculis in Eccleſiâ conſulenda eſſe. Infantes crepundijs delectantur, Juvenes libentèr arma tractant, ſenes Pacis, & quietis ſtudia amplectuntur : ſimilis in Eccleſiæ Miniſtris viciſſitudo. Sub lege Moſaicâ Levitici Sacerdotes in eremo, atque ſub Judicibus, pauperes laborarunt, ſub Regibus floruerunt magnis opibus aucti, cum Machabæis regnarunt. In Lege gratiæ rigidam Paupertatem initio amplexi ſunt omnes Clerici Evangelici, nec cenſebatur eſſe poſſe Chriſti Diſcipulum, qui non renunciaſſet omnibus quæ poſſidebat : requirebant antiqui Canones communem vitam, frugalem victum, unà comederent, ſimul dormirent Clerici, humili veſte & facile parabili utebantur; eâque de communi promptuario deſumptâ. Secuta eſt alia ætas, cui alij mores placuerunt, illo Paupertatis vinculo ligari grave fuit ; juſtas ob cauſas, uti credimus, eo ſoluta eſt.

eſt. Exinde cultiores veſtes, Lautiores epulæ, copioſius famulitium, laxiores ædes, cum ſecularibus, ſive Laicis, familiarior converſatio, etiam cum fœminis, alia in uſum recepta, Priſcis ignota, &, ni fallor, adverſa. Uſi ſunt jure ſuo per Epiſcoporum indulgentiam legitimè acquiſito, adeoque nec alteri fecerunt injuriam, nec ſibi. Populus fidelis applaudit, Synodus Eccleſiaſticę tacent, & ipſo ſilentio conſentiunt interpretatiuè, Spiritus ſanctus non improbat. Qui ſumus nos, ut poſſimus reſiſtere Deo? Quo jure improbabimus, quod Laici, quod Clerici, quod ſacræ Synodi, quod Eccleſia tota, Chriſti Sponſa, quod Spiritus ſanctus, ratum habet? Juſtiſſimè debita præſenti Eccleſiæ veneratio, & Sacrarum Infularum Majeſtas, quam ſoli hæretici nefario auſu minuere conantur, merito jure poſtulat, eorum decreta veneremur, licet horum cauſæ nobis incompertę ſint, quia qualiacunque tandem ab ijs emanent, divinam in ijs auctoritatem & agnoſcere debemus, & venerari.

Sed viciſſim enixè peto ab ijs, quibus præſentium temporum fulgor non ita perſtrinxit oculos, quin aliquid Lucis à Priſcis admittant, ne dedignentur Patrum ſuorum, Cleri Apoſtolici, inopiam, frugalitatem, vilia indumenta, ſimplicitatem, vitam communem &c, agnoſcere: Quos ſi ſequi nolint, ſi imitari pigeat, ſaltem in ſimili non damnent, non odio, non dicterijs inſectentur: nec ægrè ferant eos in Clero cenſeri, qui priorum Clericorum veſtigia premunt, qui ad eorum amuſſim ſua ſtudia conformant, qui eorum vitam ſuâ, quantum licet, pro virili repræſentant. Tales autem ſunt Regulares, ſive Religioſi, ijſdem votis adſtricti, quæ vidimus Clerum Antiquum emiſiſſe. Adeoque cum in vitæ ſtatu conveniant, cum ſimilia ſtudia foveant, cum ad paria virtutum Clericalium exercitia formentur, vel Antiquorum ſanctitate, velut objecto clipeo, Regularem diſciplinam à cenſurarum jaculis protegi neceſſe eſt, vel cum iſtâ, etiam antiquam canonicam confodi. Quæcunque enim in Religioſos (qui *opprobrium* facti ſunt *abundantibus, & deſpectio ſuperbis*) tela intorquentur, vel citra illos irrito ictu concidunt, vel pari violentiâ in Apoſtolorum caſtra & venerandam primitiui Cleri aciem feruntur, eamque perrumpunt.

Faceſſant ergo odioſa nomina, quæ non exprimunt; ſed dividunt, & Lacerant Chriſti corpus, non quod mala ſint in ſe; ſed quod malum in finem adhibeantur. Damnauit Apoſtolus I. Cor. I. quod inter Corinthios, unus *Cephæ*, *alter Apollo*, *alius Pauli* diceretur: & Pernicioſum pro cujuſque Præceptore ſtudium, vaniſſimam de eo gloriationem ſalubri hac interrogatione rectè caſtigat: *Diviſus eſt Chriſtus?* q. d. ſpectandum in omnibus unum Chriſtum, qui pro omnibus crucifixus fuerat, in cujus nomine omnes baptizati erant, cui omnes miniſtrabant, quem in ſingulis Apoſtolis cuncti fideles venerari debebant. Sic optarem diverſos Clericorum ſtatus, ſive ſint Canonici, ſiue Curati, ſive Monachi, ſive mendicantes, ſive Clerici Regulares

lares, quocunque demum nomine cenſeantur, ita concipi, ut in omnibus concipiatur Chriſtus. Sint velut ex unâ arbore diverſi rami, ex unâ manu diverſi digiti, ex uno ſole diverſi radij prodeuntes, velut ejuſdem Exercitus plures legiones, ejuſdem Patris matriſque familias plures liberi, ejuſdem corporis multa membra. Ut mutuo amore ſe diligant, mutuo charitatis ardore ſe foveant, mutuâ ope ſe tueantur: ut aliena lucra, ſua reputent, aliena damna velut propria defleant, alienis vulneribus condoleant, alienam cladem, tanquam propriam, horreant, & pro virili junctis viribus communi ſtudio propulſent. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* I. Cor. XII. 26.

Ita viguit inter Tribus Iſrael mutuus amor, ut licet impiſſimum Benjamiticæ facinus & odium hominum & Dei vindictam in eam attraxiſſet, & aliæ Tribus immane crimen pari pœnâ caſtigaſſent, totâ ferè Tribu Benjamin internecione deletâ, tamen ingenti cum mœrore unius Tribus etiam ſontis jacturam deflere ceperunt. *Quare Domine Deus hoc malum factum eſt in populo tuo*, inquiunt, *ut hodie una Tribus auferatur ex nobis?* ----- *Magnâ nobis curâ, ingentique ſtudio providendum eſt, ne una Tribus deleatur ex Iſrael.* Nec urbes, nec latifundia, avaritiam alliciebant, nec Ira adeo rationis uſum extinxerat, ut ſuam in deletæ propemodum Tribus ſorte non intuerentur, atque deflerent. Seſe Homines eſſe meminerant, à quibus humanum nihil alienum eſſet. Solâ Naturæ communitate alienum malum veluti proprium deflebant, eâ ſolâ, nullo verò alio exemplo, ſufficienter admoniti, ſibi evenire poſſe, quod alijs evenerat. At quidam Catholici (forſan etiam Eccleſiaſtici) nec communis naturę conditione, nec iterato malorum ipſis impendentium exemplo, proprij emolumenti vanâ ſpe ſæpius deluſi, à procurandâ alijs pernicie deſiſtunt. Anglia noſtra non unicum luctuoſum hujus rei exemplum exhibet. Præcedenti ſæculo cum gravis in totam illam Eccleſiam tempeſtas immineret, primum fulmen in minores aliquot Ordinis Benedictini Conventus illiſum eſt, dirigentibus, ut fertur, & promoventibus aliquibus Epiſcopis, bonâ quidem, uti ſpero, at non ſatis providâ intentione, certè juſtiſſimo Dei judicio non bono eventu. Secuta enim mox eſt omnium Religioſorum diſperſio, Monaſteriorum everſio, bonorum Eccleſiæ depræ-datio, funeſtum ſchiſma, turpiſſima hæreſis, imo hæreſum omnium fœdiſſima colluvies, Monarchiæ extinctio, & quid non? Dignæ proles tam infauſtâ parente, Clericorum Sæcularium invidiâ in Religioſos?

Ante duos annos, & qui excurrit, inmiſeras ejuſdem Eccleſiæ olim florentiſſimæ reliquias novus turbo incubuit, & primò quidem in ſolos Societatis JESU Patres conciri videbatur. In novam hos ex Angliâ pellendi ſpem erecti quidam, quos id minimè decebat, Perſecutoribus ſe adjungere non ſunt veriti, ut calamum quaſſatum contererent, linum fumigans extinguerent, afflictionem afflictis adderent, ac veluti proſtratis inſultarent.

Sed

Sed quam justissimè Deus ijs remensus est eâ mensurâ quâ mensi fuerant? Jam enim eadem illorum confratribus sors imminet, inciderunt varij in foveam, quę ipsis plaudentibus, ne quid amplius dicam, fuerat alijs aperta, & ut similia Jesuiticis vincula effugerent, easdem cum illis latebras quærere, & subire coacti sunt.

Digitum Dei tandem agnoscant, judicia justa venerentur, & depositis partium studijs, quibus à recto virtutis tramite seducti fuerunt, unum Deum de cætero quærant, uni Christo serviant, universa Christi membra, præsertim verò Regulari Apostolicæ vitæ consecrata, latissimis Charitatis brachijs complectantur. Eadem castra sequimur, eadem Domini prælia pugnamus, eosdem habemus hostes, qui non uni Catholicorum parti; sed toti Ecclesiæ, & ut ita dicam, ipsi Catholicismo moliuntur exitium. Hi non alium in finem, uni Catholicorum parti bellum indicunt, eamque aggrediuntur, inducijs pro præsenti cum aliâ pactis, quam ut dum in singulos pugnant, universos vincant. Ab ijs, nisi fidei planè renuncient, non aliam unquam sperare gratiam poterunt, qui ijs adulantur, quam quæ erat Poliphemi: ut ultimi devorentur: & ubi malignam voluptatem ex aliorum interitu ceperint, eandem alijs præbeant. Atque ita patiendo, nec bonæ conscientiæ testimonio, nec gratiâ apud Deum, nec (quod omnium minimum est) gloriâ apud homines sublevabuntur: Cogentur enim dicere cum alio, peccatorum suorum pœnam luente: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Luc. XXIII. 41.

FINIS.

Errata præcipua Typographica.

Pag 5. linea 9. criminium, lege crinium.
p. 6. l. 20. innocentaim. l innocentiam.
p. 8. l. 8. pueritibus. l. puerilibus.
p. 17. l. 21. Clariffimi. l. Clarissimi.
p. 23. l 11. reconcilialionis l. reconciliationis
Ibidem l. 30. concinaretur. l. concionaretur.
p. 36. l. penult Episcop. l. Episcope.
p. 38 l. vlt. legas l. leges
p. 20. l. 5. eius. l. ejus Seminario.

Reliqua prudens Lector facilè corriget.